:67

ANTIQVA DVCVM MEDIOLANI DECRETA.







MEDIOLANI

In Regio Palatio, apud Io. Baptiſtam, & Iulium-Cæſarem fratres Malateſtas Regio-Camerales Typographos.

Superiorum conſenſu.

MDCLIV.

Humanissime Lector.

DEcreta Ducum Mediolani, quæ in hoc volumine leguntur, non fuere impressa, vt ea possent allegari ad decisionem causarum (sunt etenim omnia antiquata per nouas huius Mediolani Dominij Constitutiones, sub Imperio æternæ memoriæ Caroli V. promulgatas) sed tantùm, vt scias, quibus legibus viuerent illi Principes, & populos suos regerent. Vale.



EX.^{MO} MEDIOLANI SENATVI

PETRVS PAVLVS BONETTVS
I. C. de Colleg. Cremonæ, ex Vicarijs Generalibus
Status Mediolani,

Gloriam, & felicitatem
P.




Ntiqua veterum Mediolani Dominorum decreta, quæ inter obliuionis tenebras hactenùs delituerant, nùnc primùm in vnum volumen iuxta seriem temporum disposita, auspicijs tuis (Excellentissime Senatus) prodeunt in lucem, & publici iuris fiunt. Opus, quod olim fel. recor. Senator pater meus dùm typis præsideret in animo habuit, & paulò ante eius obitum ferè ad finem perduxerat, nùnc tandèm opera D. Senatoris Ioannis Bracherij viri integerrimi, ac omni doctrinarum genere referti, eidemq; Patri meo in præfectura typorum suffecti, absolutum. Etsi verò huiusmodi decretorum editio aliquibus fortasse non probabitur, cùm ea sint viribus orbata, & nouarum legum dispositione penitùs antiquata, rectiùs tamen facturos eos mihi videbitur, qui contrarium sentient; non solùm, vt hoc pacto, ex quibus cunabulis illustre opus Nouarum Constitutionum ortum habuerit dignoscatur, sed etiam, vt legum antiquarum memoria non interiret, &

earum

earum comparatione nostrorum temporum felicitas, quibus optimæ leges reseruatæ sunt percipi posset. Illarum siquidem plurimas extra metam rectæ dominationis aliquas Ecclesiasticæ libertati aduersas, & contrarias, & tyrannidem quodammodo nonnullas sapientes, præstantissimus olim Senator Crassus asseruit: nostræ verò, quibus modo regio hæc vniuersa gubernatur nihil non iustum, nihil non iuri consonum, nihil tandem, quòd non intra metas rectæ dominationis coerceatur continent, vtpotè ab optimo Principum latæ, sed collectæ, & efformatæ ab Excellentissimo Ordine vestro, cuius exacta diligentia, & maturum Consilium iustitiam iustis legibus non modò tunc restituit, verùm & easdem, perenni vigore, permanere, & obseruari, auctoritate sua, assiduè studet. Nec vtilitate cariturus est huiusmodi labor, cùm leges antiquæ ad aliquorum quoque casuum decisionem possint adduci, & expresse Constitutionibus caueatur, veteres de vectigalibus latas, dùm nouis contrariæ non sint, obseruari debere.

Laborem igitur hunc, Excellentissime Senatus, æqui boniq́ue consule, & me commendatum, quemadmodum etiam atq; etiam rogo, habere velle.



NOMINA

NOMINA PATRVM

Qui

In Excellentiſsimo Sacratiſsimoq;

SENATV MEDIOLANI

ſedent.



ILLVSTRISS. D. MARCHIO ALOYSIVS CVSANVS, REGENS, ET PRÆSES.

D. Aloyſius Belcredius.

D. Petrus Petracinus.

D. Andreas Alifer.

D. Ioannes Guidobonus Caualchinus.

D. Carolus Patellanus.

D. Franciſcus Maria Caſnedus.

D. Hyacintus Orrigonus.

D. Nicolaus Fernandez de Caſtro.

D. Gabriel de la Hoz.

D. Io. Bracherius.

D. Marchio Hieronymus de Talentis de Florentia.

D. Lucas Pernigottus.

Egregij Secretarij Senatus.

Iul. Cæsar Comes Maioragius.

Philippus Meda.

Augustinus Crescentinus.

Iacobus Iuagnes.

Carolus Antonius Belcredius.

Io. Baptista de Laude.

Series Capitum huius libri.

B

C

Creditor,

P

Q

R

S

T

V



Index

Index Rerum Notabilium hoc libro comprehensarum.

Capitaneus.

dacat

quæstio

M

N

Prosti-

Decretum, quod Banniti de Ciuitate Mediolani habeantur, & tractentur pro Bannitis aliarum Ciuitatum.



Vchinus Vicecomes &c. Poteſtati. Sapientibus, & Communi Placentiæ. Volentes improbis auferre materiam delinquendi, & ipſorum actus formidato ſupplicio refrenare, auctoritate, qua fungimur, edicimus, volumus, & mandamus, quod omnes, & ſinguli Malefactores, & alij cuiuſcunque gradus exiſtant de Ciuitate noſtra Mediolani bannum habentes de Maleficio, de Ciuitate noſtra Placentiæ bannum habere intelligantur, & pro bannitis tractentur, & è conuerſo, & quod banniti ipſi de Ciuitate Mediolani in Placentia ſe reducentes, & habitantes ſint in eodem gradu quo eſſent ſi Mediolani habitarent, ac ſubiaceant eiſdem pœnis, tàm realibus, quàm perſonalibus, quibus ſubiacerent ſi in Mediolano eſſent, & è conuerſo. Volumus inſuper, quod Statuta Mediolani de Mercatoribus, & perſonis fugitiuis mentionem facientia locum habeant in Placentia, & eandem vim, quam in Ciuitate Mediolani obtinent debeant obtinere in Ciuitate noſtra, & roboris obtinere firmitatem. ſic quod in Mediolano, & Placentia malefactores ipſi, & fugitiui æqualitèr pertractentur. Non obſtantibus Statutis, vel prouiſionibus in contrarium loquentibus, quæ nullius eſſe volumus roboris. Dat. Mediolani die vj. Februarij MCCCXLIII. Indictione xj. Similiter ſcriptum eſt Brixiæ, Pergami, Cremonæ, Laudæ, Cumarum, Aſtæ, Vercellarum, Bobij, Burgi Sancti Donini, Cremæ, Vigleuani, Caſtrinoui, Terdonæ, Pontiſcuroni, Canobij, Locarni, Soncini, Datum vtſupra.

Quod reddatur ius Subditis Dominorum non obſtante, quod non ſubeant onera.

NOS Dominus Mediolani &c. omni auctoritate, qua fungimur. Volumus, ordinamus, decernimus, & mandamus, quod Ciuibus noſtris Mediolani, & cuiuslibet alterius Ciuitatis, vel Terræ noſtræ, in quacunque Ciuitate, & Terra, & loco noſtro Dominio ſuppoſitis reddatur, & reddi debeat plenum Iuſtitiæ complimentum in eorum cauſis. Non obſtante, quod ipſi in dictis Ciuitatibus, vel Terris, in quibus cauſarentur, vel litigarent, vel eorum iura proſequerentur non ſubirent onera, vel factiones ipſarum Terrarum, nec iuriſdictioni eſſent ſubiecti, vel ſuppoſiti cum ſufficiat ipſos onera, & factiones facere, & ſuſtinere in Ciuitate, & Terra ſua, quæ Statuta in contrariū loquentia in hac parte caſſamus de noſtræ plenitudine poteſtatis. Dat. Mediolani die xxiij. Maij MCCCXLIII.

Quod Subditi gaudeant Statutis Mediolani, non obſtante, quod onera non ſubeant.

NOS Iohannes Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Luchinus fratres Vicecomites Mediolani, Laudæ, &c. Domini generales. Cum multæ lamentationes, & querelæ quotidiè fiant per Ciues, vel habitatores Ciuitatis, vel Comitatus Mediolani, habentes eorum poſſeſſiones, tàm in alienis diſtrictibus, quàm in diſtrictu Mediolani, & maxime per noſtros Ciues diſtrictuales Mediolani habentes poſſeſſiones ſuper Territorio Laudenſi, & è conuerſo contingere poſſet de alijs Ciuibus, & diſtrictualibus aliarum Ciuitatum, & Terrarum noſtrarum habentibus Terras, & poſſeſſiones in diſtrictu Mediolani, & in alijs noſtris Terris, quàm in illa

vnde Ciues sunt, vel districtuales. Ideircò ad tollendas omnes quaestiones, quae super hoc possent oriri, illis de causis, vel dependentibus, seu connexis ab eis, deliberatione habita cum Vicarijs nostris, quibus mandauimus ipsum negotium examinandum, & quid sit fiendum in praedictis pro pacifico statu, & quiete nostrorum Subiectorum, & ne aliquis indebitè aggrauaretur pro bono aequitatis, & Iustitiae. Volentes nullum plus debito aggrauari, sed teneri, & soluere, vt debet, aequitate maxime considerata, ac etiam quod hactenus in similibus est seruatum, cum scriptum sit, quod in rebus nouis constituendis euidens debet esse vtilitas, ne recedatur ab eo iure, quod diù aequum visum est. Volumus, edicimus, & mandamus, quod omnes Ciues, & habitatores Ciuitatis, & Comitatus Mediolani, & aliarum Ciuitatum, & districtuum nostro Dominio subiectorum habentes possessiones in eisdem Ciuitatibus, vel earum Territorijs vnde sunt oriundi, vel originarij, vel Ciues, vel habitatores, & habitantes continuè in eis tempore Hyemali, vel qui futurum continuè habitabunt, licet habeant possessiones in alienis districtibus, vbi non sunt Ciues habitatores, vel originarij teneantur, & debeant soluere taleas, fodra, & alia onera eis imposita, & imponenda de caetero in ea Ciuitate, vel loco vnde sunt Ciues habitatores, vel originarij continuè habitantes etiam pro possessionibus, quas habent in alienis districtibus. Et pro eis ab alijs in quorum Territorio sunt positae non grauentur. Verùm si aliquis ex Ciuibus, vel habitatoribus originarijs Ciuitatis, vel Comitatus Mediolani, vel alterius Ciuitatis, vel Territorij non habitans in eisdem Ciuitate, vel Territorio vnde Ciuis est, vel originarius habeat vniuersas possessiones, & bona in alia Ciuitate, vel Territorio vbi habitat, ita quod nihil habeat in ea Ciuitate, vel districtu vnde Ciuis est, vel originarius, tunc, & eo casu ille talis Ciuis teneatur, & debeat praedicta onera sustinere in ea Ciuitate, vel loco vbi habitat tempore Hyemali, & habet possessiones suas. Si verò aliquis Ciuis Mediolani, vel Comitatus, vel alius alterius Ciuitatis, vel districtus habitauerit continuè in alia Ciuitate, & districtu, quàm ibi vbi originaliter Ciuis est, & in vtraque Ciuitate, vel loco possessiones, & bona habeat, tunc sustinere debeat onera praedicta ei imposita, vel imponenda in vtraq; Ciuitate, vel loco pro ea parte tantùm possessionum, & bonorum, quae habet in qualibet dictarum Ciuitatum, & Territoriorum, tàm vnde est originaliter Ciuis, quàm vbi habitauerit. Si verò habitaret in alia Ciuitate, Terra, vel loco, quam vnde est oriundus, & haberet terras, vel possessiones in ea Ciuitate, vel loco tantùm vnde est oriundus, tunc pro eis possessionibus, & terris soluere teneatur in loco sui originis, & praedicta locum habeant, tam in causis pendentibus, quàm futuris. In cuius nostri decreti testimonium has patentes conscribi, & registrari iussimus, nostrorumq; sigillorum munimine roborari. Dat. Mediolani die octauo Iunij anno Dominicae Natiuitatis Millesimo tercentesimo quadragesimo quinto tertiaedecimae Indictionis.

Decretum, quod debeat fieri excusio bonorum principalis, quàm fideiussoris.

IN Nomine Domini Amen. MCCCXLVI. Indictione quintadecima die Lunae xxvij. mensis Nouembris. Cùm anno Domini MCCCXLII. die vltimo Nouembris facta fuit prouisio continens, quod si quis fideiussorio, vel secundario nomine pro aliquo se obligauit, vel obligabit primo principalis pro quo obligatus sit, vel erit debeter conueniri antequam fideiussorem, vel secundarium. Et quia ab aliquibus allegabatur prouisionem ipsam solummodo locum habere ad conuentiones, & non ad bonorum excussionem, quod quidem esset legem esse impositam verbis, & non rebus. Idcircò Nobilis Miles Dominus Iacobus de

 Scutis

Scutis Legum Doctor Magnif. DD. Mediolani Not. Vicarius Generalis, necnon discreti Viri Domini duodecim Sapientes Præsidentes prouisionibus, & defensionibus Communis Mediolani de conscientia, & beneplacito præfatorum Magnif. DD. intenden. ordinamenta, & prouisiones Communis Mediolani de ipsorum mandato factas, vel factas legem imponere rebus, & non verbis.

Prouiderunt, & ordinauerunt, quod si quis fideiussorio, vel secundario nomine pro aliquo se obligauit, vel obligabit primo principalis pro quo obligatus sit, vel erit debeat conueniri, & bona eius excuti debeant diligenter, & in eis solutionem, seu satisfactionem recipere, vsque ad quantitatem concurrentem in bonis debitoris antequam perueniat ad bona fideiussoris, vel secundarij, non obstante, quod fideiussor renuntiauerit, vel renuntiaret tali beneficio in Instrumento obligationis. Et prædicta locum non habeant in illis, qui obligati essent Communi Mediolani.

Lata, & publicata fuit suprascripta prouisio die suprascripto per me Ioannem de Noxigia Not. ad Prouisiones Communis Mediolani.

Quod Clericus contra Laicum possit allegare Statuta.

EXimiæ Celsitudinis V. Supplicatur pro parte Beloli Mondellæ vestri fidelis, qui quamquam sententias multas obtinuerit contra Ambrosium Mondellam pro quæstionibus motis per ipsum Ambrosium contra ipsum Belolum suis vexationibus maxime coram exgrauatore vestro. Quod cum ipse Ambrosius, qui semper se Clericum asseruit, à vobis impetrauerit gratiam, vt possit gaudere prouisionibus vestris. Non obstantibus quod dicat se Clericum, illis attamen velit gaudere in sui fauorem, & non velit; quod statuta, & prouisiones Communis Mediolani per ipsum Belolum allegentur contra eum. Nec velit, quod ipse Belolus eisdem Statutis vti possit contra eum, sicut apparet suis allegationibus cum dicat, quando vult, quod Statuta Communis non ligant Clericos dignemini amore Dei, & pietatis intuitu edicere, quod ipse Belolus possit vti prouisionibus, & Statutis Communis Mediolani contra ipsum Ambrosium sicut ipse Ambrosius habuerit gratiam à vobis posse vti prouisionibus vestris Communis Mediolani aduersus dictum Belolum, ad hoc vt Statuta prosint, tàm vni, quàm alteri. Dat. Mediolani MCCCXLVII. die viij. Iunij. Volumus quod Laicus contra Clericum, & Clericus contra Laicum possint allegare Statuta Communis Mediolani. Ego Albertus Resta Notarius Magnificorum DD. Mediolani subscripsi.

Qualiter acquirentes de bonis aliorum teneantur sustinere onera pro eis, quorum ipsa bona fuerunt.

AVdientes, quod plurimæ, & singulares personæ in eorum Communibus extimatæ alienant bona sua in personas ipsis Communibus non subiectas, vt euitent soluere onera, & factiones Communiũ in fraudem, & enorme damnum ipsorum Communium. Volentesq; prouidere ne de cætero fiant tales fraudes, & talia damna sequantur Communibus nostris, præsentium tenore statuimus, decernimus, & mandamus, quod omnes personæ ementes, & taliter de cætero quomodolibet acquirentes de bonis immobilibus aliquarum personarum adstrictarum ad soluendum cum aliquo ex Communibus iurisdictionibus tunc soluere teneantur cũ dicto Cõmuni pro rata eius quod acquisiuerint, vel ad eas quoquomodo peruenerit de bonis alicuius talis personæ sic adstrictæ ad soluendum cum aliquo ex ipsis Communibus, & has nostras litteras volumus, & mandamus

mandamus in volumine Statutorum, & ordinamentorum nostrorum inseri debere, & inuiolabiliter obseruari de cætero pro lege, & decreto nostris. Dat. Mediolani MCCCXLVIII. die xxviij. Decembris.

Quod relaxati à Carceribus intuitu pietatis vlterius illa occasione capi non possint.

NOS Iohannes Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Mediolanen. Ecclesiæ Archiepiscopus, ac Dominus generalis &c. Sæpè contingit, quod Nos aliquos captiuos, & carceratos in carceribus nostris Communis Mediolani, & aliarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum pro eorum delictis, & excessibus existen. ob reuerentiam Domini Nostri Iesu Christi, & Sanctorum eius intuitu pietatis, & misericordiæ, & de gratia speciali, & ob alias solemnitates, & causas non obstantibus dictorum captiuorum, & carceratorum bannis, & condemnationibus, & alijs pecuniæ quantitatibus, quibus ad soluendum tàm nobis, quàm Communibus dictarum Ciuitatum, & Terrarum sint rationabiliter obligari, dimitti iubemus, & restitui pristinæ libertati. Cùm autem gratiæ, & beneficia, quæ conceduntur obseruari debeant, & nullatenus violari, ac effectum debitum consequi, nè tales captiui, seu carcerati vlterius valeant molestari, edicimus per præsentes, ac vniuersis, & singulis Potestatibus, Rectoribus, Vicarijs, & Officialibus quibuscunque tàm nostris, quàm Communium dictarum Ciuitatum & Terrarum ad quos spectat præsentes litteras inspecturis, quatenus omnes, & singulos captiuos, & carceratos, quos mandato nostro relaxari contigerit (vt supra præmittitur) de ipsorũ bannis, condemnationibus, & debitis pro quibus in carceribus tenebantur, quantum est pro nostra parte, & Communium prædictorum statim facta relaxatione præfata aboleant, cassent protinus, & cancellent, & aboleri, & cassati protinus faciant cum effectu, ità ne amplius patiantur aliquam molestiam, vel grauamen; hoc tamen edictum nostrum non intendimus vllo modo, quod aliqualiter se extendat ad debita singularium personarum. Quia non est nostra intentio, nec credimus fore conueniens, quod alicui singulari personæ exindè inferatur præiudicium, vel grauamen, quin contra dictos captiuos, & carceratos ius suum plenarium consequi valeant, & habere pro suo libito voluntatis, vt Iustitiæ ratio suadet. Registraris &c. Dat. Mediolani quinto Iulij MCCCL. Indictione tertia.

Prouisio facta ex qua potest procedi non obstante remissione.

Reperitur in quodam libro existente ad Officium Statutorum Communis Mediolani, in quo registratæ sunt certæ prouisiones Communis Mediolani, inter alia in quibusdam prouisionibus factis MCCCLI. Indictione quarta die Iouis vltimo mensis Iunij fore scriptum hoc modo in illis Maleficijs, vlz.

ITem cum in Statuto dicti Communis caueatur hoc modo. Si passus iniuriam, vel aliquis ex ascendentibus, vel descendentibus, vel ex latere venientibus, tàm ex masculino, quàm ex fœminino sexu, vsque ad quartum gradum, & vir, vxor, & socer, & gener passi iniuriam comparuerint coram Potestate, vel Iudicibus Maleficiorum deferens accusam, vel denuntiam, similiter ante absolutionẽ, vel condemnationẽ per Officium factam audiatur, & cesset officium Potestatis, seu Iudicibus, & super ipsa accusa, seu denunciatione procedatur, actis, & actitatis prius per officium factis nihilominus valituris præfati Domini Vicarius, & XII. de voluntate, & beneplacito, ac mandato præfati Domini prouiderunt,

derunt, & ordinauerunt, & prouident, & ordinant, quod in casibus, in quibus procedatur per officiu n ex aliquo crimine, vel excessu ex quo veniat condemnatio fienda à centū libris tertiolorū supra, & comparuerit legitimus accusator non prosit accusa, nec cesset officium, sed procedi possit, & debeat tàm super inquisitione, quàm super accusa, & omni modo quo melius potest veritas inueniri, exceptis in casibus suprascriptis in suprascripto capitulo comprehensis, & exceptatis, & si procedatur de crimine, ex quo à centum libris inclusiuè veniat fienda condemnatio Communi Mediolani applican., & accusa deseratur per legitimum accusatorem infra dies viginti à die primæ citationis factæ super inquisitione cesset officium, & super accusa procedatur. Et quantum ad prædicta suprascriptum Statutum intelligatur esse correctum, & sublatum.

Ordinatio de fontanilibus, & forzadilis non fiendis propè alios.

IN Nomine Domini Amen MCCCLI. Indictione quinta, die Sabbati decimo mensis Decembris. Prudentes Viri Domini Raymondus de Archidiaconis Legum Doctor Vicarius Reuerendissimi, & Magnifici D. D. Mediolani, & XII. Præsidentes prouisionibus, & negotijs Communis Mediolani. Ad resistendum malitijs hominum volentium damnificare aliena fontanilia, seu forzadilia ex constructione nouorum fontanilium, seu forzadilium de voluntate, consensu, & mandato præfati Domini Mediolani, prouiderunt, & ordinauerunt, & prouident, & ordinant, quod nulla persona Ciuitatis, & Comitatus Mediolani, vel aliunde cuiuscunque status, vel conditionis existat possit, vel debeat de cætero facere, vel construere, vel fieri, vel construi facere, aliquod fontanile, vel forzadile in aliqua parte Comitatus, vel districtus Mediolani propè aliquod aliud fontanile, vel forzadile per brachia tercentum ad brachium terræ, & lignaminis. Et quod quilibet habens, vel qui in futurum habuerit fontanile, vel forzadile in Comitatu Mediolani possit prohibere cuilibet alij facienti, vel fieri facienti nouum fontanile, vel forzadile propinquus alio fontanile, vel forzadile, quàm sint dicta brachia tercentum ad brachium terræ, & lignaminis, vt ipsum nouum fontanile, vel forzadile non faciat propinquus alio fontanili, vel forzadili, quàm supra dictum est. Et qui contrafecerit, vel fieri fecerit condemnetur ad destruendum suis proprijs expensis, illud opus, quod contra prædicta factum fuerit, & vltra in libr. ccc. tertiolorū applican. Communi Mediolani, & prædicta etiam locum habeant in fontanilibus inchoatis, & nundum perfectis.

Decretum circa honestatem, & habitum Clericorum.

NOS Iohannes Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ac Mediolani &c. Dominus generalis. Considerantes, quod in Constitutionibus prouincialibus editis anno Domini MCCCXI. in Concilio Pergamen. sub rubrica de habitu, & honestate Clericorum, & ne Clerici se immisceant Sæcularibus cauetur in hunc modum. Circa honestatem, & habitum Clericorum salubriter prouidemus, quod omnes, & singuli Clerici, & personæ Ecclesiasticæ Mediolanen. Prouinciæ, Ciuitatis, & Diœc. tam præsentis temporis, quam futuri tonsuram, & habitum deferant Clericales ordini suo, & statu competentes, vestes Virgulatas, seu de catabriato, de medietate, vel listatas, vel cum frixijs maspilijs argenteis, vel de metalo aliquo, aut Vestem superiorem à summo, vsque deorsum totaliter scissam ante, seu infulam de seta, siue de serico more Laicali minime deferentes. Deprehensos verò in aliquo crimine, vel excessu enormi in habitu Laicali publicè incedentes,

d. ntes, ex nunc pronuntiamus, vt Clericos, seu personas Ecclesiasticas non teneri Curiam Ecclesiasticam, in ipso crimine defensare. Clericus verò, seu quæuis persona Ecclesiastica mercationibus, & negotiationibus Laicalibus, vt negotiator publicus se immiscens, illasque in persona propria exercens publicè Diuinis Officijs prætermissis, vel alias, vt Laicus communiter se gerens in suis bonis patrimonialibus non gaudeat interim Priuilegio Clericali, nec vt Clericum in enormibus, dum in eis excedit teneatur Ecclesia defensare. Cognitione tamen, vel disputatione super hijs pendente ad Iudicem Ecclesiasticum decernimus pertinere, nec procedi posse contra talē, seu tales Clericos per Curiā Sæcularem, sed superseden. interim decernimus omni processu, contra eos; alioquin in quoscunque Præsidentes, Vicarios, Potestates, Rectores, Sæculares, & quoscunque eorum Ministros, & executores Ciuitatis, & Diœcesis, ac Prouinciæ Mediolanensis contrarium facientes excommunicationis sententias promulgamus. Præsenti constitutione sancimus, quod aliquis Clericus, siue Ecclesiasticus non possit, absq; Diœcesani licentia, Officium publicum in officialituram alicuius Sæcularis, Rectoris, siue Communitatis, seu Vniuersitatis, Ciuitatis, Burgi, Castri, loci, aut Parochiæ, seu Villæ, in sæculari Curia exercere, vel sumere de cætero non præsumat, slz. Consulatus, Tabellionatus, Gastaldiæ, Campariæ, Vicariatus, Vicedominatus, vel quouis alio nomine appellet, seu officijs Ecclesiasticis derelictis, vel Clericali postposita honestate ad caualcatas, vel stipendia, seu Sæculares Exercitus, & maximè non coactus cum armis publicè, vt laicus accedere, vt se talium immiscere cetibus non præsumat, nisi in casibus à iure præmissis; delinquentem verò in aliquo præmissorum, vel aliquibus talibus se immiscentes excommunicationis sententiam inodamus; hanc verò pœnam ad alios, qui assumpserint arma cum aliquibus laicis pro suis viribus, aut Ecclesiæ proprijs, seu pro sui defensione insultum expectantes, seu de licentia sui Antistitis, vel eius Vicarij volumus non extendi. Et cum ex præfatis Constitutionibus non videatur in totum fore declaratum id, quod expedit circa honestatem, & habitum prædictos, super præmissis cupientes reformare, & addere id, quod cedat honori nostro, & communi bono, ac Ecclesiasticæ honestati adijcien. mandamus, decernimus, edicimus, & etiam declaramus, vt Clericis, & Ecclesiasticis personis non deferentibus clericatam, ac tonsuram, & habitum Clericales suo statu, & ordini competentes, seu Vestes saltem vsque ad mediam tibiam longas, vel etiam longiores secundum decentiam, status, & ordinis deferen., aut portantibus Vestes virgulatas, siue aliquam in suprascripta constitutione portari prohibita, aut vestes breuiatas, vel crispatas, seu roziatas, vel manicas longitudine vltra vnius semisse à brachijs dependen. aut capucia bechas vltra quinque quartas cum latitudine capucij computan. vel subtulares dictos vulgariter fistulatos, seu artificialiter perforatos, siue corrigias haben. sprangas aliquas super vestem superiorem, seu barbam nutrientibus, siue comam, non respondeatur de suorum beneficiorum in Ciuitate, vel districtu, seu Diœcesi Mediolanen. existente, fructibus, reditibus, obuentionibus, aut prouentibus quibuscunque quos in eiusmodi nostrum mandatum quicunq; receperit duplum soluere teneatur. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli appositione communiri. Dat. Mediolani MCCCLII. die vltimo mensis Aprilis quinta Indictione.

Prouisio Communis Mediolani, quod sententes vtilitatem ex aqua teneantur ad refectionem pontium, non obstante &c.

IN Nomine Domini Amen MCCCLII. Indictione quinta, die Sabbati vltimo mensis Decembris. Prudentes viri Dominus Raymondus de Archidiaconis

Legum

Legum Doctor Vicarius Reu., & Magnifici D.D. Iohannis Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopi, & Mediolani &c. Domini generalis, & duodecim Præsidentes prouisionibus, & negotijs Communis, & populi Mediolani, de voluntate, & beneplacito præfati Domini Mediolani prouiderunt, & ordinauerunt, quod habentes vtilitatem ex aliqua aqua seu ex aliquibus pontibus, super qua, vel quibus stare, & esse debent multi pontes, teneantur, & debeant dictos pontes refficere, & manutenere suis proprijs expensis, non obstante, quod in registris Communis Mediolani contineatur, quod dicti pontes reffici, & manuteneri debeant pro Commune Mediolani, quibus registris derogant, & derogatum esse volunt, & si super aliqua aqua, vel aquis sint aliqui pontes, quod gaudentes aqua à primo ponte, vsq; ad secundum teneantur ad reffectionem primi pontis, & gaudentes aqua à secundo ponte, vsque ad tertium teneantur ad reffectionem ipsius secundi pontis, & gaudentes aqua à tertio ponte, vsq; ad quartum teneantur ad reffectionem ipsius tertij pontis; & gaudentes aqua à quarto ponte infra, si alius pons non existat, teneantur ad reffectionem ipsius quarti pontis, & sic de singulis. Saluo, & reseruato, quod gaudentes aqua à ponte de Carsenzago, vsq; ad pontẽ ripæ de Guarinis teneantur ad reffectionem, & manutentionem medij pontis de Lambrate existentis super strata de Pioltello, & hoc quia pons prædictus de Carsenzago manutenetur per Fratres, & Canonicas de Carsenzago propter certa pacta facta, & secuta inter ipsos Fratres, seu Canonicas, & Commune Mediolani.

Prouisio, quod habens in vno sedimine vnam partem ex tribus partibus, teneatur eam tertiam partem locare alteri parti habenti duas partes pro eo pretio, quod repertum fuerit ab alio, vel prout æstimabitur. Alioquin facta denuntia, & depositione possit ipsa tertia pars apprehendi iure pensionario. Saluo si ille habens tertiam partem voluerit suam partem habitare.

IN Nomine Domini MCCCLIII. Indictione septima, die Lunæ xxiij. mensis Decembris. Cum sæpè accidat, quod in Ciuitate, & Suburbijs Mediolani diuersæ personæ habeant, siue possideant domum vnam, vel sedimen non communem, slz. vnus pro duabus, vel pluribus partibus, & alter pro tertia, vel minori parte, qui non vult stare, nec habitare in ipsa sua tertia parte, vel minori, slz. eam vult alijs locare, in ea sæpè ponendo personas inhonestas, vel rixosas, & eam propter eius malitiam locare non vult, slz. recusat suo consorti reliquas duas partes, vel plures possidenti, vel habitanti in ipsa tali domo, seu hospitio volenti tantam pensionem soluere pro ipsa tertia, vel minori parte, quantam soluit alius conductor, ex quibus contentiones, seditiones, discordiæ, & odia oriuntur, & insurgunt inter tales partes; & ex ipsis ad malefacta perueniunt.

Ea propter Prudentes Viri Domini Raymondus de Archidiaconis Legum Doctor Vicarius Reuerendissimi, & Magnifici D.D. Iohannis Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopi, & Mediolani &c. Domini generalis, & XII. Præsidentes prouisionibus, & negotijs Communis Mediolani. Volentes resistere talibus discordijs, seditionibus, & contentionibus de consensu, voluntate, & beneplacito præfati Domini prouiderunt, & ordinauerunt, & prouident, & ordinant, quod si quis de cætero possidens, & tenens tertiam, vel minorem partem alicuius domus, seu sediminis, & in ea, & in eo habitare nolens teneatur, & debeat ipsam tertiam, vel minorem partem

tem

tem consorti eius in alijs duabus, vel pluribus partibus habitanti locare pro tanta pensione, quanta habere poterit ab alio pensionante, seu pro tanta pensione, quanta taxabitur per duos amicos communes, seu duos vicinos eius vicinantiæ, in qua erit ipsa talis domus, seu sedimen; quam tertiam, seu minorem partem, si ipse talis possidens recusauerit consorti eius possidenti, & habenti reliquas duas, vel plures partes locare per modum prædictum, tunc liceat ei consorti duas partes, vel plures de ipsa domo, seu sedimine possidenti, & habitanti iure pensionario apprehendere, & in ea, siue in eo stare, & habitare, facta tamen prius per eum denuntiatione dicto possidenti tertiam, vel minorē partem de volendo eam accipere ad pensionem per modum prædictum, & facto deposito penès idoneam personam de solutione dictæ pensionis soluendæ de anno in annum, donec tenuerit. Saluo tamen omni suo iure ipsi possidenti, vel habenti ipsam tertiam, vel minorem partem, quod haberet in proprietate dictæ suæ tertiæ, vel minoris partis dictæ talis domus, seu sediminis. Ita quod per prædicta, nec aliquod prædictorum nullum ei fiat, nec generetur præiudicium in ipsa sua proprietate.

MCCCLV. de mense Decembris.

Ad honorem, & reuerentiam Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis eius Matris, & Beati Ambrosij Confessoris, & totius Cœlestis Curiæ.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Dominus Generalis. Finem litibus debitum imponere cupientes, & cauillationem, & subterfugiorum materias amputare, & Subditorum commodis prouidere, & vt debentes recipere, vel habere possint ad sibi debita velociter peruenire, & vt parcatur litigantium laboribus, sumptibus, & expensis, Causidicorumque malitijs obuietur. Volentes etiam bonis, & pacificis Pauperibus, Pupillis, & Orfanis, & Miserabilibus personis vtiliter prouidere, hac perpetua nostra lege statuimus, prouidemus, decernimus, & ordinamus, omni auctoritate, modo, iure, & via, quibus melius possumus, vt infra vlz., quod in omnibus causis, quæstionibus, litibus, & controuersijs ciuilibus, quibuscunque rei, iuris, summæ, quantitatis, & valoris sint, vel existant, vel existere possent, de cætero, à Calendis mensis Decembris prox. præt. in antea coram quocunque Officiali, Vicario, seu Iusdicente nostro in partibus Seprij, & Bolgariæ, infrascriptis ordo, modus, & forma seruetur.

Decretum super causis ciuilibus, & criminalibus in partibus Seprij, & Bolgariæ Comitatus Mediolani.

IN primis statuimus, & ordinamus, quod si quis ad iudicium in personali vocatus non venerit, aut ad terminum statutum per Iudicem non venerit, banniatur, & de eo banno possit eximi, & cancellari, vsque ad primam diem prox. sequen. iuridicam inclusiuè: Quo die elapso dictus Bannitus sit præteritus in banno, si non fuerit cancellatus vtsupra, & postea possit, & debeat pignorari ad instantiam Actoris, vsque ad summam seù extimationem debiti declarati in citatione, & si postea comparuerit, taliter bannitus non audiatur, nisi restitutis expensis, & præstita satisdatione de iudicio sisti, quibus adimpletis possit reus cancellari de Banno. Et quod si prædicta non fecerit pignoris accepti possessio, occasione dicti Banni, penès Actorem remaneat, donec lis sopita fuerit sententia, vel conuentione, vel alio modo, nisi per Actorem fraudolenter steterit quominus procedatur in causa, vel lis finem debitum sortiatur, quo casu pignoris possessio

fessio reo restituatur, restitutis expensis vtsupra.

Item, quod nullus de banno eximatur, nisi personaliter comparuerit, vel legitima persona pro eo, & contenta in suprascripto proximo capitulo adimpleuerit. Audiatur tantũ, vt petere possit exhibitionem pignorũ, & copiam, seù exemplum banni, & totius processus, ac expensarum, quæ asseruntur esse factæ occasione citationis relationis banni, & contumaciæ, ac totius processus illius executionis, & eo casu quo purgauerit, vel per Actorem steterit quominus possit purgare reus suam contumaciam, audiatur, & possit se facere cancellari de banno, & prædicta possint Vicarij, sine libelli oblatione compellere Actorem, & non obstan. stat. de Sapientibus dandis.

Item, quod si aliquo citato ad terminum comparente, ille ad cuius petitionem citatio fuerit facta non comparuerit ad dictum terminum, citatio habeatur ipso iure pro circundata, & compellatur ille ad cuius petitionem talis citatio fuerit facta ad restituendum expensas legitimas ipso reo, seù citato.

Item, si quis in banno præterierit, & de eo se fecerit cancellari, teneatur denuntiare ei ad cuius petitionem fuerit in banno, vel eius successori, quod cancellatus est de illo banno, & paratus est parere iuri, & purgare omnem suam contumaciam, alioquin reputetur ac si non esset cancellatus.

Item, quod possit dari bannum super termino, vel præcepto sicut super citatione.

Si verò reus citatus nullo modo comparuerit ad terminum sibi assignatum per seruitorem, seu nuntium Communis, teneatur Iusdicens, si inde requisitus fuerit, decernere Actorem, seu legitimam personam pro eo mittendum fore in possessionem lodialem bonorum citati, vsque ad summam, seu extimationem debiti declarati in citatione, vel etiam in possessione speciei in citatione declaratæ, si in eam commodè poterit fieri missio, & subsequenter induci re ipsa in possessionem per seruitorem Communis. Si verò vltra creditor procedere voluerit, teneatur denuntiare debitori, quod infrà octo dies dictam possessionem recuperet, si eum inuenerit, alioquin vbi habitat, præsente aliquo de familia sua, vel vbi habitare consueuit, si non habet habitaculum, & inde fiat instrumentum; præteritis verò dictis octo diebus postquam creditor missus fuerit in possessionem, nulla alia solemnitate adhibita, possit facere rem, seù res extimari per extimatorem Communis Mediolani, & si Commune non haberet extimatorem, quod tunc eligantur per Iudicem tres boni Viri illius Contratæ, in qua sit sita ipsa res, & facta dicta extimatione forma prædicta, possit debitor res extimatas recuperare infrà annum, si debitum cum expensis soluerit, vel paratus fuerit cum effectu soluere creditori, & teneatur creditor rem cum fructibus restituere, vel fructus, seu extimationem fructuum in debitum cum expensis computare, nec possit creditor dictas res vllo modo deteriorare, vltrà verò annum non possit debitor dictas res recuperare, slz. efficiantur dicti debitoris, nisi quantitas, & extimatio rei, & fructuum excederet debitum cum expensis, quo casu creditor teneatur residuum extimationis restituere debitori.

Verùm si Actor, vel legitima persona pro eo malit id cuius occasione citatio fuerit missa liquidare, possit Actor per se, vel per legitimam personam pro eo, citato tantum reo de nouo, & Iudex teneatur tunc terminum assignare decem dierum vtilium, seù minorem vtsupra. Si verò contingat reum comparere infrà dictum terminum dictorum decem dierum per se, vel legitimam personam pro eo, assignato dicto Actori vtsupra, tunc & eo casu elapso dicto termino teneatur dictus Iusdicens assignare terminum similiter decem dierum ipsi reo vtsupra petenti ad probandum.

Item, si quis seruitor citationem aliquam de cætero fecerit, seù requestam portauerit

uerit in qua non sit intentio inserta, & scripta propter quam citatus, seù citandus, in ius vocatur, & nomen Iudicis, & eius ad cuius petitionem citatio facta fuerit, & ipsius citati, seù citandi, & seruitoris, & eius, qui citationem scripserit, & terminum, incurrat ipso facto pœnam soldorum decem tertiolorum, quàm exigere, inde teneatur, absque aliqua condemnatione, & processu omnibus iuris remedijs, quam citationem, seù requestam teneatur seruitor sub dicta pœna dimittere citato, seù citando, si personaliter fuerit citatus, vel ad locum vbi citatio fieri contigerit, & debuerit, de qua citatione teneatur sub dicta pœna dictus seruitor facere relationem, tàm ad requisitionem eius, qui fecit citari, quàm etiam eius, qui citatus erit, vel contra quem, vel in eius præiudicium processus factus fuerit.

Item, quod quilibet de Seprio, & Bolgaria, qui se cum familia de cætero absentauerit à dictis locis, possit pro quolibet debito publico, vel priuato requiri, & citari ad domum, vbi habitabat tempore absentationis, si habitationem habebat, & si habitationem non habebat, vbi consueuit habitare, & publicè in contrat in qua sit dicta domus, & vltrà spatio octo dierum ad minus assignato, & ipsa citatio sic facta habeatur pro legitima citatione, & omnes processus contra taliter citatum facti valeant, & teneant, & executioni mandentur, ac si legitimè esset citatus.

Item, quod citationes fieri possint, & debeant in ciuilibus personaliter, vel ad domum habitationis in Bolgaria, & Seprio, & si habitationem certam non habet, citationes fieri possint, & debeant in loco, vbi habitare consueuit, & nihilominus fiat, vt de citatione absentis per aliud statutum est prouisum.

Item denunciationibus, & oblationibus, vt eodem modo fieri possint, & debeant.

Item, quod in omni relatione seruitoris, quæ facta fuerit in casu ciuili, vel criminali contineri debeat nomen terræ in qua ipsa citatio facta fuerit, aliter ipsa citatio, seù relatio non valeat, nec teneat.

Item, quod si quis in iudicio negauerit aliquem esse, vel fuisse filium, patrem, vel auum, vel legitimum, vel esse, vel fuisse ascendentem, vel descendentem, vel hæredem alicuius, vel aliquem fore defunctum de quo interrogatus fuerit, vel positum fuerit, & probatum fuerit illud, quod negatum fuerit esse, vel fuisse verum, negans condemnetur per eundem Iudicem coram quo fuerit negatum in lib. quinquaginta terciolorum, cuius pœnæ medietas sit, & applicetur Cameræ nostræ, & alia aduersarij, & vlterius teneatur ad restitutionem omnium expensarum, damnorum, & interesse, quæ ea occasione aduersarius passus fuerit.

Item statuimus, quod in qualibet causa ciuili, in qua à parte parti iusiurandum defertur, siuè antè, siuè post libellum, teneatur pars illa, cui deferetur Sacramentum iurare ad terminum per Iudicem statuendum, qui terminus non sit minor tribus diebus, vel iusiurandum referre, dum dictum Sacramentum deferatur in facto proprio eius, cui defertur, & stetur Sacramento eius, cui defertur in omnibus, & per omnia, tàm super forma Sacramenti, quàm super quibuslibet alijs dependentibus, vel facientibus ad negotium de quo quæritur, & in Sacramento fit mentio, quo ad excludendum, vel deferendum intentionem deferentis Sacramentum, & si ille cui delatum est Sacramentum, ipsum non præstiterit in dicto termino, habeatur ipso iure pro relato ipsi deferenti, quo casu sufficiat iurare de credulitate per eum, cui habetur pro relato, qui deferens Sacramentum, & cui fuerit relatum, vel pro relato habitum vtsupra, iurare possit super ea forma infra simile terminum quo primus iurare, vel referre debebat, & si iurauerit ad dictum terminum, stetur eius Sacramento, tàm per se, quàm contra se, & si non iurauerit vtsupra, habeatur illud Sacramentum pro non delato, & pro non relato, nec possit post hæc dare forma Sacramenti, super his de quibus

aliàs

alias fuerit delatum Sacramentum. Et hoc statutum obseruetur, & obseruari debeat præcisè per quemlibet Iusdicentem, non obstante statuto de Sapientibus dandis, nec aliqua alia exceptione, vel oppositione.

Item, quod si quæstio, causa, lis, vel controuersia quocumque iure quis agere velit, siuè reali, siuè personali, vel mixta actione, siuè officio, siuè petitorio, siuè possessorio, siuè quacumque alia actione, quæ fuerit libratum centum tertiolorum, vel abindè infrà, vel super re, vel iure illius extimationis, vel infrà coràm Vicarijs nostris Seprij, & Bolgariæ de cætero per dictos Vicarios nostros in eis, & qualibet earum procedatur, & procedi debeat simplicitèr, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij, & quod in prædictis quæstionibus, causis, litibus, & controuersijs, non possit denunciari debere haberi Consilium Sapientis, nec Iudex teneatur committere talem quæstionem consulendam, nec aliquam eidem emergentem, vel incidentem ante litem contestatam, vel post, slz. per se debeat cognoscere, & determinare, tàm super interlocutorijs, quàm diffinitiuis, absque Consilio alicuius Sapientis. Et instantia talium quæstionum, litium, vel controuersiarum solùm durare debeat per spatium vigintiquinque dierum vtilium, & non vltra, qui vigintiquinque dies incipiant currere a die comparitionis rèi, vel sui Procuratoris.

Idem habeat locum in omnibus, & per omnia in causis, litibus, quæstionibus, & controuersijs Pupillorum, Viduarum, Orphanorum, & Miserabilium personarum, Alimentorum, & Legatorum factorum ad pias causas, & executionem de prædictis, & quolibet eorum facere possint, & debeant supradicti nostri Vicarij omni die feriato, & non feriato, & in eis casibus etiam non subditi dictæ nostræ iurisdictioni gaudeant, & gaudere debeant beneficio nostrorum Statutorum præsentium.

Si verò quæstio, causa, lis, aut controuersia vtsupra, sit à libris centum tertiolorum supra, vsque ad summam tercentum lib. tertiolorum, vel super re, vel iure exceden. prædictam quantitatem vtsupra, Vicarius cognoscens de prædictis teneatur, & debeat super quibuscunque interlocutorijs, siuè emergentibus, siuè incidentibus, siuè alijs quibuscunque quæstionibus pronunciare, & determinare, absque alicuius Sapientis Consilio; & in prædictis quæstionibus emergentibus, vel incidentibus, vel alijs interlocutorijs non possit denunciari debere haberi Consilium Sapientis; quæstionem verò principalem teneatur, & debeat committere consulendam alicui Iurisperito de Collegio Iudicum Mediolani, ex numero confiden. vel partibus non suspecto, & hoc si per aliquam partium, elapsis terminis ad probandum fuerit à Vicarijs requisitum, aliàs ipse teneatur per se pronunciare; in quibus quæstionibus, causis, litibus, & controuersijs Actor petitionem porrigat suis expensis, citato reo, aut eius Procuratore pro eo, in qua petitione in scriptis data, & actis inserta contineatur nomen Iudicis, & Actoris, rei, & res quæ petitur, seu factum, & causa ex qua petitur, quæ petitio sic porrecta habeat vim solemnis libelli, & per Vicarium, seu Iusdicentem incontinenti statuatur terminus reo, vel eius Procuratori duorum dierum vtilium deliberandi, & respondendi dictæ petitioni, clarè affirmando, vel negando, absq; aliquo iuramento calumniæ, quo termino elapso lis habeatur pro legitimè contestata, & teneatur, & debeat incontinenti dictus Vicarius statuere terminum Actori, & reo, seu eius Procuratori pro eis ad faciendum omnes suas probationes, & probatum habendum infrà viginti dies vtiles per omne genus probationum, qui terminus sic statutus habeatur pro peremptoria dilatione, & minus arbitrio Vicarij, inspecta qualitate personarum, & rei, causæ, loci, temporis, & facti, quo termino elapso incontinenti ipso iure intelligantur dicta testium publicata, & post quem terminum, si

aliquis

aliquis dictai si partium quouis modo voluerit reprobare, vel infringere testes, vel attestationes testium productorum, vel instrumenta producta, ipso iure habeat, & habere intelligantur vltrà dictam dilationem octo dies vtiles ad reprobandum,& infringendum testes,attestationes,& instrumenta productos, & producta, quibus dilationibus elapsis, Vicarius teneatur, & debeat ad instantiam partium,seù alterius earum Procuratorũ ipsarum,vel alicuius ipsarum committere quæstionem principalem vni; vel pluribus Iurisperitis de numero confidentium, seù non suspectorum de Collegio Iudicum Mediolani. Qui Commissarius, seù Commissarij teneantur, & debeant mittere Consilium suum in scripris dicto Vicario infra octo dies vtiles ; qui octo dies incipiant currere post allegationes partium factas, & præsentationem actorum causæ eidem factam,& quo Consilio eidem præsentato, Vicarius teneatur, & debeat ea die, vel sequenti pronunciare dictum Consilium;& instantiã talium causarum, litium, quæstionum, & controuersiarum duret, & durare debeat tantùm per quadragintaquinque vtiles, & non vltrà, & incipiat terminus dictæ causæ instantiæ currere à die contestationis verè, vel fictè factæ.

Si verò causa, lis, quæstio, vel controuersia vtsupra,fuerit à trecentis libris tertiolorum supra, quantacunque fuerit quantitas, vel super re, vel iure illius extimationis data pet tione vtsupra, Vicarius, seù Iusdicens incontinenti teneatur, & debeat statuere reo terminum trium dierum vtilium ad respondendum petitioni, seù libello porrecto, clarè affirmando, vel negando vtsupra ; quo termino elapso lis habeatur pro legitimè contestata, siuè responsum fuerit per eum, vel per eius Procuratorem ; siuè non, quo termino elapso, præstito Sacramento calumniæ per partes, Vicarius teneatur, & debeat incontinenti statuere terminum partibus pro prima dilatione ad probandum decem dierum vtilium, quo termino elapso,pro secunda dilatione statuere debeat alium terminum aliorum decem dierum vtilium, & eo elapso, pro dilatione tertia, septem dierum vtilium ad probandum, & habere probatum per omne genus probationum, & possit dictus Vicarius minores dilationes statuere arbitrio suo in prædictis, inspecta qualitate personarum, rei, causæ, loci, temporis, vel facti ; quibus dilationibus elapsis, Vicarius teneatur, & debeat publicare dicta testium,& processuum ; verùm si aliqua partium voluerit reprobare, vel quouis modo infringere testes productos, seù attestationes ipsorum, vel instrumentum, vel instrumenta producta, vel effectum ipsorum, quod tunc,& eo casu pars, quæ voluerit talitèr infringere, vel reprobare ipso iure habeat, & habere intelligatur vltrà dictas dilationes decem dies vtiles ad reprobandum, & infringendum testes, attestationes, & instrumenta productos, & producta; quibus dilationibus elapsis, dictus Iudex teneatur, & debeat ad instantiam partium, seù alterius earum, seù Procuratoris, vel Procuratorum ipsarum committere quæstionem principalem vni, vel pluribus Iurisperitis, partibus non suspectis, de numero confidentium, de Collegio Iudicum Mediolani, qui Commissarius, seù Commissarij teneantur, & debeant mittere Consilium suum in scriptis dicto Vicario infrà quindecim dies vtiles, qui quindecim dies incipiant currere post præsentationem actorum causæ eidem factam, & post allegationes partium ; & qui Vicarius teneatur, & debeat infrà tertiam diem post præsentationem Consilij sibi factam, si Iudex fuerit requisitus per aliquam dictarum partium, pronunciare Consilium sibi datum.

Incidentes verò, & emergentes quæstiones, & alias interlocutorias in prædictis, seù aliqua ipsarum, per se Vicarius determinare debeat, si partibus placuerit, aliàs committere teneatur vni, vel pluribus de Collegio Iudicum Mediolani partibus non suspecto, vel ipsis partibus confidenti, vel confidentibus si ei denunciatum fuerit debere haberi Consilium Sapien. per aliquam prædictarum

partium

partium, & instantia dictarum causarum, litium, quæstionum, & controuersiarum solum durare debeat per spatium sexaginta dierum vtilium, & non vltra, & incipiat currere terminus dictæ instantiæ à die contestationis verè, vel fictè factæ, & si contingat, quod per denunciationem debere haberi Consilium Sapien. causa plus debito traheretur, tunc Vicarius teneatur, & debeat omnes supradictas dilationes taliter moderare, quod causa, lis, quæstio, vel controuersia talis infrà sexaginta dies vtiles necessariò terminetur. Ità quod per malitiam, vel calliditatem, vel subterfugia partium, vel alicuius ipsarum, instantia perire non possit.

Item statuimus, & ordinamus, quòd à sententijs ferendis per prædictos Vicarios, seù per aliquem ipsorum in causis, litibus, quæstionibus, seu controuersijs ciuilibus, in quibus de iure potest appellari, appelletur, & appellari debeat ad nos, & quòd appellans debeat appellare infrà tẽpus de iure statutũ, & quòd pars appellans teneatur coram nobis, vel Vicarijs nostris, vel eorum altero producere, & notificare appellationem suam infra tempus quatuor dierũ post appellationem interpositam, & quòd in causa dictæ appellationis procedi possit absque litis contestatione, & quod vtraque partium, tàm appellans, quàm appellari teneatur infrà viginti dies vtiles à die commissionis per nos factæ computandos, producere coram illo Vicario, vel Iudice, cui dictam causam duxerimus committendam omnia instrumenta, & iura, & testes, & attestationes, quibus vti vult in dicta causa, & quod instrumenta, iura, testes, vel attestationes non possint per aliquam partium produci in dicta causa post dictum terminum dierum viginti vtilium, & quòd si aliqua partium produxerit aliquid de nouo infrà tempus dictorum viginti dierum vtilium, altera pars, ad reprobandũ contra ipsum de nouo taliter productum, habeat spatium quinque dierum vtilium, quibus dilationibus elapsis, Iudex ille, qui de dicta causa dictæ appellationis cognouerit, incontinenti teneatur ipsam committere Iudici partibus non suspecto, vel ipsam quæstionem terminare, si fuerit de partium voluntate, qui Commissarius teneatur consilium suum dare in scriptis in dicta causa infra quinque dies vtiles, & Iudex, cui commissa fuerit dicta causa dictæ appellationis teneatur ipsam definire, & terminare infra tres dies à præsentatione dicti consilij.

Statuimus etiam, quod in causa appellationis procedatur summariè, & de plano, & quod non appelletur per eundem, nisi semel super his super quibus succubuerit.

Item, quod non possit appellare verus contumax, & intelligatur verus contumax tantùm, si citatus personaliter responderit nolle venire.

Item, si quis dixerit sententiam nullam, & in ipsa causa nullitatis succubuerit, non possit ab ea sententia in causa nullitatis lata appellare, nec de eius nullitate agere.

Item, quod causa nullitatis principalis non duret, nec durare possit vltra quàm durat causa appellationis; & eo modo in causa nullitatis procedatur, quemadmodum procedendum est, seu procedi potest in causa appellationis.

Item, quod Iudex appellationum possit in sua sententia principalem sententiam reformare, & corrigere in toto, vel in parte, vt Iustitia suadebit, esto quod sic non fuerit petitum, vel tali forma appellatum.

Item, statuimus, & ordinamus, quod propter ineptam petitionem, vel omissum ordinem in causa appellationis, causa non vitietur, vel iuditium fiat nullum.

Item, statuimus, & ordinamus, quòd in decisionibus causarum ciuilium seruentur in Comitatu nostro Mediolani Statuta Ciuitatis Mediolani, in quantum non sint contraria præsentibus nostris Statutis.

Item, statuimus, & ordinamus, quòd vbicunque in Statutis Ciuitatis Mediolani

dicatur, vel contineatur, quòd citatio, vel aliquid aliud debeat fieri in Broleto Communis Mediolani, quòd sufficiat in dictis Terris, & locis Seprij, & Bolgariæ fieri in loco Tribunalis publicè vbi ius redditur per illum Vicarium, qui citationem prædictam fieri fecerit, vel aliud quod requireretur fieri in Broleto nouo Communis Mediolani. Item, statuimus, & ordinamus, quod Vicarij nostri Seprij, & Bolgariæ, & quilibet ipsorum, quibus concessimus merum, & mixtum Imperium possint, & debeant cognoscere de omnibus quæstionibus, & delictis, seù maleficijs ex officio per inquisitionem, accusationem, & denunciationem, & inquisitio non tollatur, superueniente accusatione, slz. vtraq; via possint procedere ad puniendum crimina, delicta, seù maleficia, & habeant arbitrium procedendi in prædictis, & etiam tormentandi legitimis, præcedentibus inditijs semel, & pluries, prout qualitas delicti exigerit, consideratis conditionibus personarum, delictorum, locorum, & temporum; condemnationes verò de prædictis facere teneantur secundum formam Statutorum Communis Mediolani, & his deficientibus secundum iura communia; citationes verò in dictis casibus, hoc ordine limitato, fiant, quia si inculpatus de crimine delicto, seù maleficio fuerit de Ciuitate Mediolani, vel in ipsa Ciuitate Mediolani habitauerit, vel intra Corpora Sanctorum dictæ Ciuitatis, citari debeat personaliter, si inuentus fuerit, vel ad domum habitationis suæ, dimissa cedula ad hospitium habitationis suæ continente, vt infra; & si non fuerit personaliter inuentus, vel habitationem non habuerit, citetur, & citari debeat sono Tubæ super scalas Pallatij in Broleto nouo Communis Mediolani, dimissa copia, in qua contineatur nomen Iudicis, citantis, & illius, qui citandus fuerit, cum pronomine, seù cognomine, & expressione maleficij, cuius occasione fiat dicta citatio, & etiam cum expressione loci vbi crimen, seù maleficium dicatur fuisse commissum, & cum termino eidem per dictum Iudicem ordinato, intra quem, ad defensionem sui comparere debeat, quæ cedula sic scripta ponatur ad Collegium Scalarum dicti Pallatij; citetur etiam publicè, modo prædicto, in loco vbi Iudex citati sedet pro iure reddendo, & in loco maleficij; si verò fuerit aliunde extra loca Seprij, & Bolgariæ, tunc fiat citatio in loco maleficij publicè, & in loco vbi Iudex, seù Vicarius sedet pro iure reddendo, & affixa cedula, de qua supra fit mentio in loco pro Tribunali prædicto.

Si verò fuerit de partibus Seprij, & Bolgariæ, fiat citatio prædicta in loco maleficij, & in loco in quo habitabat, si habitare consueuit inculpatus, & in loco vbi sedet pro Tribunali Iudex de maleficio cognoscens, cum cedula suprascripta, vel personaliter, si inueniri potest, & si taliter requisitus non venerit, vel si venerit, & terminus statutus fuerit, & ad illum terminum non venerit, in banno ponatur, octo dierum spatio sibi dato, & si per illos dies octo steterit scriptus in banno, & non venerit, habeatur pro præterito, & confesso, siue procedatur per accusam, siue denunciationem, siue per officium.

Item, statuimus, & ordinamus, quod delinquentes in partibus, seù Terris Seprij, & Bolgariæ puniantur per illum Vicarium, seù Iusdicentem, in cuius iurisdictione erit commissum delictum, maleficium, seù crimen, & processus, & executio fiat, & fieri debeat per eundem Vicarium, vel successorem eius, & non per aliquem alium Vicarium, vel Iusdicentem, nisi hoc fieret de nostro mandato.

Item, statuimus, & orninamus, quod omnes condemnationes faciendæ per quoslibet Vicarios nostros Seprij, & Bolgariæ à centum soldis tertiolorum supra, fieri debeant per ipsos, quod applicentur Cameræ nostræ, à centum soldis verò tertiolorum intra inclusiuè applicentur, & applicari debeant Communitatibus illius loci, vbi commissum fuerit illud, ex quo condemnatio fiet.

Item, statuimus, & ordinamus, quod salaria Vicariorum nostrorum Seprij, & Bolgariæ

Bolgariæ soluantur, & solui debeant modo infrascripto videlicet, quod soluantur per homines dictorum locorum, & Nobil. habitan. in eisdem, & habentes æstima sua in eisdem Terris, seu locis secundum impositionem florenorum vltimò factam in decretis MCCCLIII., vel MCCCLIIII., vel MCCCLV. Nobiles verò dictarum partium habentes æstima sua in Ciuitate Mediolani, & pro ijs ibi soluentes onera ad dictam solutionem minimè teneantur.

Item, in prædictis omnibus, & singulis Statutis, Decretis, & Ordinationibus nobis, & nostro arbitrio reseruamus, & ipso iure reseruata esse volumus, omnem liberam, & meram potestatem, & bayliam addendi, detrahendi, & corrigendi, mutandi, & declarandi, interpretandi, & de nouo faciendi prout nobis meliùs esse videbitur.

Item, statuimus, & ordinamus, quod omnia Statuta, prouisiones, & consuetudines, & iura tàm ciuilia, quàm municipalia hinc retrò facta, quæ quouis modo præsentibus Statutis, tàm ciuilibus, quàm criminalibus obuiarent, seu contraria viderentur ipso iure sint cassa, & irrita, & de cætero habeantur in Terris, & Comitatu Mediolani prædictis nobis suppositis.

Item, præcipimus, & mandamus omnibus Vicarijs nostris Seprij, & Bolgariæ, quod fieri faciant de omnibus condemnationibus, & bannis factis, & fiendis per ipsos duos libros, ita quod dicta banna, & condemnationes dupplicentur, & exemplentur; vnum librum dictarum condemnationum, & Bannorum esse volumus apud nos, & officiales, quos ad hoc deputabimus in Ciuitate Mediolani, alium verò reponi volumus in fine quorumlibet sex mensium apud Fratres Minores in loco congruo eligendo ex tunc per ipsos Vicarios nostros in locis Gallarati, Varisij, Seroni; in loco verò Mazentæ apud Capellanum Ecclesiæ Mazentæ in loco congruo eligendo vtsupra, quæ loca singulariter habere volumus clauaturas, & claues duas, quarum clauium vna sit apud Vicarium dictorum locorum, & alia sit apud Guardianum ipsorum locorum, & Capellanum prædictum, & quod teneantur dicti nostri Vicarij omni mense in fine mensis ad nos mittere Mediolani omnes condemnationes, & banna factas, & data per ipsos, & viriliter exactiones earum facere, sub pœna nostri abitrij, & facere quod Notarij ipsorum, qui receperint, vel receperunt aliquid de condemnationibus, & bannis prædictis, vel aliquid aliud, quod ad nos spectet Mediolani coram nobis præsentent omnes pecunias, & alia per eos habita, & percepta in fine cuiuslibet mensis.

Decretum causarum ciuilium in Ciuitate, & Suburbijs Mediolani, vigens, factum in Consilio generali de mandato Dominorum, Dominorum Bernabouis, & Galeaz Dominorum Mediolani &c.

IN Nomine Domini Amen. MCCCLVI. Indictione nona, die Mercurij vigesimoquinto mensis Madij, super Palatio nouo Communis Mediolani posito in Broleto nouo dicti Communis. Conuocato, & congregato Consilio noningentorum Virorum Consiliariorum Ciuitatis Mediolani, qui sub vocabulo Generalis Consilij comprehenduntur sono campanæ, & voce Præconia, vt moris est, de mandato Nobilis & Potentis Viri Domini Gotofredi de Sexto Ciuitatis, & districtus Mediolani honorabil. potestatis; in quo quidem Consilio aderant, & sunt ipse Dominus Potestas, & cum eo Sapiens Vir Dominus Nicolaus de Aretio Iurisperitus Vicarius generalis Magnificorum Dominorum, Dominorum Bernabouis, & Galeaz fratrum de Vicecomitibus Mediolani &c. Dominorum generaliũ, & duodecim Præsidentes prouisionibus, & negotijs Communis Mediolani, & quod Consilium habet potestatem, & bayliam de infradictis, & infradicta

infradicta faciendi, & explicandi, tàm de iure, quàm de antiqua consuetudine hactenus obseruata, ibidem Sapiens Vir Dominus Iohannes de Olduynis de Cremona Legumdoctor Vicarius præfati Domini Potestatis in ipso Consilio, & coràm omnibus, & singulis Consiliarijs, & popularibus in ipso Consilio existentibus proposuit, & dixit, vt cũ de mandato præfatorum Dominorum Bernabouis, & Galeaz Mediolani &c. Dominorum generalium facta, & compilata sint de nouo infrascripta Decreta, Statuta, & Ordinamenta pro communi bono, & Statu præfatorum Dominorum, & Communis, & hominum Ciuitatis, Suburbiorum, & Corporum Sanctorum Mediolani, circa ordinem ciuilium causarum edita, quæ sunt in volumine ibi in dicto Consilio, & coràm ipsis Consiliarijs præsentata, quæ hinc retro in ipsis Ciuitate, & Suburbijs vigorem non habuerunt, nec seruata sunt, & ad hoc vt litium, & quæstionum amputetur materia, & parcatur laboribus, & expensis hominum dictæ Ciuitatis, Suburbiorum, & Corporum Sanctorum, quid videtur ipsis Consiliarijs, & Consilio, vtrum ipsa Statuta, & Ordinamenta sint publicanda, & de cætero seruanda in dictis Ciuitate, & Suburbijs, & infrà Corpora Sanctorum Mediolani, vel non, & an ipsa Statuta, & Ordinamenta locum habere debeant, tàm in causis, quæstionibus, litibus, & controuersijs ciuilibus pendentibus, & inchoatis, quàm de cætero inchoandis; ità tamen, quòd ipsæ causæ, quæstiones, lites, & controuersiæ inchoatæ, seù pendentes non possint excedere tempus causarum, litium, quæstionum, & controuersiarum de cætero inchoandarum, ab ipsis Consiliarijs, & Consilio petijt, & requisiuit, & petit, & requirit Consilium exhiberi, & secundum eorum Consilium in prædictis procedetur. In quo quidem Consilio facto partito de sedendo ad leuandum, vt moris est, per suprascriptum Dominum Iohannem Vicarium suprascripti Domini Potestatis, quod quibus placet, quod consultum est per suprascriptos Consiliarios, sedeant, & quibus contrarium placet, stent in pedibus, obtentum, & reformatum fuit, & est per duas partes, & vltra dicti Consilij, quod tenore præsentis Consilij, & reformationis ipsa Statuta publicata sint, & pro publicatis habeantur, & quòd de cætero ab hodie in antea seruentur per quoscunque in Ciuitate, Suburbijs, & Corporibus Sanctis Mediolani, tàm in causis, litibus, & quæstionibus ciuilibus pendentibus, quàm de cætero inchoandis, quæ quidem capitula, seù Statuta sequuntur in hac forma.

Cupientes litibus finem debitum, & velocem imponere, & Subditorum commoditatibus, totis viribus prouidere, cauillationum, subterfugiorumque materias amputare, & vt ab aliquo, seù aliquibus iuridicè ex quacunque causa licita debentes recipere, vel habere, possint ad sibi debita (reiectis exceptionibus friuolis, & temporum prolixitatibus) debitè peruenire, vt parcatur litigantium laboribus sumptibus, & expensis, Causidicorumque malitijs obuietur, prouideaturque bonis, & pacificis Pauperibus, Pupillis, & Orphanis, necnon miserabilibus Personis, ac cæteris alijs quibuscunque, vigilanti animo, & solerti cura, communique vtilitate circumspecta duximus salubriter, & ex certa scientia prouidendum, vt infrà, ac statuimus, & prouidemus, decernimus, & edicimus omni auctoritate, modo, & via, quibus melius possumus, quod in omnibus causis, quæstionibus, litibus, & controuersijs ciuilibus, cuiuscunq; rei, iuris, summæ, quantitatis, & valoris sint, vel existant, aut existere possint de cætero, inchoandis à die xxv. mensis Madij præsentis in antea, coràm quocunque Potestate, Vicario, Assessore, Iudice, Consule, vel alio quocunque Iusdicente obseruetur, & obseruari debeat de cætero infrà infrascriptus ordo, modus, & forma.

In primis namq;, quod quælibet legitima persona ad petendum, intendens, agere, vel petere per se, vel alium, quocunque iure agere velit, siuè reali, siuè personali,

siuè

siuè mista actione, siuè officio, siuè possessorio, siuè quacunque alia actione corám aliquo Iusdicente, citato reo, vel eo, aut eius Procuratore præsente, vel legitima persona pro eo, petitionem eius porrigat suis expensis reo, vel eius Procuratori, vel legitimæ personæ pro eo. In qua petitione in scriptis data, & actis inserta contineatur nomen Iudicis, actoris, & rei, & res, seù factum, & causa ex qua petitur. Quæ petitio sic porrecta habeat vim solemnis libelli, & per Iusdicentem incontinenti statuatur terminus reo, vel eius Procuratori vnius diei vtilis declarandi, & respondendi dictæ petitioni, claré affirmando, vel negando absque aliquo iuramento calumniæ, quæ responsio habeatur pro legitima litis contestatione, & si responderit affirmando per se, vel legitimam personam pro eo, tunc Iusdicens eum condemnet eatenus quatenus affirmauerit, seù confessus fuerit vtsupra, ad soluendum, seù satisfaciendum infrà terminum, qui Iudici competens videatur, considerata qualitate, rei, loci, vel quantitatis petitæ, & conditione personarum. Si verò responderit negando, eatenus quatenus negauerit per se, vel legitimam personam, incontinenti facta dicta responsione, statuatur per Iusdicentem terminus Actori, vel eius Procuratori, vel legitimæ personæ pro eo ad probandum, & probatum habendum intentionem suam per omne genus probationum super dicta sua petitione decem dierum vtilium, & minorum arbitrio Iusdicen., inspecta qualitate personarum, rei, causæ, loci, temporis, & facti, qui terminus sic statutus habeatur pro perhemptoria dilatione, quo termino elapso Iusdicens teneatur, & debeat incontinenti statuere terminum simile reo, vel legitimæ personæ pro eo, vel absen. per contumaciam per omne genus probationum, & minorem arbitrio Iusdicentis vtsupra, proximè, eo intellecto, quod dictæ dilationes probandi sint communes, quibus dilationibus elapsis, Iudex teneatur, & debeat publicare dicta testium, & processuum; verùm si aliqua dictarum partium distulerit producere instrumentum, vel instrumenta per quinque dies propè finem vltimæ dilationis, & alia pars velit reprobare, vel quouis modo infringere dictum instrumentum, vel instrumenta, vel eius effectũ, quod tunc illa pars, quæ vult taliter infringere, vel reprobare, ipso iure habeat, & habere intelligatur vltrà dictas dilationes, quinque dies vtiles ad reprobandum, & infringendum, & similem terminum quinque dierum vtilium, post attestationes publicatas, quælibet dictarum partium intelligantur habere, & habeat ad reprobandum, & infringendum personas testium, & dicta eorum, quibus dilationibus elapsis, dictus Iudex teneatur, & debeat, ad instantiam partium, seù alterius earum, seù legitimæ personæ pro eis, committere quæstionem principalem vni, vel pluribus Iurisperitis de numero confidentium. Qui Commissarius, seù Commissarij teneantur, & debeant mittere Consilium suum in scriptis ipsi Iudici infrà decem dies vtiles, & qui Iusdicens teneatur, & debeat pronunciare ea die, vel sequenti si fuerit iuridica, si inde fuerit requisitus, sub pœna librarum quinquaginta tertiolorum dicto Iusdicenti, & qualibet vice.

Si autem reus fuerit citatus, & venerit per se, vel per legitimam personam, & petitioni sibi datæ ad dictum terminum vnius diei vtilis non responderit vtsupra, tunc lis habeatur ipso iure pro contestata, post quæ ad instantiam Actoris, seù legitimæ personæ pro eo, dictus Iusdicens teneatur, & debeat assignare terminum decem dierum vtilium vtsupra, quo termino elapso, si reus non comparuerit per se, vel legitimam personam, vel etiam comparuerit vtsupra, teneatur Iusdicens ipsi reo præsenti per se, vel per legitimam personam pro eo, seù per contumaciam absenti similem terminum assignare: eo acto, quod quæ dicta sunt, quod dilationes sint communes, & de dilationibus dandis ad reprobandum instrumenta, & testes, & de commissione, & pronunciatione Consilij, hic intelligantur repetita.

 Si

Si verò reus citatus nullo modo compareat ad terminum sibi assignatū per seruitorem, seù nuntium Communis, teneatur Iusdicens, si inde requisitus fuerit, decernere actorem, seù legitimam personam pro eo, mittendum fore in possessionem tedialem bonorum citati, vsque ad summam, seù extimationem debiti declarati in citatione, vel etiam in possessionem speciei in citatione declaratæ, si in ipsam commodè posset fieri missio, & subsequenter faciat ipsum Iudici re, ipsa in possessionem per seruitorem Communis, si verò vltrà creditor procedere voluerit, teneatur denunciare debitori, quod infrà octo dies dictam possessionem recuperet, si eum inuenerit, alioquin vbi habitat, præsente aliquo de familia sua, vel vbi habitare consueuit, si non habet habitaculum, & inde fiat Instrumentum, præteritis verò dictis diebus octo postquam creditor missus fuerit in possessionē, nulla alia solemnitate adhibita, possit facere rem, seù res extimari per extimatorem Communis, & si Commune non habet extimatorem, quod tunc eligantur per Iudicem tres boni viri illius Contratæ, in qua sit sita ipsa res, & facta dicta extimatione forma prædicta, possit debitor res extimatas recuperare infrà annum, si debitum cum expensis soluerit, vel paratus fuerit cum effectu soluere creditori, & teneatur creditor rem cum fructibus restituere, vel fructus, seù extimationem fructuum in debitum cum expensis computare; non possit tamen creditor dictas res vllo modo deteriorare, vltrà verò annum non possit debitor dictas res recuperare, sed efficiantur dicti creditoris, nisi quatenus extimatio rei, & fructuum excederet debitum cum expensis, quo casu creditor teneatur residuum extimationis restituere.

Verùm si actor, vel legitima persona pro eo malit id cuius occasione citatio missa fuit liquidare, possit actor per se, vel legitimam personam pro eo, citato tamen reo de nouo, & Iudex teneatur tunc terminum decem dierum vtilium assignare, seù minorem vt supra. Si verò contingat reum apparere infrà terminum dictorum decem dierum per se, vel legitimam personam pro eo assignatorum dicto actori vt supra, tunc, & eo casu, elapso dicto termino, teneatur Iusdicens assignare terminum similem decem dierum ipsi reo vt supra petenti ad probandum, vt sit ea, quæ dicta sunt in præcedenti capitulo quando reus comparet ad accipiendum petitionem actoris, & non respondet intelligantur repetita.

Si quis seruitor citationem aliquam de cætero fecerit, seù requestam portauerit, in qua nō sit inserta intentio, & scripta propter quam citatus, seù citandus in ius vocatur, & nomen Iudicis, & eius ad cuius petitionem fit citatio, & ipsius citati, seù citandi, & seruitoris, & eius, qui citationem scripserit, & terminus incurrat ipso facto pœnam soldorum decem tertiolorum, quam exigere Iudex teneatur absque aliqua condemnatione, & processu omnibus iuribus, remedijs, quam citationem, seù requestam teneatur seruitor sub dicta pœna dimittere citato, seù citando si personaliter fuerit citatus, vel ad locum vbi citationem fieri contigerit & debuerit, de qua citatione teneatur sub dicta pœna seruitor facere relationem tàm ad requisitionem eius, qui fecit citare, quàm etiam eius, qui citatus erit, vel contra quem, vel in cuius præiudicium processus factus fuerit.

Quilibet Ciuitatis, & Comitatus Mediolani, qui se cum familia de cætero absentauerit à Ciuitate, & Comitatu Mediolani possit pro quolibet debito publico, vel priuato requiri, & citari ad domum, vbi habitabat tempore absentationis, si habitationem habebat, & si non habebat, vbi consueuit habitare, & publicè in Contrata, in qua sit ipsa domus, & vltrà ad scalas Palatij noui Communis Mediolani spatio octo dierum ad minus assignato, & ipsa citatio sic facta habeatur pro legitima citatione, & omnis processus contra taliter citatum facti valeant, & teneant, & executioni mandentur ac si legitimè esset citatus.

Citationes fieri possint, & debeant in ciuilibus personaliter, vel ad domum habitationis

bitationis in Ciuitate, vel Comitatu Mediolani, & si habitationem certam non habet, citationes fieri possint, & debeant in loco vbi habitare consueuit, & nihilominùs fiat, vt de citatione absentis per aliud Statutum prouisum est.

Idem in denunciationibus, & oblationibus, vt eodem modo fieri possint, & debeant.

Si quis in iudicio negauerit aliquem esse, vel fuisse filium, patrem, vel auum, vel legitimum, vel esse, vel fuisse ascendentem, vel descendentem, vel hæredem alicuius, vel aliquem fore defunctum de quo interrogatus fuerit, & positum fuerit, & probatum fuerit illud, quod negatum fuerit esse, vel fuisse, verum negans condemnetur per eundem Iudicem, coram quo negatum fuerit, in lib. quinquaginta tertiolorum, cuius pœnæ medietas sit Communis, & alia aduersarij, & vltrà teneatur ad restitutionem omnium expensarum, damnorum, & interesse, quæ ea occasione aduersarius passus fuerit.

In omni relatione seruitoris, quæ facta fuerit in casu ciuili, vel criminali contineri debeat nomen Parochiæ, vel Contratæ si fuerit in Ciuitate, vel infrà Corpora Sanctorum, & si alibi nomen Terræ in qua ipsa citatio facta fuerit, & aliter ipsa citatio, seù relatio non valeat, nec teneat.

Statuitur, quod in qualibet causa ciuili, in qua à parte parti ius iurandum defertur, siuè antè, siuè post libellũ, teneatur pars illa, cui defertur sacramentũ iurare ad terminum per Iusdicentem statuendum ad iurandum, qui terminus non sit minor tribus diebus, vel ius iurandum referre, dum dictum sacramentum deferatur in facto proprio eius, cui defertur, & stetur sacramento eius, cui defertur, in omnibus, & per omnia, tàm super forma sacramenti, quàm super quibuslibet alijs dependentibus, vel facientibus ad negotium de quo quæritur, & in sacramento sit mentio, quo ad excludendum, vel defendendum intentionem deferentis sacramentum, & si ille cui delatum est sacramentum ipsum non præstiterit in dicto termino, habeatur ipso iure pro relato ipsi deferrenti, quo casu sufficiat iurare de credulitate per eum, cui habetur pro relato, qui deferens sacramenmentum, & cui fuerit relatum, vel pro relato habitum vt supra, iurare possit super ea forma infrà similem terminum, quo primus iurare, vel referre debebat, & si iurauerit ad dictum terminum, stetur eius sacramento, tàm pro se, quàm contra se, & si non iurauerit vt supra, habeatur illud sacramentum pro non delato, & pro non relato, nec possit post hæc dati forma sacramenti super his de quibus aliàs delatum fuerit sacramentum. Et hoc Statutum obseruetur, & obseruari debeat præcisè per quemlibet Iusdicentem, non obstante Statuto de Sapientibus dandis, nec aliqua alia exceptione, vel oppositione.

Statuimus, & ordinamus, quod in his casibus, & intrà illud tempus, quod, & in quibus de iure communi potest appellari, auctoritate præsentis nostri decreti, seù Statuti possit appellari, & quod causa appellationis examinetur, & terminetur infrà viginti dies vtiles à tempore appellationis interpositę per deputatũ, siuè deputandum super appellationibus, alioquin firma remaneat prima sententia elapso dicto tempore. Statuimus etiam, & ordinamus, quod in dicta causa appellationis procedatur summariè, & sine strepitu, & figura iudicij, & quod termini statuantur, & ordinentur arbitrio Iusdicen., dum tamen non excedant tempus supra Statutum, & quod non appelletur per eandem partem, nisi semel super his super quibus succubuerit.

Statuimus, quod quilibet teneatur quibuslibet positionibus in quacunque causa, siue controuersia, vel lite respondere clarè, & sufficienter, & sinè conditione, & quod capitula sint admissa ipso iure, saluo iure non pertinentium, & non admittendorum in fine, interrogationibus verò quibuscunque respondeatur, quibus de iure communi debet responderi.

Statuimus etiam, quod dies termini non computetur in termino, & si dies termini inciderit

inciderit in diem feriatum, quod sequens dies non feriata succedat loco ipsius.

Declaramus, quod in ijs, quæ debentur Communi, vel habenti causam à Communi sit in arbitrio Communis, vel Agentis pro eo, vel habentis causam ab eo Communi vti via præsentium Statutorum, seù alia expeditiori via, si qua in Statutis Communis Mediolani comprehendantur, seù alijs iuribus suis.

Declaramus etiam, quod in casibus, litibus, seu controuersijs, quarum quantitas, seù æstimatio non excedat libr. decem tertiolorum, Iudex pro suæ libito voluntatis cognoscat, & determinet omni solemnitate omissa cum scriptis, & sine scriptis, & diebus feriatis; declaramus etiã, quod si aliquis casus comprehendatur aliquo Statuto Communis, in quo contineatur expeditior, & celerior via in cognoscendo, & terminando, quàm præsenti decreto sit comprehensa, quòd illa in suo robore remaneat.

Decernimus quoque, quod in omnibus causis tàm ciuilibus, quàm criminalibus in quacunque Ciuitate, Terra, Castro, Burgo, & loco nostro Dominio subiectis fiat ius per quemlibet Iusdicentem, cuilibet forensi, ciui, vel terrigenæ incolæ, siuè habitatori alterius cuiuscunque nostræ Ciuitatis, Terræ, Burgi, & loci nostro dominio subiectis in agendo, & defendendo, quemadmodum ac si foret oriundus dictæ Ciuitatis, Terræ, Burgi, & loci nobis subiectus vbi dictus forensis agere, vel conueniri contigerit, nulla amplius obstante exceptione forensis.

Decretum factum super oneribus sustinendis per homines Seprij, & Bolgariæ occasione exercitus, & andatarum, & processit occasione exercitus contra Papiam.

NOS Galeaz &c. Cum inæqualis onerum supportatio inducat plerumque materiam scandali. Volentes, quod onera, tàm imposita, quàm imponenda occasione exercitus, & andatarum factarum de nostri mandato, & faciendarum de cætero in Terris Comitatus Mediolani subditis nobis, & quæ nobis obuenerunt in partem æqualiter supportentur, & congruè inter dictos nostros Subditos diuidantur, hoc præsenti decreto, quod volumus inuiolabiliter obseruari, præcipimus, edicimus, & mandamus onera ipsa diuidi, & partiri debere inter homines, & personas dictarum nostrarum Terrarum, & inter Communia, & loca ipsarum, prout & sicut inferius continetur. In primis, quod plaustra præcepta, & illa, quæ fuerunt ad exercitum nostrum contra Papiam, & Marchionem Montisferrati pro victualibus guastatorum, habeant, & habere debeant pro quolibet eorum, & quolibet die soldos viginti tertiolorum. Item, quod plaustra, quæ fuerunt cum vno præcepto nihil habeant, nisi vt infra; plaustra verò, quæ fuerunt, sine præcepto, vel aliter, quæ retenta fuerunt in exercitu habeant, & habere debeant pro quolibet eorum, & quolibet die solid. viginti tertiolorum. Et hoc pro eo tempore tantùm, quo retenta fuerunt; plaustra verò, & bestię, amissa, seù robata, vel mortua restituantur expensis totius Communitatis Seprij, & Bolgariæ, dum legitimè probetur de amissione, vel robatione, vel morte coràm illo Vicario sub cuius iurisdictione erat ille cuius erant dictæ bestiæ, vel plaustra; guastatores verò habeant, & habere debeãt pro quolibet eorũ, & quolibet die soldos quinq; tertiolorũ; homines verò armati missi, & qui mittentur habeant, & habere debeant ad rationem florenorum trium auri pro quolibet eorũ, & quolibet mense, & ad rationem cuiuslibet mensis, de quibus verò oneribus, & expensis suprascriptis, & etiam inferius soluendis, & sustinendis fiat, & fieri debeat contributio, seù compartitio per totam Communitatem Seprij, & Bolgariæ, & quod ad prædicta omnia, & singula teneantur, tàm nobiles, quàm vicini, ac etiam ciues, qui sustinuerunt, seù qui hodie sustinent onera cum

Communita-

Cõmunitatibus vbi habitauerunt,& habitabunt pro tempore suæ habitationis secundum formam Statutorum Communis Mediolani. Item, quod nobiles forenses, & vicini teneantur ad emptionem armorum, ac etiam ad eundum, & soluendum euntibus cum dictis armis. Et nobiles forenses intelligantur habentes æstimum, & debentes soluere pro extimo in Comitatu. Item similiter teneantur Ciues prædicti,qui sustinuerunt vtsupra, vel sustinere debent vtsupra. Item, quod Vicarij Comitatus habeant, & habere possint, & debeant arbitrium, & bayliam imponendi arma quibuslibet ciuibus forensibus secundum qualitates eorum. Item, quod prædicta omnia onera compartiantur ab vno Communi ad aliud,vlz. medietas secundum taleam, seu impositionem salis, & alia medietas secundum taleam florenorum. Illud idem obseruetur de salario, & oneribus Vicariatus, & ad hoc teneantur nobiles, & vicini vtsupra, & etiam Ciues, qui sustinuerunt, vel sustinere debent vtsupra. Item,quod inter singulares personas Communitatũ compartiantur dicta onera prout homines dictarum Cõmunitatũ sunt, vel erunt concordes. Item quod licitum sit cuilibet Cõmunitati soluere, ac quod soluere possint, & debeant suam partem dictarum expensarum,& onerum de redditibus Cõmunitatũ suarum,qui incantantur,& venduntur,seu vendentur. Item, quod ad prædicta omnia, & singula onera, & conditia teneantur Ciues Burgi,Terræ, & Capsinæ, & omnia loca, & molendina non obstante quod hinc retro ea nec similia soluerint,nec sustinuerint,vel quod sint in possessione libertatis non soluendi, nec sustinendi,saluo tantùm eatenus quatenus haberent priuilegium, seù priuilegia, & immunitates à nobis, vel à prædecessoribus nostris. Item, quod si aliquæ Communitates reperirentur habere impositionem florenorum tantùm, & non salis, quod teneantur in totum ad prædicta secundum ipsam imposit. florenor., & è conuerso,vlz., quod si repetientur habere tantùm impositionem salis, & non floren. quod similiter in totum teneantur secundum, seù super ipsa impositione salis, si verò reperirentur non habere impositionem salis, nec floren., quod nihilominus teneantur, & eis imponatur secundum eorum possibilitatem, & facultatem. Item, quod nobiles, qui sustinere consueuerunt, & debent vtsupra,teneantur subire dicta onera, tàm præterita, quàm præsentia, & futura facta in ea parte, vbi sustinent, seù sustinere debent onera talearum floren.,vicini verò teneantur dicta onera subire in ea parte,vbi habitabant in Kalen. Ianuarij præsentis anni. Item, quod prædicta omnia, & singula habeant etiam locum pro hominibus missis in nauibus, & alijs missis Arenam, & ad custodiam pontis Vigleuani, & Alexan., Terdonam, Placentiam, & alibi. Ita quod pro hominibus missis Placentiam, Terdonam,& Alexandriam, & in partibus illis ante Kalen. Aprilis seruetur taxatio per nos facta de florenis duobus auri pro quolibet pedite in mense. Item, quod prædicta omnia habeant locum tàm in præteritis, quàm præsentibus, & futuris. Et hoc non obstantibus aliquibus statutis, prouisionibus,& ordinamentis, aut literis nostris factis,missis, vel disponentibus in contrarium, quæ omnia, & singula mandamus inuiolabiliter debere obseruari inter prædictos homines, & personas, Communia, & loca Mandantes omnibus,& singulis Vicarijs nostris in Comitatu Medio ani, & quibuslibet Officialib. nostris quatenus prædicta exequantur,& faciant inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani MCCCLVI. die primo Iulij.

Decretum

Decretum factum super oneribus sustinendis per homines Seprij, & Bolgariæ occasione exercitus andatarum, plaustrorum, guastatorum, hominum armatorum, & salariorum Vicariorum, & aliorum onerum.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani, Seprij, & Bolgariæ &c. Dominus generalis. Cum inæqualis onerum supportatio inducat, plerumque materiam scandali, intendentes, quod onera de cætero imponenda occasione exercitus, & andatarum, quæ nostro mandato fient, ac fieri contingent de cætero, necnon Vicariatuum per Communia, vniuersitates, & homines earundem Terrarum Seprij, & Bolgariæ Comitatus Mediolani nobis Subditorum, & quæ nobis in partem obuenerunt æqualiter supportentur, & congruè inter dictos nostros Subditos diuidantur, hoc præsenti decreto, quod volumus inuiolabiliter obseruari, præcipimus, edicimus, & mandamus onera ipsa diuidi, & partiri debere inter homines, & personas dictarum nostrarum Terrarum, plaustra, quæ præcipi contingent, quæ ducentur ad exercitum nostrum, qui fieri continget contra Inimicos nostros pro victualibus, vel alijs de causis habeant, & habere debeant pro quolibet eorum, & quolibet die soldos viginti tertiolorum.

Item, quod plaustra non præcepta, quæ ducentur ad exercitum nostrum cum vno præcepto, vel blada, aut alijs rebus præceptis, vel aliter per nos, aut per Officiales nostros, quæ retinebuntur in exercitu, mandato alicuius nostri Officialis, habeant, & habere debeant ad computum soldorum viginti tertiolorum pro quolibet eorum in die pro eo tempore tantum quo retenta erunt.

Item, quod plaustra, & bestiæ, quæ ducentur ad exercitū si fuerint retenta præcepto alicuius nostri Officialis, & postea amissa, robata, vel mortua fuerint, restituantur expen. totius Communitatis Seprij, & Bolgariæ, dum idoneè probetur, seù fides idonea fiat de amissione, vel robatione, vel morte, coram illo Vicario, sub cuius iurisdictione fuerit ille cuius erant illæ Bestiæ, vel plaustra, & hæc restitutio fiat per Caneuarium Communitatis illius Vicarij, coram quo facta fuerit talis probatio, seù fides idonea infra dies quinque proximos futuros, facta tali probatione, seù fide, & facta tali restitutione, alij Vicarij Seprij, & Bolgariæ infrà dies quindecim à die præsentationis literarum ipsius primi Vicarij, teneantur cum effectu satisfacere Caneuario primi Vicarij eorum contingentem partem dicti damni, siuè dictæ restitutionis, sub pœna cuilibet Vicario recusanti, vel negligenti facere cum effectu fieri suam partem dictæ restitutionis de suo salario, vel hauere proprio dupli, & vltra cogatur cum effectu ad ipsam suam partem dictæ restitutionis per alterum ex Vicarijs nostris generalibus. Et talis restitutio compartiri debeat habito respectu ad summam taleæ floren. & salis Terrarum Iurisdict. cuiuslibet dictorum Vicariorum vlz. taleæ floren. pro medietate, & impositionis salis pro reliqua medietate.

Item, quod guastatores, qui mittentur ad exercitum nostrum, vel alibi nostro mandato, vel alicuius nostri Officialis, habere debeant remunerationem ad computum soldorum quinque tertiolorum in die pro quolibet eorum.

Item, quod homines armati, qui mittentur ad exercitum, vel custodiam aliquam, aut alibi ad nostra seruitia habere debeant remunerationem ad computum floren. trium auri pro quolibet eorum in mense, & ad rationem cuiuslibet mensis, & non vltra, sub pœna cuilibet tàm danti, quàm recipienti, vltrà prædicta, dupli, applican. Cameræ nostræ, & quælibet singularis persona, siuè nobilis habens taleam floren. ibidem siuè vicinus sit, cui per suum Commune præceptum, vel iniunctum fuerit, teneatur personaliter obedire, vel alium, seù alios loco sui subrogare suis expensis, & damnis, sub pœna cuilibet contrafacienti, vel non obedienti floren. decem auri applican. Cameræ nostræ, & vltra conseruandi suum Commune illæsum à prædictis.

Item,

Item, quod de oneribus, & expensis suprascriptis soluendis, & sustinendis fiat, & fieri debeat compartitio, seù contributio per totam Communitatem Seprij, & Bolgariæ, & ad prædicta omnia, & singula teneantur tàm nobiles, quàm vicini. Alij verò Ciues habitantes tàm in Ciuitate, quàm in Comitatu Mediolani habentes taleam, seù impositionem floren. cum aliquibus Parochijs, vel vniuersit. Ciuitatis, aut Suburbiorum, vel Corporum Sanctorum Mediolani, & sustinentes in eis Ciuitate, Suburbijs, vel Corporibus Sanctis onera Barbutarum, Hominum Armatorum, fossatorum, seù refossum, palengatorum, Batifredorum, Turrium, portarum, ponrium, & aliorum onerum eis impositorum, aut de cætero imponendorum ratione summæ, seu quantitatis æstimi, siuè taleæ, siuè floren. non teneantur in aliquo soluere, nec sustinere talia, nec similia onera in Comitatu Mediolani, non obstante quod habitent in aliqua parte Comitatus Mediolani nobis subiecta, aut quod habeant aliqua bona mobilia, vel immobilia in eis partibus dicti Comitatus, saluo quod si quis habens æstimum, seù taleam floren. in Ciuitate, Suburbijs, vel infra Corpora Sanctorum habitat, vel se reducat ad habitandum cum eius familia, vel maiori parte suæ familiæ in aliqua Terra Comitatus Mediolani nobis subdita, in qua Terra facta sit, vel de cætero fiet fortalitia; tunc eo casu, pro eo tempore quo ibi habitant, aut habitat, vel habitabit, teneatur ad custodias dictæ fortalitiæ pro tempore suæ habitationis, & ad onera merè personalia; ita quod si imponatur onus aliquod, quod diuidi debeat pro aliqua parte pro hauere, & pro aliqua parte pro personis secundum formam Statutorum Communis Mediolani, eo casu teneatur sustinere pro ea parte, quæ ei tangeret tantùm pro persona, seù personis, & non pro hauere.

Item, quod Nobiles forenses, ac vicini Comitatus Mediolani, teneantur ad emptionem armorum, ac etiam ad eundum, & soluendum euntibus cum dictis armis. Et intelligantur Nobiles forenses tantùm habentes æstimum, siuè taleam floren., & debentes soluere pro æstimo in Comitatu.

Ciues verò forenses habentes æstimum, siue taleam floren. in Ciuitate, Suburbijs, vel infra Corpora Sanctorum Mediolani, si habitat in aliqua ex Terris Comitatus Mediolani, quæ nobis obuenit in partem, teneatur ad emptionem dictorum armorum, & non teneatur in aliquo ad soluendum, nec satisfaciendum comitibus cum eis armis.

Item, quod prædicta omnia onera compartiantur de vno Commune ad aliud, viz., medietas secundum taleam, seù impositionem floren., & alia medietas secundum impositionem salis.

Item, quod salarium Vicariatus, seù Vicariorum Terrarum, & partium Seprij, & Bolgariæ, quæ nobis in partem obuenit, diuidatur de vno Commune ad aliud eodem modo, quo declaratum est in præsenti decreto, & oneribus exercitus hominum armatorum, & fortalitiarum. Ciues verò forenses positi in talea floren. in Ciuitate, Suburbijs, vel infra Corpora Sanctorum Mediolani habitantes cum eorum familijs, vel maiori parte suæ familiæ in prædictis partibus nostris Comitatus Mediolani teneantur sustinere onera Vicariatus in tempore quo ibi habitabunt.

Item, quod ad alia onera rusticana, quæ non sunt declarata in præsenti nostro decreto, teneantur eo modo, quo sustinere tenentur secundùm formam Statutorum Communis Mediolani factorum MCCCLI. & non aliter, nec alio modo, & pro tempore tantùm quo habitant, siuè habitabunt in eis Terris, & non vltra.

Item, quod Communia Terrarum nostrarum prædictarum, quibus facta est, vel fiet impositio guastatorum, teneantur quantitatem guastatorum eis impositam

consignare

consignare, prout per nos, vel Officiales nostros impositum fuerit. Ad quam consignationem teneantur vicini earum Terrarum, ac etiam Nobiles forenses positi in talea floren. in eis Terris, non obstante Statuto incipiente Ciues, aut Nobiles, & cætera. Et si quis Nobilis à prædictis per literas nostras, aut aliter se defendere vellet ire personaliter in prædictis teneatur dictus talis sic se defendere volens, suis expensis, cum effectu, alium, vel alios guastatorem, vel guastatores subrogare loco sui pro parte eorum guastatorum sibi tangenti, & pro prædictis exonerare, & indemnem conseruare Commune Terræ suæ à quocunque damno, & læsione.

Item, quòd licitum sit cuilibet Communitati soluere, ac quod soluere possint, & debeant suam partem dictarum expen., & onerum de redditibus Communitatum suarum si incantentur, & venduntur, seù vendentur.

Item, quod ad prædicta omnia onera, & conditia teneantur omnes Burgi, Terræ, & Capsinæ, ac omnia loca, & molendina non obstan., quod hinc retro ea, nec similia soluerint, nec sustinuerint, vel quod sint in possessionem libertatis non soluendi, nec sustinendi. Saluo tamen eatenus, quatenus haberent priuilegium, seù priuilegia, & immunitates à nobis.

Item, quod si aliqua Communitas reperiretur habere imposit. floren. tantùm, & non salis, eo casu ipsa Communitas teneatur in totum ad prædicta secundùm ipsam impositionem floren., & è conuerso, viz., quod si reperiretur aliquam Communitatem habere tantùm imposit. salis, & non floren. similiter in totum teneatur secundùm, seù super ipsa impositione salis. Si verò aliqua Communitas reperiretur non habere impositionem salis, nec floren., quod nihilominus teneatur, & imponatur eidem Communitati secundùm eorum possibilitatem, & facultatem, saluo quod si sit aliquis Nobilis habitans extra Comitatum Mediolani, vel extra Terras Comitatus Mediolani, quæ nobis in partem obuenerunt, & sustineat onus salis cum alio Communi quamuis sustineat taleas flor. in aliqua ex Terris Comitatus Mediolani nobis in partem obuentis, tunc, & eo casu teneatur sustinere ratione taleæ floren. pro medietate onerum prædictorum tantùm, & pro alia medietate non teneatur.

Idem sit, & seruetur si quis Nobilis habeat impositionem floren. in aliqua ex Terris Comitatus Mediolani nobis in partem obuentis, & habitat cum familia in altera Terra nobis in partem obuenta, quod onera prædicta sustinere debeat videlicet pro medietate per respectum ad taleam floren. & in ea parte in qua tenetur ad impositionem floren. pro alia medietate in loco suæ habitationis per respectum ad impositionem salis impositæ Communi Terræ in qua habitat.

Item, quod Nobiles, qui sustinere debent in aliqua ex Terris Comitatus Mediolani nobis in partem obuentis vtsupra, teneantur subire dicta onera tàm præterita, quàm præsentia, & futura in ea parte in qua sustinent, seù sustinere debent taleas floren. Vicini verò teneantur sustinere dicta onera in ea parte, in qua habitabant in Kalen. Ianuarij anni currentis MCCCLVI. & per hoc capitulum non tollatur, nec in aliquo lædatur aliquod capitulum præsentis decreti, qui videretur in aliquo obuiare præsenti capitulo, ita quod ipsa alia capitula præsentis decreti rata, & firma sint, & permaneant.

Item, quod prædicta omnia habeant locum, & obseruari debeant tàm in præteritis, quàm in præsentibus, & futuris, & hoc decreto nostro super oneribus condito MCCCLVI. die primo Iulij, nec aliquibus Statutis, prouisionibus, ordinamentis, aut literis nostris factis, missis, vel disponentibus in contrarium non obstantibus. In alijs verò capitulis, casibus, & punctis dicti nostri decreti conditi

die

die primo Iulij anni prox. præteriti non correctis per præsentem decretum ratum, & firmum permaneat illud primum decretum pro tempore præterito tantum. Quæ omnia, & singula volumus inuiolabiliter debere obseruari inter prædictos homines, & Communia, ac loca, prout litera iacet. Mandantes omnibus, & singulis Vicarijs nostris in Comitatu Mediolani, & quibuslibet Officialibus nostris præsentibus, & futuris, quatenus prædicta exequantur, & faciant inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsens decretum fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani MCCCLVII. die xxviij. mensis Iunij decima Indictione.

Quod causæ ortæ, & quæ orientur occasione alicuius Datij cognoscantur, & terminentur solummodo per Iudicem Datiorum, & non per aliquem alium Iudicem, seu Officialem in Ciuitate, & Comitatu Mediolani tantum.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Dominus generalis. Intendentes quod omnes, & singulæ lites, & quæstiones ortæ, & quæ in futurum aliqualiter orientur in Ciuitate, & Comitatu Mediolani, occasione alicuius Datij, pedagij, vel gabellæ, vel alia occasione ab eis, vel eorum aliquo dependenti, emergenti, vel connexa debeant per Iudicem nostrum, qui est & pro temporibus erit Officio Datiorum, & Intratarum Communis Mediolani in Mediolano deputatum cognosci, & fine debito terminari. Mandamus vniuersis, & singulis Potestatibus, Rectoribus, Vicarijs, Officialibus, & Notarijs Ciuitatis, & districtus Mediolani, nostro Dominio suppositis, tàm præsentibus, quàm futuris, quatenus sub pœna floren. centum auri cuilibet ipsorum contrafacien. & Cameræ nostræ applicandorum, de dictis litibus, & quæstionibus, & earum aliqua occasione se de cætero nullatenus intromittant, slz. huiusmodi lites, & quæstiones dicto nostro Iudici totaliter remittant. Nos verò processus omnes quos circa huiusmodi lites, & quæstiones, vel earum aliquam per aliquem alium Iudicem, præterquam per ipsum nostrum Iudicem deputatum, vel deputan. prædicto Officio Datiorum de cætero fieri contingerit, ex nunc, prout ex tunc decernimus, & esse volumus irritos, & inanes, ac nullius valoris, & momenti. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani MCCCLX. Indictione nona die octauo Decembris.

Decretum super committentibus crimen contra læsam Maiestatem.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani, Papiæ &c. Imperialis Vicarius generalis. Ad refrænandum multorum facinora, qui ruptis totius debitæ fidelitatis, & obedientiæ habenis aduersus Statum nostrum, immo verius aduersus Imperialem Maiestatem in Ciuitatibus, Castris, Villis, & Territorijs à Cæsarea Maiestate nobis concessis, quas, & quæ tamquam Imperialis Vicarius regimus, & gubernamus, hostili animo, seu quocunque alio modo nobis, & Statu nostro tranquillo, aduerso, animati conantur, nedum humana, verùm etiam Diuina præcepta, quibus iubetur, quod omnis anima Principibus sit subiecta, sceleratissimis facinoribus, & assiduis rebellionibus demoliri, & dicta nostra Territoria, immo verius Imperialia, cum multitudine latronum, & aliorum peruersorum hominum inuadere, atque occupare ne ex eorum absentia, vel quacunque contumatia in detestando læsæ Maiestatis, seu nostræ dignitatis, Status

nostri læsionis crimen, seu rebellionis processus, & sententiæ retardentur, & tanti sceleris nefanda temeritas remaneat impunita. Hoc edictali, Deo propitio, decreto nostro perpetuò valituro omni auctoritate, & baylia, & qualibet iurisdictione, & Imperiali potestate quibus melius possumus, sancimus, vt in quocunque læsæ Maiestatis, & offensionis cuiuslibet prædictæ nobis, & Statui nostro illatæ crimine, & maximè contra rebelles nostros, vel inuadentes Territorium nostrum hostili animo, seù nostro prædicto per quemcunque Vicarium nostrum generalem, Potestatem, Capitaneum, & Vicarium Ciuitatum, Terrarum, & Villarum prædictarum possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denunciationem summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & alio quocunque modo extra ordinem omnis iuris, & Statutorum solennitate, & substantia omissis, prout illi, qui iusdictioni præest videbitur expedire, ad hoc si qua Communitas, corpus, vel Collegium, vel alia quæuis persona cuiuscunque status, dignitatis, vel conditionis existat, super dicto crimine læsæ Maiestatis, vel rebellionis, per nuncium, vel per epistolam, seu etiam per edictum publicè propositum citata, vel citatum neglexerit in termino personaliter, vel legitimè comparere, contra ipsam, vel ipsum perindè ac si præsentialiter omnibus interfuisset, vel lis foret legitimè contestata, tàm ad receptionem testium, & eorum publicationem, & sequentia, quàm ad diffinitiuam sententiam inclusiuè, & ad publicationem omnium bonorum, & iurium Cameræ nostræ applican. & eius executionem realiter, & personaliter procedatur, legibus, Statutis, & consuetudinibus non obstantibus quibuscunq; Quibus omnibus in contrariū facientibus ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, & auctoritatis prædictæ derogamus. Decernentes, & declarantes, quod illi omnes, & singuli sunt rebelles, & infideles Imperij nostri, & pœnam capitalem, & publicationem bonorum suorum incurrerunt, quicunq; publicè, vel occultè contra debitam fidelitatem, & subiectionem, rebellionis opera faciunt, & in nostram prosperitatem aliquid machinantur, siue in his, quæ ad commissum nobis Vicariatus Officium, seu dignitatem generalis Imperialis Vicarij pertinet repugnant. Hoc autem nostrum generale decretum extendi volumus ad præterita, præsentia, & futura, quod ex nunc, absque alterius temporis expectatione transcursus suum integrum vigorem decernimus obtinere. Anno Domini MCCCLXIII. Indictione prima, die Lunæ secundo mensis Ianuarij.

Decretum, quod vigore pactorum nullus creditor possit vendere bona debitoris.

IN Nomine Domini MCCCLXIII. Indictione prima, die Sabbati octauo mensis Iulij. Prudentes Viri Domini Thomasius de Corpello Vicarius generalis Magnificorum Dominorum Dominorum Bernabouis, & Galeaz fratrum Vicecomitum Mediolani &c. Imperialium Vicariorum generalium, & duodecim Præsidentes prouisionibus, & negotijs Communis Mediolani. Ad obuiandum multis fraudibus, quæ hinc retro commissæ sunt per multas, & diuersas personas, & quæ de cætero committi possent, de consensu, beneplacito, & mandato præfati Magnifici D. D. Galeaz Vicecomitis Vicarij vtsupra, prouiderunt, & ordinauerunt, & prouident, & ordinant, quòd pacta creditorum quouis modo, seu licentiæ, & facultates vendendi, vel aliqualiter alienandi, quæ, aut quas creditores habent, vel habebunt in, vel super aliquibus bonis immobilibus, aut eorum iuribus, à modo non valeant, nec teneant, nec habeant aliquam roboris firmitatem siue facta sint, vel fient in Ciuitate, vel Comitatu, vel Diœcesi Mediolanen., siue alibi, vbicunque, & si qua venditio, vel alienatio aliquorum bo-

norum

norum immobilium, vel iurium, eorum vigore pactorum, prædictarum licentiæ, vel facultatis, vel ex lege à modo fiat, siue in Ciuitate, vel Comitatu, vel Dioec. Mediolanen., siue alibi, vbicunq; nõ intelligãtur ex tali venditione, vel alienatione esse, nec sit translatum dominium, nec possessio etiam traditione secuta, vel alio, quod alias loco traditionis habetur, nisi ipsa possessio verè, & realiter esset penès vendentem, vel alienantem, quo tantùm casu ipsa possessio transeat, seù trãsire possit: insuper nec de eis ius reddatur, ac si talia pacta, licẽtiæ, & facultates facta, aut apposita non fuissent, aut alias ex lege vendere, seu alienare non licuisset, quin etiam, quantum ad id, Dominus Potestas Mediolani, & quilibet eius Iudex, & omnes per tempora ius reddentes in Ciuitate, & Comitatu, vel Dioec. Mediolani nullam iurisdictionem habeant, nec habere intelligantur, & hæc omnia, nisi in præiudicium expresè consentiatur tempore talis venditionis, seù alienationis in ipsa alienatione, vel pòstea per publicum Instrumentum, & huic prouisioni renuntiari non possit etiam per sacramentum, vel pactum, nec aliquo alio modo, & prædicta locum habeant etiam in litibus, seu causis, vel quæstionibus etiam pendentibus per appellationem, vel querelam, seu alio modo.

Item prouiderunt, & ordinauerunt vt supra, quod si qua venditio, seu quæuis alienatio alicuius rei immobilis, aut eius iuris facta sit, vel reperiatur hinc retro in Ciuitate, vel Comitatu Mediolani, vel extra, in quocunque loco per aliquem creditorem, vel ab eo aliquam causam habentem, vigore pactorum, licentiæ, seù facultatis, sibi concessorum, in qua, vel pro quæuis tempore fuerit læsio, seu deceptio re ipsa, vel alio modo in dimidia, vel vltra dimidiam iusti pretij, seu æstimationis, vel cuius pretium conuentum, vel quod loco rei taliter alienatæ datum est, seù dari venit, aut valor rei venditæ, vel alienatæ, tunc fuerit duplum, vel vltra veri crediti pro quo, seù cuius vigore facta reperiatur venditio, vel alia quæuis alienatio, quòd per talem venditionem, seù alienationem, & secuta exinde, non intelligatur esse, nec sit translatũ dominiũ, nec quasi, & dictis casibus prædicta pacta, licentiæ, & auctoritates, vsq; à sui initio pro non factis, & non appositis, & non concessis penitùs habeantur, & hoc nisi in præiuditium eorum, qui expresè consenserint tempore talis venditionis, seù alienationis in ipsa venditione, seù alienatione, vel postea, vel suorum hæredum, de quo expresso consensu legitimè constet, & ad ius suum prosequendum quilibet admittatur etiam non obstante aliqua sententia hinc retro prætextu talis alienationis lata, dummodo aliud iuridicum non obsistat. Et prædicta seruentur in omnibus causis, controuersijs, & quæstionibus etiam pendentibus per appellationem, restitutionem, vel querelam, vel alio quoquo modo.

Item prædicta omnia locum habeant, & seruentur per quemcunque, & inter quoscunque in iudicijs, & extra, non obstantibus aliquibus prouisionibus, iuribus communibus, vel specialibus, vel ordinamentis in contrarium loquentibus.

Decretum factum per Magnificos Dominos, Dominos Bernabouem, & Galeaz &c. contra Officiales, Notarios, Seruitores, & Famulos, & alias diuersas personas vigens in Ciuitate, & Comitatu Mediolani tantùm.

IN Nomine Domini Amen. Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, Indictione secunda, die Lunæ decimo nono mensis Augusti. Sapientes Viri Domini Manuel de Ponzano Doctor Legum, generalis Vicarius Magnifici Domini, Domini Galeaz Vicecomitis Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis officio prouisionũ Communis Mediolani Præsidentes, & Thomasius de Corpello, vtriusq; Iurispetitus Imperialis, Generalis Vicarius Magnifici Domini Bernabo-

 uis

nis Vicecomitis similiter Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis, ac exgranator præfatorum Dominorum, & Communis Mediolani, slz., ipse Dominus Manuel ex parte præfati Domini Domini Galeaz, & dictus Dominus Thomasius ex parte præfati Domini Domini Bernabouis dixerunt, & imposuerunt mihi Ambrosolo de Not. officio prouisionum, & reformationum Communis Mediolani, quod de voluntate, & beneplacito præfatorum Dominorum legere, & publicare debeam super Arengheria noua posita in Brolcto nouo Communis Mediolani, alta voce sono tubarum, vt moris est, infrascripta decreta, & ordinationes facta, & factas de conscientia, & beneplacito præfatorum Dominorum. Ita quòd ipsa decreta, & ordinationes de cætero seruentur, & seruari debeant, & possint per quoscunque, prout in eis continetur, tanquam decreta, & ordinationes præfatorum Dominorum, & Communis Mediolani, & quòd pro decretis, & ordinationibus præfatorum Dominorum, & prædicti Communis de cætero habeantur, & teneantur, ac executioni mandentur sub pœna, & banno in eis decretis, & ordinationibus contentis; quorum verò decretorum, & ordinationum tenor talis est.

Cum corda Optimorum Principum, grandi desiderio semper vigilent à grauaminibus, & dispendijs illicitis releuare subiectos, & inter alia, quæ abhorrent, & coram oculis suis displicent sint barataria, falsitates, maliciæ, & extorsiones illicitæ, quæ assidua frequentante querela eorum animos incessanter angunt, & perturbant: Idcircò Regis Regum, ac etiam Gloriosæ Genitricis eius suppliciter nominibus inuocatis, Magnifici, & excelsi Domini, Domini Bernabos, & Galeaz fratres Vicecomites Mediolani &c. Imperial. Vicarij generales, vehementi desiderio cupientes quoscunq; Officiales, Notarios, Seruitores, & Famulos officium exercentes in Ciuitate, & partibus Comitatus sibi subiectis à baratarijs, & extorsionibus supradictis totaliter amouere, & subiectos suos a b huiusmodi grauaminibus, & extorsionibus penitùs releuare infrascripta decreta, & ordinationes in dicta Ciuitate, & partibus Comitatus sibi subiectis statuerunt de cætero inuiolabiliter obseruari.

Officium stratarum, & aquarum de cætero fiat, & exerceatur per duos Iudices, vel Officiales super hoc deputandos, vna cum Officialibus sex deputatis negotijs Cameræ Communis Mediolani, & ad bancum sex prædictorum, & quod dicti Officiales non possint quidquam exercere, prouidere, nec diffinire, nisi cum deliberatione, & vna cum dictis sex, vel maiori parte eorum. Et quod ipsi Officiales, & prædicti sex, singulis diebus iusdicetib., horis cõsuetis, teneantur ascendere bancum, & ibi perseuerare pro eorum officijs exercendis.

Ad hoc, vt ad Officium duodecim Præsidentium prouisionibus, & negotijs Communis Mediolani, & ad Officium sex Cameræ Communis Mediolani de cætero eligantur homines boni, & sufficientes, & idonei Ciuitatis Mediolani, qui compellantur dicta officia exercere, prouidetur, vt ipsis duodecim, & sex nullum salarium detur de cætero, & quod eorum officium non duret vltra menses duos. Saluo quod finitis ipsis singulis duobus mensibus vnus ex eis duodecim, & vnus ex eis sex, qui sunt de Collegio Iudicum Mediolani, remaneant ad ipsum officium per quindecim dies post ipsos menses duos pro informando alios superuenientes.

Iudex datiorum, qui est, & pro temporibus erit de cætero habeat Tribunal suum, & ascendere debeat Bancum pro iure reddendo super Palatio nouo Communis Mediolani, & non alibi.

Ab eius sententijs diffinitiuis possit querelari.

Exactores haueris prælibatorum Dominorum, & Communis Mediolani habeant,

&

& habere debeant inter seruitores, Officiales, & Famulos illam quantitatem, quæ eis deputabitur pro parte præfatorum Dominorum, qui Seruitores, Officiales, & Famuli habere debeant singulis mensibus illud salarium, quod taxabitur pro parte præfatorum Dominorum, & non vltra, & quod prædicti Exactores, Seruitores, Officiales, & famuli non possint quicquam aliud petere, exigere, recipere, nec habere quouismodo per se, nec alios pro aliqua exactione, robatione, contestatione, saximento, vel alia executione fienda, tàm in Ciuitate, quàm in Comitatu, nec alia quauis causa, sub pœna floren. vigintiquinque auri pro quolibet contrafaciente qualibet vice, & quòd exactor teneatur soluere dictam pœnam etiam pro dictis Seruitoribus, Officialibus, & Famulis, nisi eos contrafacien. consignauerit ad terminũ ei assignandũ per Vicarium Officij prouisionum, & quod nullus ex dictis Seruitoribus, Officialibus, & Famulis possit, nec debeat stare, nec habitare in domo prædicti exactoris, nec esse de eius familia, sub pœna prædicta.

Dicti Officiales, Seruitores, & Famuli teneantur, & debeant sub pœna floren. vigintiquinque fideliter, & legaliter continuare, & exercere dictum Officium eorum, & diligenter prosequi, & inuestigare personas, & bona illorum, qui fuerint debitores præfatorum Dominorum, vel Communis Mediolani, & contra quos fuerit fienda exactio, & ipsam exactionem, & executionem fideliter, & legaliter facere, omni fraude, malitia, & barataria cessantibus.

Ad Officium Victualium sint, & esse debeant solummodo Officiales decẽ pro vtraq; Curia, quorum sex exerceant officia in Ciuitate, Suburbijs, & Corporum Sanctorum Mediolani. Alij quatuor exerceant officia in Comitatu., & quod ipsis Officialibus fiat satisfactio de eorum mercede, & salario de condemnatione, seù condemnationibus, quas, & quæ fieri contingent, vt moris est, & non aliter.

Dicti Officiales Victualium eo tempore, quo facient aliquam inuentionem in Comitatu teneantur, & debeant assignare terminum defensionis illi quem inuenerint, pro libito voluntatis, dum non sit minor trium dierum, & dum non excedat terminum defensionis quindecim dierum à die inuentionis computan., & aliter processus non teneatur.

Omnes inuentiones, quæ de cætero fieri contigerint per Officiales Victualium suprascriptos, vel alterum eorum. Illa die, vel sequenti, qua facta fuerit inuentio in Ciuitate Mediolani, Suburbijs, vel infra Corpora Sanctorum, portetur, vel mittatur ipsa inuentio per inuentorem in scriptis ad officium prouisionum Communis Mediolani, & taliter quod officium prouisionum similem inuentionem habeat qualis, & prout est illa, quæ portata fuerit Iudici Victualium, & hoc sub pœna, ipsi Officiali floren. decem qualibet vice, & quod Iudex, sub pœna prædicta non possit aliquam personam de aliqua inuentione cancellare, nec absoluere, nisi hoc fuerit expositum officio prouisionum Communis Mediolani, de quorum conscientia dictæ cancellationes, & absolutiones fiant, & non aliter, ad hoc ne circa prædicta baratariæ committi possint, possit tamen condemnandos condemnare, & condemnationes exigere, absque conscientia prædictorum Præsidentium prouisionibus Communis Mediolani.

Idem obseruetur de inuentionibus, quæ fieri contigerint in Comitatu Mediolani, vlz., quod consignentur vt supra, intra quindecim dies à die inuentionis factæ computan., & etiam omnia dicta in præcedenti capitulo similiter obseruentur singula singulis referendo. Et hæc omnia, & singula sub pœna prædicta pro quolibet contrafaciente qualibet vice, & dicti Officiales, sub eadem pœna non audeant, nec præsumant aliquam inuentionem falsam portare, nec deferre vt supra, nec aliquid ab aliquo recipere, de qua receptione stetur dicto dantis

 cum

cum eius sacramento, cum vno teste fide digno, vel alijs inditijs, de quibus, & prout Iudici videbitur conuenire, quo casu si dans accusauerit, non teneatur ad aliquam pœnam.

In Ciuitate, nec Comitatu Mediolani de cætero non robentur, nec contestentur aliquæ bestiæ bouinæ, nec aliqua vtensilia apta laborerio Terrarum pro aliquo debito publico, nec priuato, nisi in casibus comprehensis in Statuto Communis Mediolani, quod incipit nulla bestia &c.

In Ciuitate Mediolani, nec Suburbijs, nec intra Corpora Sanctorum pro aliquo debito publico, nec priuato, nec aliqua alia quauis ex causa, quæ dici possit, vel excogitari per aliquem iusdicentem, vel executorem non teneatur aliquis famulus in possessione in domo, nec aliquibus bonis mobilibus alicuius sub pœna cuilibet Officiali contrafacien. librarum quinquaginta tertiolorum, & cuilibet famulo, & seruitori librarum decem tertiolorum pro quolibet eorum qualibet vice. Saluo quod si ad petitionem alicuius singularis personæ; vel alicuius alterius Collegij, vel Vniuersitatis contigerit ingressum fieri, vel inductionem, possessionis, quòd in ipso ingressu liceat ipsi singulari personæ, vel Collegio, vel Vniuersitati habere famulos pro prædicto ingressu fiendo, & quòd, facto dicto ingressu, statim rogetur Instrumentum de apprehensione possessionis, vel fiat relatio seruitoris in dicta apprehensione; quo instrumento rogato, vel facta relatione de introitu supradicto dicti seruitoris, & famuli de dicta possessione, eadem die, qua factum fuerit dictus ingressus recedere teneatur, sub pœna prædicta, & tunc ille, qui fecit, seù fieri fecit dictum introitum, intelligatur esse, & sit in eo statu, & gradu, ac si ibidem famulos, & seruitores reliquisset, saluo quod prædicta nõ vindicẽt sibi locũ in, & pro executionibus de cætero fiendis in executione commissionum, vel mandatorum præfatorum Dominorum, seù alterius eorum tangentium factum prædictorum Dominorum, seù alterius eorum specialiter, & expresè, vbi personæ contra quas fieret executio personaliter detineri, & haberi non possent,

Omnia pignora, quæ de cætero in Ciuitate, vel Comitatu Mediolani per Officiales in Mediolano deputatos, vel deputandos, vel eorum parte derobari contigerint pro aliquo debito publico, eodem die, vel sequenti, si dicta pignora in Ciuitate Mediolani, vel Suburbijs, vel intra Corpora Sanctorum Mediolani robata fuerint, consignentur Caneuayrolis pignorum Cameræ Communis Mediolani, & si pro debito priuato derobata fuerint, consignentur infra terminũ antedictum gubernatoribus pignorum super hoc deputatis, & si dicta pignora robata non fuerint consignata infra tempus prædictum vtsupra, quòd tunc, & eo casu procedi possit, & debeat per Iudicẽ Maleficiorum Domini Potestatis Mediolani contra derobantes, & quemlibet eorum, ac si re vera de ipsis pignoribus furtum contraxissent. Si verò dicta pignora in Comitatu derobata fuerint pro debito publico, vel priuato per Officiales in Mediolano deputatos vtsupra, vel ex eorum parte, quòd infra terminum prædictum, & sub dicta poena teneantur, & debeant ipsa pignora exhibere, & consignare ipsi Officiales, & Famuli penes Consules, & Officiales illius loci, vel Burgi in quo dicta derobatio facta fuerit, & si contigerit postremò ipsa pignora sic penès Consules, & Officiales prædictos reposita, consignari Mediolanum penès deputatos, vt supra dictum est, quod huiusmodi consignatio fiat expensis rerum, quas consignari in Mediolano contigerit, vt dictum est, & isto casu, licitum sit vnum, vel plura de dictis pignoribus, prout cõmodius poterit pignorare pro expensis fiendis pro consignatione prædicta. Et quod nullus habitator Ciuitatis, vel Comitatus Mediolani audeat, nec præsumat, sub dicta pœna, receptare dicta pignora, nisi secundum modum,

&

& formam, & tempora supradicta. Iudex verò, vel Officialis, de cuius præcepto facta fuerit derobatio, intimata sibi dicta derobatione, & quod consignata non fuerint pignora, vt debuerunt, per illum, vel illos, qui fuerit derobatus, seù derobati, vel per alium eius, vel eorum nominibus, faciat fieri præsentationem, & consignationem dictorum pignorum infra duos dies, & si steterit per Iudicem, vel Officiales non facere cum effectu dicta pignora consignari vt supra, quod eo casu ipse Iudex, vel Officialis teneatur ad restitutionem dictorum pignorum, & in quatruplum æstimationis eorum, & de qua æstimatione pignorum robatorum stetur iuramento derobati, vel derobatorum cum euidentia Iudicis, & cogere possit ipse Iudex, vel Officialis derobantes ad dictam consignationem faciendam realiter, & personaliter, & alijs quibuscunque iuris remedijs, omni iuris, & statutorum solennitate omissa, saluo quod prædicta contenta in præsenti Capitulo non vindicent sibi locum in aliquibus robationibus, aut executionibus, quæ fierent vigore alicuius specialis commissionis, vel mandati ipsorum Dominorum Mediolani, vel alterius eorum, aut alicuius Officialis ipsorum Dominorum, tangentis specialiter, & expressè facta propria, & vtilitatem ipsorum Dominorum, vel alterius eorum.

De cætero non compellantur, nec grauentur aliqua Communia, Consules, Officiales, Vniuersitates, nec homines singulares Mediolani, nec Comitatus, ad præstandum aliquas cautiones, nec etiam satisdationes aliqua occasione. Et hoc nisi de expresso, & speciali mandato præfatorum Dominorum, vel alterius eorum, vel nisi fuerit satisdatio, quæ præstatur per Officiales, vel Incantatores Pedagiorum, vel Datiorum, vel per Campsores, vel Aurifices, vel nisi fuerit pro aliquo maleficio, vel causa criminali, vel talis, quæ præstari debeat à parte parti secundum formam Statutorum Communis Mediolani, quibus casibus etiam non possit accipere Notarius pro solutione ipsius satisdationis, nisi soldos duos tertiolorum, & hoc sub pœna floren. quinquaginta auri Iusdicen., seù Officiali, & librarum quinquaginta tertiolorum Notario contrafacien. pro qualibet vice. Dictus autem Iusdicens, seù Officialis non teneatur ad dictam pœnam, nisi de hoc querela fuerit exposita dicto Iusdicenti, seù Officiali, & ipse Iusdicens, seù Officialis recusauerit, seù denegauerit iustitiam facere, vel dictæ indebitæ solutioni acquieuerit quouismodo.

Notarij, Officiales, Seruitores, & Famuli cuiuscunque Officij, vel Officialis seruare teneantur Statuta, & Decreta facta super solutionibus fiendis ipsis Seruitoribus, Officialibus, Famulis, & Notarijs, sub pœna librarum vigintiquinque tertiolorum pro quolibet eorum, & qualibet vice, & quod quilibet possit accusare, denuntiare, vel significare, & sacramento eius credatur cum vno teste fidedigno, vel cum alijs inditijs, quæ videbuntur Iudici, coram quo dicta accusa, denunciatio, vel significatio porrecta fuerit.

Medietas omnium pœnarum, de quibus habetur mentio in quantitate ordinata applicetur Cameræ præfatorum Dominorum, & alia medietas accusat., vel significat. si accusatio, vel significatio porrecta fuerit, & si non, in totum applicetur Cameræ præfatorum Dominorum.

Nullus Comestabilis, Stipendiarius, Famulus, vel Datiarius commorans ad aliquam ex Portis Ciuitatis Mediolani, vel ad aliquem alium transitum, aut alia quæuis persona cuiuscunque status, & conditionis existat, audeat, nec præsumat alicui personæ ducenti, vel portanti, vel duci, vel portari facienti, seù duci, & portari facere volenti intus, & extra Ciuitatem Mediolani aliquas res, qualescunque sint, accipere, vel auferre aliqua ratione, vel causa, de ipsis rebus, vel aliqua earum, sub pœna cuilibet Comestabili, & Stipendiario in aliquo

prædict.

prædict. contrafac. flor. decē auri, & cuilibet datiario, vel alteri personæ librarū decem tertiolorum pro quolibet eorum, & qualibet vice, quam pœnam si non soluerint contrafacien. infra tertiam diem perforentur ei auriculæ, & fustigentur per Ciuitatem, & quòd quilibet possit accusare, & denunciare, & eius sacramento stetur de prædictis, & ad quas pœnas persoluendas compellantur contrafacien. & sine aliquā scriptura, & teneantur Comestabiles pro famulis suis, & Antiani Datiorum pro officialibus suis.

Nullus Notarius alicuius Officij de cætero audeat, nec præsumat sub pœna librarum decem tertiolorum pro quolibet eorum, & qualibet vice petere, exigere, nec recipere vltra denarios duos tertiolorum pro notando, & scribendo, vel cassando vnam contumaciam, seù vnum bannum, seù vnam parabulam, vel vnam corroborationem, vel iurium cassationem, quæ notatur, vel cassatur, Iudice pro Tribunali sedente, saluo quod si Iudex descendat de banco antequam comparuerit pars, cum contumacia notata fuerit vtsupra, quod tunc recipere possit pro ipsa contumacia notanda vtsupra, illud quod taxatum est per Statutum Communis Mediolani, & non vltra.

Potestas Mediolani, & quilibet de Iudicibus suis teneantur, & debeant sub pœna librarum vigintiquinque tertiolorum pro quolibet eorum qualibet vice compellere, cum fuerit requisitus, quoscunque seruitores, & famulos pro executione facienda cum solutione, & sine solutione, secundum quod ordinatum est per præsentem dispositionem.

Omnium contentorum in præsentibus dispositionibus, & dependentibus ex inde sit Iudex competens Iudex prouisionum, & etiam Iudex exgrauationum, & quilibet eorum, qui omni iuris Statutorum, & Ordinamentorum solennitate prætermissa habeat bayliam, & potestatem procedendi, cognoscendi, terminandi, & diffiniendi, sola veritate inspecta, sine litigio, & prout sibi videbitur, & placuerit.

Decretum super Syndicatibus fiendis in Ciuitatibus, & Terris Dominio nostro suppositis.

MArcus, Ludouicus, Karolus, & Rodulphus omnes fratres Vicecomites &c. Mittimus vobis præsentibus alligatum quendam ordinem per nos nouiter editum super Syndicatibus fiendis. Volentes, & vobis mandantes quatenus Ordinem ipsum in registris Communis nostri Parmæ inseri, & describi faciatis, vt de ipso notitiam à quibuscunque haberi possit, quia volumus ipsum obseruari in Syndicatibus de cætero fiendis prout iacet. Dat. Mediolani xxvij. Decembris MCCCLXV. à tergo Nobili Militi Domino Potestati nostro Parmæ.

Ordo datus per Magnificos Dominos Marcum, Ludouicum, Karolum, & Rodulphum fratres Vicecomites &c. & seruandus de cætero in Syndicatibus fiendis videlicet.

QVod quilibet, qui ibit à modo ad syndicandū aliquem Vicarium, vel Rectorē alicuius Ciuitatis, vel Terræ Dominij percipiat pro suo salario tantū quantū recipiebat Vicarius talis Terræ, & vltra soldos tres pro vno Notario, & non plus, quos soldos tres accipiat solùm pro tēpore quindecim dierū, & nō plurium. Sindicator verò recipiat salarium prædictū pro eo tempore quo stabit ibidem, si non steterit vltra dies triginta, vltra quos nō volunt per aliquem Syndicatorem vllum salarium haberi, & ibidem morari debeat per Locumtenentem talis Vicarij,

carij, vel Rectoris, vel Officialis, quem sindicauerit, donec ibi prouisum fuerit de alio Vicario, Rectore, vel Officiali, in quo casu habeat salarium prædictum. Sindicatores verò, qui ibunt ad Sindicandum Potestatem, vel Capitaneum, & eorum familiam in aliquibus ex Ciuitatibus Domini percipient de salario florenum vnum pro quolibet die, & non plùs vsque in die triginta. Si tantum steterint ibidem, & non vltra; & ibi similiter morentur pro Locumtenente talis Potestatis, vel Capitanei, qui sindicaretur. Mittatur Domino pro illo tempore quo talis Sindicator moraretur pro Locumtenenti alicuius Potestatis, vel Capitanei.

Decretum de debitore principali primo conueniendo, quam fideiussore.

DOminus Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Intentionis nostræ est, & volumus quod si aliquis, vel aliqui de cætero se obligabunt pro aliquo, vel aliquibus fideiussorio, vel secundario nomine, quòd principales, vel principalis, pro quo, vel quibus tales fideiussores, vel secundarij se obligabunt, debeant primo conueniri, & eorum principalium bona debeant diligenter excuti per creditorem, vel creditores. Et in solutionem debiti, vel debitorum ipsi creditores recipere debeant de bonis principalis, vsque in concurrentem quantitatem, antequam perueniatur ad personas, vel bona fideiussorum, vel secundariorum. Non obstante aliqua renunciatione fienda tali beneficio in Instrumento obligationis, vel extra ipsum Instrumentum, & huiusmodi nostrũ mandatum pro Statuto, & lege deinceps seruari volumus, & executioni mandari, & inseri in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani. Dat. Mediolani die quintodecimo Ianuarij MCCCLXVIII. à tergo Nobili Viro Potestati nostro Mediolani, necnon Vicario, & XII. Præsidentibus negotijs nostri Communis Mediolani.

Decretum factum super solutione salarij Vicariorum Seprij, & Bolgariæ.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Cum dudum versa fuerit, & sit quæstio inter Nobiles Ciues Mediolani habentes eorum æstima in Ciuitate nostra Mediolani, & habitantes in Terris nostris Seprij, & Bolgariæ Comitatus Mediolani ex vna parte, & nobiles, & vicinos nostri Comitatus habentes eorum æstima in Comitatu prædicto ex alia occasione solutionis salarij Vicariorum nostrorum, ad quam prædicti Nobiles, & Vicini petierunt, & petebant suprascriptos Nobiles Ciues habentes eorum æstima in Ciuitate Mediolani, pro eorum parte contingenti, contribuere debere. Cupientes, ac volentes quæstioni prædictæ finem imponere, præsentium tenore, volumus, edicimus, decernimus, ac mandamus, quod à mensibus septem proximè præteritis retrò prædicti Nobiles Ciues Mediolani, habentes eorum æstima in dicta nostra Ciuitate Mediolani ad solutionem præfati salarij Vicariorum minimè teneantur, nec aliquatenus dicta occasione valeant molestari, quia volumus, quòd à dicto tempore retrò sint exempti, liberi, & absoluti à solutione præfati salarij. Scilicet volumus quòd, qui ex ipsis Nobilibus Ciuibus habentibus æstimũ in dicta Ciuitate nostra Mediolani soluerint, nil repetere possint. Ab ipsis autẽ septem mensibus citra, vsq; ad præsentem diem, prædictæ partes, & ipsarum quælibet teneantur ad solutionem prædicti salarij pro rata facultatum cuilibet ipsorum contingentium secundum formam decreti nostri conditi MCCCLXX. die vigesimo octauo Iunij. Ab hodierna autem die in antea prædictæ

dictæ partes, & earum quælibet pro rata facultatum cuilibet ipsarum contingen. soluere teneatur, & teneantur ad solutionem salarij quatuor Vicariorum tantùm secundum formam suprascripti decreti. Volentes quòd salaria aliorum Vicariorum nostrorum soluantur, & solui debeant per alias nostras Terras, excepta nostra Ciuitate Mediolani. Mandantes, ordinantes, statuentes, ac decernentes huiusmodi nostrum mandatum, & decretum, nostramque intentionem, & voluntatem de cætero inuiolabiliter obseruari, non obstantibus aliquibus nostris litteris, nec decretis in contrarium loquentibus, quibus, & eorum cuilibet ex dicta scientia derogamus, & derogatum esse volumus. In quorum testimonium præsentes iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ MCCCLXVIII. die vigesimoprimo Septembris septima Indictione.

De pœna Custodum carcerum, qui relaxant extra domum carceris aliquem carceratum.

DOminus Mediolani & c. Imperialis Vicarius generalis. Audientes, quod Custodes carcerum permittunt multos de carceribus exire, antequam sint à dictis carceribus liberati, & relaxati, præsentium tenore edicimus, & mandamus, quod si contingat decætero, custodes ipsos permittere exire de carceribus suis aliquos carceratos, antequàm sint liberati à carceribus prædictis, incurrant dicti Custodes dictorum carcerum pœnas, vt infra vlz. Si carceratus fuerit pœna corporali puniendus, incurrant custodes similem pœnam corporalem, in qua puniendi venirent dicti carcerati, qui permitterentur carceres exire. Si autem carcerati erunt condemnati pecuniàliter tantùm, seu si fuerint carcerati pro debito singulari ad petitionem alicuius singularis personæ, teneantur custodes ad pœnam solutionis medietatis condemnationis, seu illius debiti pro quibus tales carcerati fu.rant, & perueniat tota dicta pœna ad Cameram Domini, & nihilominus teneantur Custodes ipsi carcerum consignare carceratos prædictos, saluo si creditores ipsorum debitorum contenti essent, quòd debitores ipsorum permittentur carceres exire. Quod tunc, & eo casu non teneantur ad pœnam prædictam. Et cum velimus prædicta debere obseruari pro ordine, & lege: volumus, quod hanc nostram ordinationem, hocque nostrum decretum facias tu Potestas, inseri, & describi in volumine Statutorum, Ordinamentorum, & Decretorum nostrorum, vt decætero seruentur pro lege, & decreto nostris. Dat. Cusagi die tertio Maij MCCCLXVIIII. A tergo Potestati Mediolani, & Custodibus carcerum nostrorum tàm præsentibus, quàm futuris.

Prouisiones factæ super venditionibus, & alienationibus bonorum ad cridam ponendorum per D. Vicarium prouisionis Communis Mediolani occasione bonorum liberandorum ab omni iure eisdem affixo.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. amen. Anno Domini MCCCLXVIIII. Indictione octaua, die Iouis primo mensis Nouembris. Quoniam crebra mutatio, & variatio temporum nouorum indiget editione iurium; hinc est, quod secundum varietatem rerum, & temporum persæpe Statuta variantur humana. Igitur iugis meditationibus commodis Subditorum benignè perspicientes Magnifici, & Excelsi Domini, Domini Bernabos, & Galeaz fratres Vicecomites Mediolani &c. Imperiales Vicarij, & Domini generales. Attendentes temporum sterilitates, & guerrarum discrimina, quæ hactenus

nus viguerunt, & quæ, Deo propitio, potentius propulerunt, ex quibus nihilominus quamplurimi ex eorum subiectis maximè in Ciuitate, & Comitatu Mediolani depauperati remanserunt, & diuitijs extenuati, quos oportet ad alienationem rerum suarum transire, quod vix facere queunt, non inuenientes fideiussores, nec securitates quas præstare valeant in venditionibus, quas facere nituntur, ea propter prouida consideratione volentes eorum Subditos, quantum possibile est, à talibus fatigationibus releuare, mandauerunt præfati Magnifici, & Excelsi Domini, & quilibet eorum ipsorum oraculis litterarũ eorum Dominis, eorum Vicarijs, ac Vicario, & duodecim deputatis super intratis Communis Mediolani, quòd super talibus venditionibus, quæ fieri velint, sine fideiussoribus, debeant per prouisiones, & statuta solennia salubriter prouideri, & reformari, tollendo dubia, recidendo litigia, & ipsa iura, quàm lucidiùs fieri possit ordinando. Quo circa accedente consilio dictorum Dominorum Vicariorum suorum, ac quamplurium aliorum peritorum, & bonorum ciuium Mediolani præfati Domini Vicarij, & duodecim Deputati super intratis, & prouisionibus Communis Mediolani, prouiderunt, statuerunt, deliberauerunt, & ordinauerunt, & prouident, statuunt, deliberant, & ordinant, vt infra, vlz.

Inprimis, quòd, si qua persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas de cætero voluerit vendere alicui personæ, Communi, Collegio, vel Vniuersitati Ciuitatis, aut Comitatus Mediolani, vel aliàs ad hoc habili aliquam rem immobilem, quam possideat volens gaudere beneficio huius prouisionis debeat (antequam vendat) personaliter, vel per personam, ad hoc speciale mandatum habentem comparere coram Vicario prouisionis Communis Mediolani deputato, vel coram eius Locumtenente, & ibidem in scriptis dare, & suo sacramento affirmare, quod vult vendere ipsam rem immobilem, declarando illam per situm, locum, & contratas, & coherentias, & etiam per numerum perticarum, vel circa, & congrua congruis referendo, & ipsam talem scripturam dimittere Notarijs Officij prouisionum in libro ponendam, saluo semper, vt infra dicitur, & quod inde ipsa talis persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas, quæ vt præmittitur vendere voluerit, & in scriptis detulerit, procuret, & faciat cum effectu quòd crida, seu proclamatio, sono tubæ præmisso, fiat mandato ipsius Domini Vicarij, coram quo comparuerit ad dandum in scriptis vtsupra, seu eius successoris, vel Locumtenentis publicè ad scalas Palatij noui Communis Mediolani, & ad Arengheriam, quæ est super lobia de Osijs posita in Broleto nouo Communis Mediolani hora sextæ, vel circa, seu hora vesperarum, vel circa, & de die clara ad loca Ciuitatis Mediolani, vbi proclamationes solent fieri, & etiam in contrata illius, qui vendere voluerit. Et hæc omnia in præsentia duorum testiũ, & etiam tribus vicibus in vna hebdomada diuersis diebus, & alijs tribus vicibus in alia hebdomada sequenti diuersis diebus, & vna vice in altera ex ipsis hebdomadis in terra in qua, seu cuius Territorio sunt bona vendenda in publica platea ipsius Terræ, proclamando effectualiter, sicut illa talis persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas dedit in scriptis, & suo sacramento affirmauit coram ipso Domino Vicario, vel eius successore, seu Locumtenente, se velle vendere ipsam talem rem immobilem cum declaratione præmissa de loco, contrata, coherentijs, & numero perticarum, vel circa. Et quòd si qua persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas est, volens dicere, seu habens, vel habere prætendens ius aliquod in ipsa tali re, vel super ipsa tali re vendenda, vel parte aliqua ex ea debeat infra menses tres post ipsas omnes proclamationes immediatè sequentes per se, vel alium eius nomine, & pro eo coram ipso Domino Vicario, vel eius successore, vel Locumtenente comparere, & in scriptis dare, & ostendere

dere ipsum tale ius, quod in ipsa, aut super ipsa re, vel aliqua parte ex ea habet, seu prætendit habere, dimissis copijs ipsius proclamationis, fiendæ vna ad dictas scalas, & alia ad dictam Arengheriam, seu lobiam, & alia ad dictam contratam venditoris, & alia ad dictam plateam illius Terræ, in qua, seu cuius Territorio erunt bona prædicta, & quæ cridæ, ac earũ proclamationes, relationes, & impositiones fieri possint quolibet die feriato, & non feriato, nisi fuerint feriæ in honorem Dei, vel Sanctorum eius introductæ, saluo, vt infra dicetur.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupra, quod factis proclamationibus antedictis, & elapso dicto termino trium mensium. Si qua persona, Commune, Collegium, aut Vniuersitas non comparuerit ad dandum in scriptis, & ostendendum eius ius, quod haberet, vel habere prætenderet per se, vel alium in, aut super dicta re immobili, aut aliqua parte eius, vtsupra, Quòd, eo casu, ipsa talis persona, Commune, Collegium, aut Vniuersitas, quæ, vt præmittitur, vendere voluerit vtsupra, possit ipsam talem rem, & quamlibet partem ipsius vendere liberè, & etiam absque eo, quod dare teneatur fideiussorem, & ipsa venditio, & emptio possit liberè vtsupra fieri, absque eo quod emptori, seu emptoribus, vel eius hæredibus, vel successoribus possit vllo tempore aliquid peti, nec aliqua quæstio moueri super ipsa tali re, aut eius occasione per aliquam personam, Commune, Collegium, & Vniuersitatem, quæ habuisset, vel prætenderet habuisse aliquod ius in ea tali re, vel aliqua parte ipsius, & non comparuerit, & ius suum in scriptis non dederit, & ostendiderit vtsupra in dicto termino, nec per eorum hæredes scilicet pro aliquo iure quod habuisset, vel habuisse prætenderet ante dictam venditionem fiendam. Immo etiam ipsa talis res, taliter vendita, eo casu sit, & esse intelligatur libera ab omni onere obligationis, & hypothecæ, & etiam à quacunque persona, & personis, Communi, Collegio, & Vniuersitate, & irreuocabiliter fiat emptoris, seu emptorum, dum tamen ipsa venditio fiat infra annum vnum prox. post ipsas proclamationes. Ita etiam, & eo intellecto, quod, si qua persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas prætenderet ius acquisiuisse in, vel super ea re, vel aliqua parte ipsius ab eo venditore à die earum proclamationum, vel alicuius earum, vsque ad diem dictæ venditionis fiendæ, quod ipsum tale ius non possit emptori prædicto, vel eius successoribus obesse per respectum ad ipsam rem vendendam modo, & forma prædictis.

Saluo tamen cuilibet iure, quod haberet, vel habere prætenderet mediatè, vel immediatè tempore ipsius emptionis, & etiam abinde in antea, contra ipsum emptorem, & etiam alia sua bona, & saluo semper, vt infra dicetur.

Si verò intra tempus prædictum ipsorum trium mensium, comparuerit aliqua persona vna, vel plures, Commune, Collegium, aut Vniuersitas, suo, vel alieno nomine, ad dandum in scriptis, & ostendendum ius, quod prætenditur haberi in, aut super ipsa re vendenda, vel aliqua parte ipsius, vt supra continetur, tunc, & eo casu venditio prædicta fieri possit liberè, vt præmittitur, saluo vt infra slz. pretium ipsius rei vendendæ penès aliquem bonum, & sufficientem Campsorem Mediolani, deponatur mãdato dicti Vicarij, seu eius successoris, vel Locumtenentis, quod pretium, seu depositum succedat loco rei venditæ, & eo casu disponatur, & fiat inter eos, qui comparuerint vtsupra, prout fieri debuisset de iure de ipsa re vendita, & quod iurare debeant ipsi venditor, & emptor in instrumento venditionis totam veram quantitatem pretij, pro qua res ipsa vendi contigerit, & quod ipsa venditio est bona, & vera, & non fictitia, nec simulata, nec in fraudem facta, & siue emptor emere paratus comparuerit, siue non, quod nihilominus

minus

minus per ipsum Vicarium, vel eius successorem, seu Locumtenentem, vel alium Commissarium possit, & debeat ad instantiam prædictorum omnium, qui comparuerint vtsupra, & etiam cuiuslibet, vendere, vel emere volentis vtsupra, & cuiuslibet eius intererit, & cuiuslibet, vel alterius eorum procedi, cognosci, & terminari summariè, & de plano, & sine strepitu, & figura iuditij, & quantò summarius, & expeditius poterit, appellatione, & querela qualibet remota, & quolibet die feriato, & non feriato, exceptis ferijs introductis in honorem Dei, & Sanctorum eius, de iure cuiuscunque ipsorum, qui, vt præmittitur, comparuerint, & super præmissis omnibus taliter, & talem finem imponendo, quod ipsa venditio possit procedere, & effectum sortiri, & de pretio, seu deposito prædicto responderi, & satisfieri possit, & debeat illi, seu illis quibus de iure debebit, vel prout declarabitur, & terminabitur vtsupra, & in casu quo ipsa venditio non fiat, quod nihilominus similiter, & eodem modo vtsupra cognosci, & terminari possit, & debeat de, & super ipsa re, seu rebus vendendis vtsupra, attribuendo cuique ius suum singula singulis congruè referendo, ità etiam, & taliter, quod illi, qui non comparuerint vtsupra, nullum ius habeant, nec habere intelligantur ad ipsam talem rem vendendam, neque venditam forma prædicta, nec ad eius pretium, saluo tamen prout infradicto capitulo loquente de minoribus, & absentibus continetur. Saluo tamen, quod partes, seu comparentes prædicti possint se ad inuicem componere, & omnem compositionem, transactionem, & concordiam facere de prædictis, & eorum occasione ad decisionem, expeditionem, & declarationem prædictorum. Saluo tamen iure cuilibet creditori, comparenti vtsupra habendi, & possendi habere, & emere ipsam talem rem pro maiori pretio si voluerit, quo casu ipse volens vendere cogatur vendere ipsi creditori volenti emere, & ita sit ipsa res libera proutsupra continetur. Si ipsa venditio facta fuerit, & si comparuerint creditores emere volentes, eo casu detur plus offerenti, & sit libera vtsupra. Si verò infra ipsos terminos cridarum singula singulis congruè refferendo comparuerit aliquis per se, vel alius pro eo, qui ostenderit quouismodo rem vendendam esse suam, vel sibi pertinere iure dominij, vel quasi, vel vtili, tunc, & eo casu ipsa res non vendatur, nec vendi debeat, ipso tali comparente inuito. Si verò comparuerit aliquis minor annis viginti, vel aliqua persona pro eo, vel eius nomine asserens, vel prætendens ipsum minorem habere ius in ea re pro eius tutela, vel cura, nondum finita, quod eo casu in eius minoris præiudicium non possit fieri ipsa venditio. Et licèt non comparuerit aliquis minor vtsupra, vel aliqua persona pro eo, teneatur ipse tutor, vel curator, qui talem venditionem facere voluerit, notificare Domino Vicario prouisionum, vel eius Locumtenenti, quod ipse volens dictam venditionem facere est tutor, vel curator talis minoris. Qui Vicarius, seu eius Locumtenens citari faciat etiam ex suo officio ipsum minorem, & duos eius minoris affines, propinquiores ex parte patris, & ijs defficientibus, ex parte matris, quibus notificetur per dictum Vicarium, vel eius Locumtenentem, quòd talis venditio fieri debet, & si dictus minor, vel aliquis ex dictis eius affinibus, protestetur per modum supradictum, non valeat, nec fieri possit talis venditio in præiudicium ipsius minoris. Et aliter venditio facta, quàm per modum, & formam prædictos non valeat in præiudicium ipsius minoris.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupra, quod hæc prouisio, & alia suprascripta non se extendant, nec locum habeant ad bona data, vel quæ darentur in dotem, nec in bonis dotalibus. Et hoc respectu contractus ipsius dationis in dotem, nec etiam ad, vel contra vxorem, nurus, vel pronurus talium vendere volentium vtsupra, constante matrimonio, pro iuribus dotium

suarum, vel rerum paraphernalium, nec extendantur ad filios, vel alios descendentes talis vendere volentis, existentes in potestate ipsius vendere volentis tempore dictæ venditionis, quantum est pro dotibus quondam matris, vel auiæ, vel alterius ascendentis, nisi prædicta venditio fiat cum consensu legitimo, & expresso dictorum talium descendentium.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupra. Quod per prædicta, nec aliquid prædictorum non tollatur alicui, nec sublatum esse intelligatur ius competens, seu quod competere posset vigore Statuti Communis Mediolani positi sub rubrica de re paterna luenda, quod incipit. Si quis rem aliquam immobilem paternam vendiderit &c.

Nec etiam vigore cuiusdam alterius Statuti Communis Mediolani, positi sub rubrica de prædijs, quod incipit. Si quis habuerit prædium alicui suo sedimini non contiguum extra Corpora Sanctorum &c.

Nec etiam vigore cuiusdam alterius Statuti subsequentis, quod incipit. Si quis habuerit maiorem, vel dimidiam partem, seu quamcunque aliam quotam partem alicuius domus &c.

Item, quod per prædicta non derogetur Statuto Communis Mediolani, quod incipit. Aliquæ communantiæ, vicanalia, seu pascua &c.

Nec alteri Statuto, quod incipit. Si quis Laicus habens decimam, vel ius decimandi fructus &c.

Item Statuto, quod incipit. Quilibet Ciuitatis, & districtus Mediolani, qui in aliquem non subditum &c.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupra, quod res illa, quæ vendi contingat, seruata forma huius prouisionis non sit, nec intelligatur esse libera à seruitute, seu seruitutibus, quibus subiacebat ante ipsam venditionem.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt, & prouident, statuunt, ordinant, & reformant, quod minores annis viginti, & absentes à Ciuitate, & Comitatu Mediolani etiam furiosi, aut mentecapti, necnon mulieres viduæ pro iure dotium suarum, & rerum paraphernalium, necnon aliæ personæ habentes, seu habere prætendentes ius, aut actionem occasione administrationis alicuius tutelæ, seu curæ, aut ius hypothecæ pro aliquo ficto libellario, aut pro aliquibus legatis, fideicommissis, institutione, & substitutione testamentaria, vel alia qualiber successione ex testamento, vel ab intestato, & quilibet prædictorum, qui essent in casibus suprascriptis, vel aliquo eorum vtsupra, tempore proclamationum, vt præmittitur, fiendarum, habeant, & habere intelligantur tempus, & spatium sex mensium computandorum vtsupra, ad comparendum, & in scriptis dandum, & ostendendum ius suum per se, vel alium eorum nomine vtsupra singula singulis, & congrua congruis referendo, & quod sufficiat, & similiter ostendi, procedi, & fieri possit in omnibus, & per omnia vt supra continetur. Et non intelligantur absentes, qui intra mensem à tempore dictarum proclamationum, vel alicuius earum computando reperirentur, vel essent in Ciuitate, vel Comitatu Mediolani.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupra, quod quilibet, qui, vt præmittitur, comparuerit vtsupra, ad dandum in scriptis, & ostendendum ius suum, vel alterius eorum iurare debeat, quod id non facit per malitiam, nec in fraudem, nec animo impediendi malitiosè venditionem illam, cuius occasione comparebit.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupra, quod ipsæ Cridæ habeantur pro solenniter factis. Si preco, seu precones retulerint co-

ram

ram dicto Vicario, seu eius successore, vel Locumtenente, & ad officium gubernatorum Statutorum Mediolani se ipsas cridas fecisse iuxta formam prædictam, in qua relatione scribantur nomina ipsorum testium. In quorum præsentia factæ fuerunt ipsæ cridæ, & quod impositio, seu impositiones, quæ fient dicto præconi, seu præconibus scribantur ad officium prouisionum Communis Mediolani. Et quod ipsæ relationes ipsarum cridarum ponantur ad ipsum officium prouisionum infra octo dies post ipsas omnes cridas factas.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupta, quod per prædicta, vel aliquod prædictorum non tollatur, nec auferatur ius aliquod Magnificorum Dominorum, & Communis Mediolani, nec alicuius eorum, nec sibi in aliquo præiudicetur, nec præiudicatum esse intelligatur.

Item prouiderunt, statuerunt, ordinauerunt, & reformauerunt vtsupra, quod prædicta, nec aliquod prædictorum non habeant locum in illis, qui vendere, &) emere volent cum fideiussore, seu etiam absque beneficio dictarum cridarum, & non seruata forma prædicta.

Decretum, quod non possit fieri alienatio in non subditum, & è conuerso, & Notarius cadat in pœnam &c.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Ex iustis & rationabilibus causis moti, ac volentes nostrorum Subditorum commoditatibus prouidere, & fraudibus totis conatibus obuiare: Tenore præsentium ex certa, & deliberata scientia, ac de nostræ plenitudine potestatis decernimus, volumus, & mandamus hoc nostro speciali decreto. Quod non sit aliqua persona, Collegium, vel Vniuersitas, cuiuscunque status, præeminentiæ, vel conditionis existat, qui possit, audeat, vel præsumat per se, vel per submissam personam directè, vel per obliquum quouis modo, seu titulo alienare, vel transferre, vel in solutum dare, vel recipere aliquam rem immobilem alicuius Territorij nobis subditi, nec aliquod ius in personam non subditam nostro dominio, & iurisdictioni, sub pœna æris, & personæ taliter alienanti, vel acquirenti, & amissionis dictæ rei sic venditæ, vel alienatæ, aut pretij ipsius rei sic venditæ, vel alienatæ contra formam præsentis decreti, quas res venditas, seu alienatas contra præsentem decretum, aut pretium ipsius rei, nostræ Cameræ ipsis iure, & facto volumus applicari.

Item, quod nullus Notarius vndecunque sit audeat, vel præsumat aliquem contractum, vel aliquam alienationem contra formam præsentis decreti facere, rogare, stipulari, vel tradere, sub pœna æris, & personæ, & ex nunc tales contractus, & alienationes sic celebratos, & celebratas decernimus de nostræ plenitudine potestatis non valere, & nullius esse efficaciæ, vel momenti.

Insuper volentes futuris periculis prouidere pro bono, & pacifico statu nostro, & Subditorum nostrorum, volumus, decernimus, & mandamus hoc nostro speciali decreto, quatenus nulla persona, Collegium, vel Vniuersitas, cuiuscunque status, præeminentiæ, seu conditionis existat, audeat, vel præsumat ædificare, seu construere, seu construi, vel ædificari facere, vel reficere, seu refici facere aliquam fortalitiam in aliqua parte Comitatus, & Territorij nostri Mediolani sub pœna æris, & personæ, vt dictum est, cuilibet contrafacienti, vel aliquid in contrarium facere attentanti, & ex nunc volumus, & mandamus omnem fortalitiam incæptam, mediatè, vel factam contra præsens decretum, & omnia sibi adhærentia nostræ Cameræ peruenire. Mandantes quoque, ac iubentes expres-

ſe, quod nullus noſter Subditus, vel alius, vndecunque ſit, audeat, vel præſumat in talibus ædificijs, & fortalitijs ædifican., vel reficien. laborare, ſeu laborari facere, ſeu aliquod ſubſidium, patrocinium, vel opus dare, vel præſtare aliquo ingenio, ſeu modo, qui dici, vel excogitari poſſit, ſub pœna ſimili, vt præfertur. Quod quidem noſtrum decretum, & omnia, & ſingula ſupraſcripta, nullus audeat infringere, vel aliqualiter contraire, ſub pœna noſtræ indignationis. Ipſumq; conſeruari volumus, & pro lege haberi, & obſeruari, non obſtantibus aliquibus legibus, Statutis, prouiſionibus, & decretis, quibus ex nunc in quantum contraria eſſent huic præſenti decreto, vel in aliquo derogarent, ex certa ſcientia, & non per errorem, de noſtræ plenitudine poteſtatis totaliter derogamus, & derogatum eſſe volumus, & mandamus. In quorum teſtimonium præſentes fieri iuſſimus, & noſtri ſigilli munimine roborari. Dat. Papiæ MCCCLXX. die xiiij. Martij, octaua Indictione.

Decretum Domini, vigens in partibus Seprij, & Bolgariæ, contra committentes maleficia in dicto Comitatu, & de perſonis adiungendis penes Conſules Comitatus.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Volentes, quod Subditi noſtri Comitatus noſtri Mediolani, ſalubriter gubernentur, & quod mala caueantur, & ne de cætero extorſiones, & robariones fiant in dicto Comitatu noſtro, prout factæ fuerunt temporibus retroactis, præſenti noſtro edicto decernimus, & ordinamus, vt infra.

Primò, quod Dñs Amizinus de Bozulis Legum doctor noſter Vicarius generalis habeat ſpecialem gubernationẽ totius prædicti Comitatus noſtri, & eidem Domino Amizino Vicario damus, & concedimus merum, & mixtum Imperium, & gladij poteſtatem, & omnimodam iuriſdictionem, ita & taliter, quod poſſit, & debeat cognoſcere de, & ſuper omnibus delictis, & quaſi commiſſis, ſeu committendis in dicto Comitatu, vel per homines dicti Comitatus, & de omnibus alijs cauſis, ſeu quæſtionibus, vel controuerſijs, cuilibet vertentibus, ſeu quæ vertentur in dicto Comitatu, vel inter homines dicti Comitatus, vel pro rebus exiſtentibus in dicto Comitatu, & tàm in principalibus cauſis, ſeu litibus, vel quæſtionibus, quam in cauſis appellationum, ſeu querelarum. Et ſuper omnibus prædictis cauſis, ſeu litibus ciuilibus, & criminalibus procedere, cognoſcere, & diffinire, & executioni mandare ſummariè poſſit, prout honori noſtro eidem videbitur conuenire.

Item, quod præfatus Dominus Amizinus Vicarius poſſit, & debeat cognoſcere de, & ſuper omnibus quibuſcumque delictis, & quaſi commiſſis, ſeu committendis in dicto Comitatu, vel inter homines dicti Comitatus per viam accuſationis, denunciationis, exceptionis, & quibuſcumque alijs modis, denuncia facta, vel non facta, & eidem arbitrium, & bayliam damus, & omnimodam iuriſdictionem concedimus procedendi, torquendi, inditijs præcedentibus, & non præcedentibus, condemnandi, mulctandi, exequendi, iuris, ordine, & Statutorum Communis Mediolani ſeruato, & non ſeruato, prout eidem Vicario videbitur honori noſtro conuenire, omnibus, & ſingulis iuribus municipalibus, &c. & Statutis Communis Mediolani in contrarium loquentibus non obſtantibus, quibus omnibus ex certa ſcientia derogamus.

Item, quod omnes condemnationes pecuniariæ, quas dictus Dominus Amizinus Vicarius faciet, in totum applicentur Cameræ noſtræ, nullam dando partem offenſis aliquibus, ſeu iniuriatis, quibuſcumque decretis hactenus per nos factis,

&

&Statutis Communis nostri Mediolani in contrarium loquentibus non obstantibus, quibus in hac parte derogamus, saluo quod partem contingentem secundum formam Statutorum Communis Mediolani, hæredibus occisi, vel occisorum de bonis homicidæ dictis hæredibus occisi, vel occisorum volumus esse saluam, & dictis hæredibus debere dari.

Item, ne propter paruitatem pœnæ in casu pacis, vel remissionis cuiusdam Statuti nostri positi sub rubrica de remissionibus, & cuiusdam prouisionis super eodem editæ MCCCL. die Iouis vltimo Iunij, homines se reddant faciles ad delicta, & non intendentes quod propter facilitatem veniæ Comitatus noster prædictus patiatur dispendium, vel iacturam, immò quod in delictis de cætero committendis in Comitatu prædicto pœna sit mensura culpæ, & quod teneat suos actores, & nihilominus beneficium pacis limitetur, edicimus, & hac nostra editali lege perpetuo valitura sancimus, quod si quis de cætero aliquod delictum, vel quasi commiserit in dicto Comitatu nostro ex quo veniret pecuniariter condemnandus, & pacem habuerit cum offenso, seu offensis ante primam citationem, vel post primam citationem infra decem dies, & ante bannum cursum, soluendo quartam partem totius eius, in quo veniret condemnandus si pax, vel remissio non fuisset, quod tunc pax prosit, & valeat, & vlterius super processu non procedatur. Si autem pacem, seu remissionem non habuerit infra dictos decem dies, slz. post dictos decem dies ab offensis habuerit pacem, vel remissionem, & eam præsentauerit dicto Vicario ante bannum cursum, quod tunc soluendo quartam partem totius eius in quo veniret condemnandus, pax, & remissio prosit, & vlterius non procedatur super dicto processu, siue procedatur per accusam, vel per inquisitionem, vel quocumque alio modo, in illis autem criminibus, in quibus ingeratur pœna sanguinis, remissionem, vel pacem decernimus non prodesse, nisi in casu ante accusam probatam, quo casu prosit remissio soluendo, qui remittit libras vigintiquinque tertiolorum Cameræ nostræ, & non obstantibus aliquibus Statutis, prouisionibus, seu iuribus in contrarium loquentibus, quibus omnibus ex certa scientia derogamus. Volumus tamen, quod post remissionem factam per accusatorem, seu accusatores accusato, seu accusatis de aliquo delicto, seu delictis, ex quo, seu quibus pœna corporalis veniret imponenda, quod tunc Vicarius noster prædictus non obstante dicta remissione possit, & valeat per viam inquisitionis cognoscere de dicto delicto, & punire, & condemnare, prout eidem videbitur nostro honori conuenire.

Item, vt de cætero non fiant extorsiones in Comitatu prædicto pro aliquibus debitis pertinentibus nobis, vel Communi nostro Mediolani. Volumus, & decernimus, quod in quolibet loco, Burgo, vel Terra dicti Comitatus fiat electio de melioribus, & ditioribus hominibus cuiuslibet dictorum locorum, Burgorum, & Terrarum in quantitate infrascripta vlz. Si in aliquo loco secundum consuetudinem est vnus Consul, quod penès ipsum Consulem eligantur quatuor de melioribus ditioribus hominibus dicti loci, & si fuerint duo Consules, quod penès eos eligantur octo, & si fuerint tres Consules, quod penès eos eligantur duodecim, & si fuerint quatuor Consules, quod penès eos eligantur sexdecim, & sic successiuè gradatim addendo quatuor bonos homines pro quolibet Consule. Qui quidem Consules, & homines prædicti debeant solicitare, & cogere vicinos suos ad soluendum quæcumque debita pertinentia Cameræ nostræ, vel Communi Mediolani, & habeant litteras nostras, quod ipsis pareatur per vicinos suos in exactione dictæ exactionis fiendæ. Et nisi prædicti Consules, & electi cum eis faciant exactiones prædictas in tempore debito, volumus, quod Referendarij

rendarij nostri Mediolani in fine cuiuslibet mensis dare debeant in scriptis præfato Domino Amizino Vicario nomina illorum Communis, quibus defficit ad soluendum aliquid de eo, quod soluere debeant, & quod quantum defficit cuilibet Communi per se, & dictus Dominus Amizinus habita dicta scriptura per suas litteras, & præcepta moneat Consules, & electos cum eis illorum locorum, quibus defficiet aliquid ad soluendum, quod talem defectum debeant soluisse infra dies octo, quam solutionẽ, si fecerint bene quidem, si autem dictam solutionem non fecerint in dicto termino, volumus, quod Vicarij nostri in Comitatu prædicto ad mandatum, & requisitionem prædicti Domini Amizini statim capiant Consules, & electos cum eis illorum locorum, quibus aliquid defecerit ad soluendum, & eos sic captos mittant dicto Domino Amizino, & fiat littera parte dicti Domini Amizini Vicarijs prędictis, vt habeant arbitrium sic faciendi in Terris solitæ iurisdictionis suæ, & nõ capiantur, nec robentur aliqui alij pro aliquo debito pertinenti Cameræ nostræ, vel Communi Mediolani, nec etiam pro salario Vicarij, nec pro aliquibus alijs expensis, seu salarijs ordinatis fieri de mandato nostro. Et de quibus fiendis appareant litteræ nostræ, nisi solummodo dicti Consules, & electi, qui capiantur vt supra, & nunquam relaxentur donec fuerint integrè solutũ totũ illud, in quo teneantur communia sua. Et si dicti Consules, & electi sic capti different ad soluendum illud pro quo capti fuerint infra alios octo dies subrogentur alij loco ipsorum, qui dictam exactionem facere debeant, & solutione facta per dictos captos restituantur ad officium eorum, si ipsorum officium adhuc duraret. Et postmodum fiat eis talis ratio contra vicinos suos pro quibus soluerint, prout facta fuerit dictis Consulibus, & alijs hominibus electis cum eis, & cambientur dicti Consules, & electi cum ipsis singulis sex mensibus, incipiendo in Kalen. mensis Decembris prox. fut. & in singula mutatione, quæ fiet de dictis Consulibus, & alijs hominibus electis cum eis mittant Vicarij Comitatus in scriptis dicto Amizino nomina, & cognomina omnium consulum, & electorum in quolibet loco, Terra, vel Burgo solitæ iurisdictionis, & si contingat aliquem ex dictis Consulibus, seu electis cum eis decedere, volumus, quod alij Consules, & electi, qui præsidebunt dicto officio, eligant alium de melioribus hominibus loco talis defuncti. Volumus insuper, quod dictus Dominus Amizinus ad omnem requisitionem dictorum Consulum, & electorum dare debeat auxilium, & fauorem ipsis Consulibus, & electis ad omnem executionem fiendam contra illos, qui soluere recusarent id, quod deberent soluere in terminis ordinatis.

Item decernimus, ac volumus, quod dicti Consules, & electi, seu adiuncti cum eis faciant, & exerceant in Terris, Burgis, seu Villis, vel locis iurisdictionis eis commissæ officium victualium benè, diligenter, & solicitè, & sine aliqua fraude, & quod condemnationes, quas facient pro dicto officio victualium, super quibuscumque inuentionibus, nostræ Cameræ applicentur.

Item decernimus, quod nullus seruitor, seu nuntius Communis Mediolani, possit, nec valeat facere, nec exercere officium seruitoris in dicto Comitatu sub pœna librarum centum tertiolorum, nisi primo idoneam satisdationem dederit de libris centum tertiolorum ad banchum dicti nostri Vicarij de exercendo officium seruitoris benè, & legaliter, & de non committendo quicquam contra decreta nostra, nec contra Statuta Communis nostri Mediolani. Et quod teneantur, & debeant dicti seruitores facere eorum relationes ad banchum Vicariorum nostri Comitatus Mediolani infra decem dies de omnibus citationibus, sequestrationibus, depositis, captionibus personarum, introitus possessionum, & de quibuscumque alijs actibus factis, seu fiendis per ipsos, vel aliquem ipsorum, aliàs, si

non

non fecerint infra dictos decem dies, non valeat, nec teneat relatio ipsorum, & quòd nullus famulus, seu stipendiarius audeat, nec præsumat in dicto Comitatu nostro exercere dictum officium seruitoris sub pœna librarum centum tertiolorum, nisi se scribi fecerit primo ad banchum stipendiariorum nostrorum, & ibi idoneè satisdederit de libris quinquaginta tertiolorum de non committendo quicquam contra decreta nostra, nec contra Statuta Communis nostri Mediolani.

Item approbamus, & ratificamus omnes cridas factas, & fiendas in Mediolano, & Comitatu prædicto mandato præfati Domini Amizini Vicarij nostri. Dat. Papiæ die vigesimonono Nouembris Millesimo trecentesimo septuagesimo, Indictione nona.

Cassatio Litterarum Gratiarum, & Immunitatum concessarum per Magnificum Dominum, Dominum Galeaz occasione onerum &c.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Frequentatæ querelæ, quamplurium Subditorum nostrorum, qui inæquali supportatione onerum, graui præmuntur sarcina, adeo, quod impotentes impotentiores fiunt, & pro parte onerum potentibus spectantium, vltra debitam eorum possibilitatem grauantur, salubriter duximus proui dendum, quòd expensæ, & onera realia, personalia, & mixta inter Subditos nostros laycos æqua statera librentur; Ita quod vnusquisque secundum bona, & facultates ipsius prædictarum expensarum, & onerum partem sibi rationabiliter contingentem substineat, & reportet, vt huiusmodi ponderis æquali, & iusta distributione præmissa, onus cuilibet reddatur facilius ad portandum. Ea propter ex certa scientia, edicimus, volumus, & mandamus, quòd immunitates, & gratiæ, quæ multos potentes, & habiles à talibus oneribus excusabant per quemuis, & quouis modo hactenus indultæ, & concessæ alicui Ciui, vel Subdito nostro cuiuscumque conditionis existat, seu aliquibus Communibus, Vniuersitatibus, & personis Ciuitatum, Terrarum, & locorum nostro dominio Subditorum, quarum vigore ab oneribus realibus, siue mixtis in totum, vel particulariter eximantur, cassæ, irritæ, & nullius roboris, vel momenti sint. Iubentes, & matura deliberatione mandantes, quod prædicti Ciues districtuales, & Subditi, necnon Communia, Vniuersitates, & singulares personæ, Terrarum, & locorum nobis subiectorum, vt prædicitur, de, & pro quibuscumque oneribus realibus, personalibus, atque mixtis imponendis, & occurrentibus de cætero, iuxtà possibilitatem bonorum, & facultatum suarum sufferant, & soluant suam debitam portionem. Ita quod immunitates, & gratiarum litteræ hinc retro concessæ per quemuis, seu quouis nomine legantur, nihil sibi proficiant quominus partem eos tangen. de prædictis oneribus, & expensis subeant, & persoluant, quibus immunitatibus, & gratiarum litteris, quantum ad prædicta, ex certa scientia derogamus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ MCCCLXXI. die vigesimo octauo Aprilis nona Indictione.

Quod

Quod nullus Comitatus Mediolani posit capi pro aliquo debito priuato, vsque ad annos duos.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Volentes nostrorum fidelium Subditorum commodis prouidere, ac ipsos benignè, & fauorabiliter pertractare Imperialis beneuolentia, cuius vices substinemus vestigia imitantes. Tenore præsentium edicimus, & mandamus, quod aliquis districtualis Comitatus nostri Mediolani principalis, siue fideiussor non possit, nec debeat personaliter capi, detineri, vel molestari ad instantiam alicuius creditoris sui pro aliquo debito priuato, vsque ad duos annos prox. venturos incipien. à die datæ præsentium litterarum. Saluo, & reseruato, quod dicti creditores interim possint habere recursum contra bona ipsorum debitorum, & fideiussorum per omnem viam, & modum eis de iure competentem, & quod ad petitionem ipsorum creditorum dicti debitores teneantur per eorum sacramentum quæcumque eorum bona propalare, & manifestare creditoribus, nec vllam fraudem committere circa defensionem, & propalationem bonorum prædictorum; & si aliquam fraudem commisisse, vel aliqua bona non propalasse conuicti fuerunt, non gaudeant, nec gaudere possint beneficio præsentis decreti, & intelligantur fraudem commisisse si ipsorum vxoribus, causa suarum dotium, vel donationum propter nuptias, & bonorum paraphernalium, reperirentur bona ipsorum debitorum, & fideiussorum data in solutum, vel vllo modo assignata etiam iure hypothecæ vltra veras quantitates, & extimationem ipsarum dotium, seu donationum propter nuptias, vel bonorum iurium paraphernalium, seu iurium dotalium, quorumcumque. Volentes, quòd prætextu aliquorum prædictorum, etiam si essent in casu ipsæ vxores habendarum, seu exigendarum dictarum dotium, & iurium vltra veram extimationem, & quantitatem ipsorum vlla consignatio, seu datio in solutum eis fiat, slz. de residuo fiat creditoribus, & si vlla controuersia oriretur super tali extimatione, assignatione, seu datione insolutum facta, seu, quæ fieret ipsis vxoribus prætextu dictorum iurium, quod Iusdicens, seu Rector coram quo esset incontinenti eligat, & eligere teneatur duos bonos viros partibus non suspectos, qui æstiment, & videant, si talis assignatio, vel solutio excedat veras quantitates, vel æstimationes dictorum iurium, quorum sic electorum æstimationi stetur non obstante aliquo Statuto, & consuetudine in contrarium disponen. Quæ omnia volumus summariè reiectis quibuscunque cauillationibus, debere procedi, & cognosci per Iusdicentes, ad quos spectabit cognitio de prædictis; & si quis districtualis Comitatus nostri Mediolani prædicti præsentialiter detentus, vel captus est pro aliquo priuato debito tamquam principalis, vel fideiussor, iubemus, quod, quantum est occasione talis debiti priuati, teneatur à carceribus relaxari, seruatis semper præmissis. In his enim, qui se transferunt extra nostrum dominium, & fugitiuis, volumus hunc nostrum decretum locum habere. Mandantes quibuscumque Vicarijs, & Officialibus nostris præsentibus, & futuris, quatenus huiusmodi decretum nostrum publicent, & obseruent. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ Millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, die sexto Ianuarij, decima Indictione.

Reperitur

Reperitur in libro Decretorum Illustrifs. D. D. nostri &c. Mediolani &c. existente ad Officium prouisionum Communis Mediolani inter alia decreta decretum vnum capitulatim, tenoris inferius descripti, videlicet.

DOminus Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Decretum nostrum, quod super commoditatibus Subditorum nostrorum vigilanter intendentes, condidimus; mittimus vobis præsentibus introclusum. Mandantes vobis, quatenus illud in Ciuitate nostra Mediolani faciatis solenniter publ., ac in volumine aliorum decretorum, & Statutorum nostrorum, & dictæ nostræ Ciuitatis inferi, & pro lege, & nostro speciali edicto haberi, & præcisè obseruari per vos, & omnes alios Rectores dictæ nostræ Ciuitatis, & totius nostri dominij in omnibus suis capitulis. Volumus etiã, & iubemus, vt de ipsius, & nostra præsentium litterarum præsentatione nobis illicò rescribatis. Dat. Papiæ die vndecimo Iulij MCCCLXXV. A ter. Nob. Militi D. Potestati nostro Mediol.

Tenor Decreti sequitur in hac forma.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Vigilantes, & intendentes circa Subditorum nostrorum debitam, & iustam correctionem, ac ipsos à grauaminibus, dispendijs, & incommodis, tàm in rebus, quàm in personis, in quantum decet, & iustitia, ac equitas persuadet, taliter conseruare, quòd delinquentes, & culpabiles debitis pœnis, & castigationibus puniantur, ac debitores ad solutiones debitorum, in quibus, tàm nostro, & Cameræ nostræ, quàm quibuscunque Communibus, & singularibus personis Ciuitatum, & Terrarum, quarumcumque nostro dominio subiectarum inducantur, & arctentur sic, quod creditores eorum credita consequantur, & non fraudentur, eisdem, tenore præsentium, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis volumus, statuimus, decernimus, & mandamus insertum nostrum decretum per quoscunque Potestates, Vicarios, Rectores, & Officiales quarumcumque nostrarum Ciuitatum, & Terrarum nostro Dominio subiectarum inuiolabiliter obseruari, vt infra, vlz.

Inprimis, quod si contingat, per aliquem Potestatem, Vicarium, Rectorem, Iusdicentem, vel Officialem capi, vel captam esse aliquam personam, quæ inculpetur, seu inculpata sit de aliquo delicto ex quo veniat imponenenda pœna capitalis, seu corporalis, quod ipse talis Potestas, Vicarius, Rector, vel Officialis ad quem hoc pertinet teneatur, & debeat processum cum omni velocitate, qua poterit expedire infra quindecim dies à die captionis, & si ipse talis inculpatus sit dignus morte, vel alia pœna corporali, condemnetur, & puniatur ea pœna, qua puniri debuerit infra spatium, & tempus prædictum.

In casu verò, quo caperetur aliquis, qui ante captionem fuerit bannitus, & condemnatus, fiat executio banni, & condemnationis infra quinque dies à tempore captionis; si verò veniat, seu sit absoluendus ipse inculpatus, expediatur cum omni velocitate vt supra processus, & à carceribus relaxetur statim finito processu, & infra terminos prædictos, singula singulis referendo, nec amplius dicta occasione detineatur captus, & si ipse talis captus veniat condemnandus in pœnam, & non ad mortem, seu pœna corporali, quod condemnetur, & puniatur, prout iustitia, & ius requirit, & facta condemnatione, quod cogatur ad soluendum id in quo fuerit condemnatus si est habilis ad soluendum, vel habeat vnde soluere possit, & tunc eius bona capiantur, & teneantur

quousque

quousque satisfactum fuerit de debito prædicto, nec propterea ipse ulterius captus detineatur, si verò nullo modo est habilis ad soluendum, vel quod nihil habeat vnde satisfacere possit, seu super quibus possit consequi solutio, tunc amputetur ei manus, vel pes; vel auricula, vel nasus, vel eruatur ei oculus vnus, vel fustigetur, habito respectu ad delictum commissum, & ad ipsum delinquentem vlz. vt si delictum commissum sit graue, & delinquens sit vilis persona, & diffamata, tunc ei imponatur pœna maior prædictarum. Si vero non graue, & persona non vilis, nec diffamata, leuior pœna ei imponatur prædictarum. Si autem graue, & persona non vilis, nec diffamata, vel non graue, & persona vilis, & diffamata, tunc media ei imponatur pœna prædictarũ.

Item, quod si quis est, vel fuerit, aut erit debitor alicuius singularis personæ ex debito pro quo capi potuerit, vel possit, quod ipse debitor cogatur ad soluendum in pecunia si potest, & si non potest in pecunia soluere, tunc teneatur dare creditori, seu creditoribus in solutum de bonis suis, tàm mobilibus, quàm immobilibus, & ipse creditor compellatur ad accipiendum in solutum de ipsis bonis dicti sui debitoris in æstimo amicorum Communium, & si non habet vnde possit de bonis suis satisfacere, tunc habeatur recursus ad fideiussores, & eorum bona, super quibus satisfiat, & satisfieri debeat ipsi creditori, & si fideiussores velint postea ipsum principalem debitorem facere capi, hoc facere possint secundum formam iuris, & Statutorum illius Ciuitatis, vel Terræ, & eum debitorem non tenere captum amplius in carceribus nostris, quia non intendimus, quod debitores propter debita, in nostris carceribus moriantur.

Item simili modo fiat, & obseruetur si quis debitor sit, vel fuerit alicuius Communis, quæ omnia volumus, iubemus, & mandamus per quoscunque Potestates, Vicarios, Rectores, & Officiales vt supra, inuiolabiliter, & pro lege seruari non obstantibus aliquibus iuribus in contrarium editis, ac ea mandamus in voluminibus Statutorum, cuiuscunque nostræ Terræ inseri, & apponi.

Cassatio Gratiarum contra ius concessarum.

DOminus Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Volumus, vobisque mandamus quatenus decretum nostrum præsentibus introclusum faciatis, tàm in Ciuitate nostra Mediolani, quã in alijs consuetis locis iurisdictioni vestræ publicè diuulgari, & in volumine decretorum nostrorum, & Statutorum Ciuitatis nostræ prædictæ registrari, & inseri pro lege municipali inuiolabiliter obseruandum. Dat. in Castro nostro Zoioso die tertiodecimo Oct. MCCCLXXVII. Pasquinus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani. Cuius quidem decreti dictis litteris introclusi, tenor talis est.

IN Christi nomine amen. Nos Galeaz Vicecomes Mediolani, Papiæ &c. Imperialis Vicarius generalis. Attendentes, quod sæpè tum ex suggestionibus non veris, tum ex importunitate petentium, & pro eis intercedentium, per nos concessa, seu facta sunt Rescripta, Decreta, Statuta, seu Litteras, quæ reperiuntur esse, & sunt derogatoria Statutis, decretis, aut sententijs prius editis, seu latis, & ex hoc volentes vnicuique suum ius illibatum esse, & neminem contra iuris debitum iure suo priuari, aut priuatum esse, cum sit, & semper fuerit nostræ intentionis iustitiam meram, puram, & inuiolatam in Ciuitatibus, & Terris nostris, ac inter Subditos nostros quoscunque inconcussè seruandam esse, & seruari debere. Idcirco tenore præsentium, animo deliberato, & ex certa scientia edicimus, decernimus, & mandamus, quod deinceps non fiant, nec conce-

concedantur, nec fieri, aut concedi debeant litteræ, Statuta, vel decreta, quæ derogent Statutis, decretis, aut sententijs, à quibus de iure appellari non possit, pœnam centum floren. auri indicentes ei, qui tales litteras, Statuta, vel decreta commiserit, seu imposuerit scribenda, vel facienda, Cameræ nostræ applican., & persoluen. infra dies decem, quam pœnam si soluere non possit, incurrat, & soluat eidem Cameræ nostræ pœnam floren. quinquaginta ad terminum antecedentem; & si non soluerit, manus incidatur eidem, & similem, seu eandem pœnam incurrat ille qui scripserit, seu fecerit. Et si continget per nos oretenus committi, seu imponi tales litteras, Statuta, vel decreta, aut ipsas, vel ipsa per alium nostri parte committi, vel imponi, decernimus, & mandamus, quod ille, cui dictæ litteræ, Statuta, vel decreta committentur faciat, & facere debeat nobis conscientiam, quod dictæ litteræ, Statuta, vel decreta derogant, ac præiudicant Statutis, decretis, aut sententijs prius factis, latis, & hoc antequam ipsas, vel ipsa faciat, seu scribat, sub pœna prædicta. Et si fortè ex causa aliqua decerneremus, quod fierent litteræ, vel decreta contra priùs edita, facta, non valeant, nec eis fides adhibeatur absque impressione nostri bulletini secreti. Et quia parum esset futuris remedium adhibere, nisi & in præteritum indemnitati læsorum, seu oppressorum prouideretur, edicimus, decernimus, volumus, & mandamus, quod omnia rescripta, litteræ, Statuta, seu decreta ab hinc retro concessa, edita, seu facta, siue concessæ, editæ, seu factæ, quæ derogarent, seu præiudicarent Statutis, decretis, seu sententijs, (à quibus de iure tunc appellari non potuisset) priùs latis, seu factis, cassa, irrita, & reuocata, ac cassæ, irritæ, & reuocatæ, ac nullius roboris, vel momenti sint, & esse intelligantur, & eas, & ea ex nunc pro cassatis, reuocatis, & irritis haberi volumus, & teneri; saluo quòd si dictæ nostræ litteræ, rescripta, decreta, vel Statuta per nos facta, siue factæ derogantia, vel derogantes, seu præiudicantia, vel præiudicantes Statutis, decretis, seu sententijs, à quibus tunc de iure appellari non potuisset priùs factis, seu latis, effectum, & executionem habuissent per sententiam iuditialem, aut arbitralem, seu per arbitramẽtum, aut transactionẽ, seu per alium modum legitimum, non intendimus præsens nostrum decretum, & mandatum ad illa debere extendi, nec per præsens nostrum decretum debere reuocari, quæ effectum, & executionem habuerunt vt supra; & ad hanc exceptionem faciendam solùm mouemur, ne iam sopita negotia iterato in lites, & iurgia deducantur; & innumerabilium controuersiarum, ac litium, (quæ verisimiliter insurgerent inter subditos nostros, nisi hæc exceptio poneretur) materia, & occasio tollatur, & penitus amputetur.

Alia cassatio gratiarum contra ius concessarum.

GAleaz Vicecomes Mediolani Comes Virtutum &c. Etsi aliquando contigisset, quòd, aut nobis non expressà veritate, aut ex petentium importunitate nimia, vel aliter, per aliquas litteras concessissemus, vel mandauissemus verbo, vel litteris per quas, vel quod alicui ciui, vel districtuali Ciuitatis Mediolani vlla facta fuisset iniustitia, vnde ius alicuius foret diminutum, ad hoc, quòd nemo de nobis iustè conqueri possit huiusmodi litteras nostras, & mandata, quæ quemuis damnificatum, seu læsum cõtra iuris debitum reddidissent, vt præfertur, ex certa scientia, præsentium tenore reuocamus, & cassamus. Volentes, & mandantes vobis quatenus talis modi litteras, & mandata nostra, quæ iniustitiam, & indebitum detrimentum, vt prædiximus, intulissent, vel inferrent, cuiuis personæ, Vniuersitati, vel Communi minimè exequi. Scilicet penitùs irritare,

&

& annullare debeatis. Dat. Papiæ MCCCLXXVIII. die xviiij. Aprilis. A ter. Sapientibus Viris Dominis Vicario, necnon Referendarijs pro Magnifico Dño Genitore nostro Mediolani.

Reperitur in volumine Statutorum, & Decretorum Communis Modoetiæ inter cætera sic fore scriptum, vt infra vlz.

NOS Galeaz Vicecomes Comes Virtutum Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Vt dilecti nostri Commune, & homines Terræ nostræ Modoetiæ sub vmbra Dominij nostri, beneficijs, & priuilegijs, quibus temporibus celebris memoriæ Magnificorum quondam Dominorū Prædecessorum nostrorum gauisi fuerunt, gaudeant in futurum. Idcircò litteras, gratias, & concessiones eisdem nostris Communi, & hominibus Modoetiæ indultas, & factas, quarum tenor sequitur in hac forma vlz.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani, Modoetiæ &c. Imperialis Vicarius generalis. Visis litteris gratiæ concessæ Terræ nostræ Modoetiæ per quon. Dominum Azonem Vicecomitem prædecessorem nostrum tenoris inferius annotati, & per bonæ memoriæ quondam Dominum Luchinum Vicecomitem, & subsequenter per Reuerendissimum Patrem, & Dominum, Dominum Ioannem Archiepiscopum, & Dominum Mediolani &c. Patruos nostros confirmatis, quarum tenor talis est. Azo Vicecomes Mediolani, Pergami, Cremonæ, Vercellarum, Modoetiæ &c. Dominus generalis. Vniuersis, & singulis Officialibus nostris Mediolani salutem, & omne bonum. Mandamus vobis, quòd cum bona, & expedita ratio fiat per Officiales nostros Modoetiæ quibuscunque ius petentibus quatenus homines dictæ Terræ coram vobis nullo modo litigare cogatis; cum vobis constet sic fuisse obtentum tempore nostri Dominij, in cuius rei testimonium has patentes litteras conscribi iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die decimonono mensis Ianuarij Millesimo trecentesimo trigesimo quinto, tertia Indictione. Ego Otto de Ottobellis Cancellarius Domini prædicti eius mandato subscripsi. Tenore præsentium ipsas litteras, & gratiam approbamus, ratificamus, & confirmamus, & de nouo eisdem Communi, & hominibus de Modoetia concedimus in omnibus, & per omnia, prout in eis plenius continetur, duraturas vsque ad beneplacitum voluntatis. Addentes insuper, diffinientes, & declarantes, Potestatem, Mediolani, nec aliquos Iusdicentes Mediolani præsentes, & futuros in dicta Ciuitate non habere, nec exercere posse aliquam iurisdictionem in dictum nostrum Commune, Burgenses, seu districtuales dictæ nostræ Terræ Modoetiæ, nec in eorum, nec alicuius eorum bona, vel sibi debita, siue sint in Ciuitate Mediolani prædicta, vel eius Comitatu, vel alibi directè, vel per indirectum, vel aliquo colore quæsito, quia nostra voluntas, siue intentio est., vt dictum nostrum Commune, & homines dictæ nostræ Terræ, & eorum bona, & quomodocunque sibi debita sint à iurisdictione iusdicen. in dicta Ciuitate Mediolani taliter exempti, & exempta ne possint aliqualiter infringi, vel impugnari; & si quid in contrariū fuerit attentatum modo qualicunque: decernimus de nostræ plenitudine potestatis, & ex certa scientia tamquam à non habentibus iurisdictionem aliquam, & à non suis iudicibus gesta, & facta non valere, & omnino viribus carere, & quomodocunque impugnantes hanc nostram paginam se nouerint indignationem nostram incursuros, & animaduersione debita puniendos, registratis præsentibus; &

sigilli

sigilli nostri munimine roborari in testimonium præmissorum. *Dat. Mediolani MCCCLVIIII. die decimo mensis Decembris, Indictione tertiadecima.* Harum tenore, & ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis ratificamus, approbamus, & confirmamus, & de nouo conferimus in omnibus, & per omnia sicut iacent. Dat. Papiæ secundo Augusti MCCCLXXVIIII. tertia Indictione. Ego Suardus de Casate Notarius Terræ Modoetiæ suprascriptum decretum ab autentico Statutorum, & Decretorum Communis Modoetiæ extraxi, & me in fidem præmissorum subscripsi.

Galeaz Vicecomes, Comes Virtutum &c. Imperialis Vicarius Generalis.

VOlumus, vobisque mandamus quatenus per litteras, mandata, aut relationes qualescumque, & per quemuis fiendas, seu fienda, aut mittendas vobis, vel qualitercumque missas, vel factas, nullatenus procedatis, neque quicquam facere debeatis contra Statuta, & ordinationes Terræ nostræ Modoetiæ etiam si nos mandaremus, nisi de derogatione ipsorum Statutorũ, & ordinum mentionem specialem faceremus, quodque præsentes litteras nostras inseri in volumine Statutorum Terræ nostræ prædictæ faciatis. Dat. Papiæ die primo Septembris MCCCLXXVIIII. A tergo Nobili Viro Capitaneo nostro Modoetiæ, alijsque Iusdicen. præsentibus, & futuris, necnon Procuratoribus, & Sapientibus Terræ nostræ eiusdem. Ego Bernardus de Briosco Notarius Terræ Modoetiæ prædicta à suprascripto volumine Decretorum, Statutorum, & Ordinum Communis Modoetiæ fideliter extraxi, & in præmissorum fidem subscripsi.

Reperitur etiam in capitulis concessis per Illustris., & Excellentiss. Dominum nostrum Franciscum Sfortiam Vicecomitem Ducem Mediolani &c. Communi, & hominibus Terræ Modoetiæ, inter alia capitulum vnum tenoris huiusmodi, videlicet.

ET prima supplicano essi huomini di Monza, che il prelibato Illustrissimo, & Eccellentissimo Signore si degni conseruarli, confirmarli, & mantenerli inuiolabiliter in tutte quelle franchiggie, priuilegi, Statuti, ordini, decreti, e prouisioni, misto, e mero impero, & giurisdittione separatim dalla Cittade di Milano, & nel modo, e forma come soleuano essere al tempo della buona memoria delli altri Illustrissimi Signori Visconti passati, & massime del primo Duca di Milano. Fiat de illis, de quibus erant in possessione, vel quasi, tempore obitus Illustrissimi Domini Filippi Mariæ olim Ducis Mediolani Patris nostri honoran. Ego Bernardus de Briosco Notarius Terræ Modoetiæ suprascriptum capitulum à capitulis concessis Communi, & hominibus dictæ Terræ fideliter extraxi, & in fidem præmissorum subscripsi.

Decretum super reuocatione Capitanei Seprij, & Bolgariæ, & quod Bestia Bouina non possint detineri, & multa alia continens.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Receptis certis capitulis in modum supplicationis nobis exhibitis pro parte Communitatum, & hominum Comitatus nostri Mediolani, fecimus ipsis capitulis responsiones nostras infra vnumquodq; ipsorum capitulorum annotatas, sicut cognouimus expedire. Mandantes, quibuscumque Capitaneis, Vicarijs, Rectoribus, Referendarijs, & Officialibus nostris, quatenus ipsas

responsiones nostras, sicut ad eos, & quemlibet ipsorum spectat, inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant cum effectu, prout iacent ad litteram. Quorum quidem capitulorum, & responsionum tenores sequuntur, vt infra vlz. Illustri, & Magnificæ Dominationi vestræ humiliter supplicatur pro parte fidelium Subditorum vestrorum Comitatum, & hominum totius vestri Comitatus Mediolani in vestra dominatione spectantium, quod cum homines dicti vestri Comitatus magnam supportent expensam occasione officij Capitaneorum in dicto vestro Comitatu residentium, tàm occasione salarij ipsorum Capitaneorum, quàm occasione lectorum, & munitionum, quas ipsi Capitanei petunt, & volunt consequi; quàm etiam pro magnis solutionibus, quas percipiunt famuli dictorum Capitaneorum pro vnaquaque re. Cum etiam, quia in magnis causis plus impediuntur litigare coram ipsis Capitaneis, quam expediantur, pro eo, quòd in dicto vestro Comitatu non sunt Aduocati, & Procuratores idonei, scilicet eos oportet ire ad Curiam vestram, vel ad forum Mediolani: dignetur vestra benigna Dominatio, attentis præmissis, & considerato, quod per gratiam Dei, ad præsens homines dicti vestri Comitatus viuunt in pace, & tranquillitate affectantes honorem, & Statum vestræ Dominationis, expensam dictorum Capitaneorum eis tollere, & de cætero eis non dare Capitaneum cum dicta expensa de leui cum honore vestræ Dominationis euitari possit.

Responsio Illustris Principis, & Magnifici Domini, Domini Mediolani &c. Comitis Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Sumus contenti, & volumus, quòd finito termino regiminis præsentis Capitanei dicti nostri Comitatus cassetur officium dicti Capitaneatus, quia nostræ intentionis est prouidere per modum, quod homines dicti nostri Comitatus regantur, & gubernentur per alios Rectores, quàm per Capitaneum prædictum.

Item, supplicant, quod cum aliquando seruitores, & famuli, qui tàm à Mediolano, quàm alibi veniunt in Comitatum pro derobando, querelas faciunt de pignoribus prohibitis contra veritatem, quando non possunt solutiones consequi, sicut volunt, de quibus homines recipiunt condemnationes, & graues expensas, dignemini edicere, & mandare, quod non adhibeatur in talibus fides querelis dictorum seruitorum, & famulorum, nisi ad derobationem, & prohibitionem fuerint præsentes Consules locorum, & Terrarum, vel saltim duo boni Viri dictorum locorum.

Responsio præfati Domini. Sumus contenti, & volumus, quod Consul, vel vnus testis fidedignus Terræ, vel loci, in quibus contingent fieri aliquæ derobationes sit præsens dictis derobationibus, & quod non adhibeatur fides querelis, & relationibus seruitorum, & famulorum facientium dictas derobationes, nisi prædictus Consul, vel testis testificatus fuerit, relationes ipsas, vt præmittitur factas, esse veras.

Item supplicant, quod licet per formam Statutorum Communis Mediolani vestri, bestiæ laboratiuæ nō possint, nec debeant derobari aliqua ratione, vel causa, tamen quotidiè derobantur per Gabellarores, & alios, & tanto tempore tenentur, quod bestiæ se cōsumant de eo quod valet pro pastura, dignemini mãdare, quod pœnã, quæ vestræ dominationi videbitur, imponenda aliquæ bestiæ bouinæ laboratiuæ non possint derobari per datiarios, nec per alios, vt laborare possint, & viuere.

Responsio prælibati Domini. Sumus contenti, & volumus, quod bestiæ laboratiuæ, & alia contenta in Statut. Communis nostri Mediolani non possint derobari. Saluo, quod volumus bene, quòd incantatoribus datiorum dicti nostri Communis seruentur eorum data, durantibus incantibus dictorum datiorum, quibus finitis, ad nouos incantus nolumus etiam eos posse facere derobari dictas bestias laboratiuas, & alia contenta in dictis Statutis.

Item

Item supplicant, quòd cum aliqua Communia, homines, & piscatores dicti vestri Comitatus molestentur, & condemnentur per Iudicē victualiū, & etiam per certos alios Officiales Ciuitatis vestræ Mediolani, eo quia non conducunt pisces ad dictam Ciuitatem. Dignemini, attento, quod coguntur conducere pisces, quos capiunt ad Ciuitatem vestram Papiæ, mandare, quod pro conductione, & consignatione piscium per prædictos Iudicem, & Officiales Mediolani non condemnentur, nec molestentur. Scilicet omnis condemnatio de ipsis facta, præmissa occasione, liberè, & sine præstatione alicuius pecuniæ cancelletur.

Responsio præfati Domini. Habita informatione, quod vera sunt contenta in dicto capitulo. Volumus, & mandamus dictis Iudici, & Officialibus Ciuitatis nostræ Mediolani, quatenus aliqua Communia, homines, vel piscatores dicti nostri Comitatus pro conducta, & consignatione piscium ad dictam Ciuitatem nostram Mediolani non molestent, nec condemnent, & si aliquæ condemnationes factæ, vel secutæ forent, occasione præmissa, eas penitùs annullari, & cancellari faciant liberè, & sine aliqua præstatione pecuniæ.

Item supplicant, quòd cum etiam per datiarios Douanæ bestiarum grossarum, & minutarum dicti vestri Comitatus fiant diuersimodæ extorsiones, quia faciunt monstras, & descriptiones bestiarum, & aliquando mutant pilum, & aliquando cornua, & alia insigna, & ponunt homines in controuersia, & faciunt de eis accusas, & cogunt litigare cum magnis laboribus, & expensis, & contingit aliquando homines ex necessitate se tributare, & componere cum ipsis Gabellatoribus Douanæ. Dignemini prouidere, & mandare, quod homines non cogantur dare bestias in scriptis, nec monstras facere sicut factum extitit in alijs vestris districtibus, in quibus fuit iam dictum datium Douanæ, & non cogebantur dare bestias in scriptis, nec monstras facere, viz., qui committet fraudem condemnetur, & in casu, quò dominatio vestra tantùm velit, quòd monstræ debeant fieri pro incantibus præsentis anni, dignemini mandare, quod datiarij dicti datij non possint facere aliquam monstram in aliqua Terra, loco, capsina, nec molendino dicti Comitatus, absque Consulibus dictæ Terræ, vel loci, vel saltem sine Presbytero dicti loci, quibus Consulibus, vel Presbytero adhibeatur fides, tamquam datiarijs, vt non possint committi barattariæ, & in casu quo essent aliquæ discordiæ inter ipsos Consulem, vel Presbyterum ex vna parte, & dictos datiarios ex altera, quòd ipsæ discordiæ terminentur per Dominum Ludouicum de Bonbenillis, vel alterum ex Vicarijs vestris Mediolani, & non sub alio Iudice.

Responsio prælibati Domini. Sumus contenti, & placet nobis, quod monstræ fiendæ per Douanerios prædictos fieri debeant per modum contentum in vltima parte dicti capituli, & quod supradictus Dominus Ludouicus, seu alter ex Vicarijs nostris Mediolani terminent quæstiones, seu discordias, de quibus in dicto capitulo fit mentio.

In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & nostri sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ vndecimo Maij MCCCLXXXI., quarta Indictione.

Quod condemnationes factæ à certo tempore in partibus Seprij, & Bolgariæ, sint cassæ.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Supplicationem recipimus, tenoris huiusmodi. Illustri, & Magnificæ dominationi vestræ, humiliter supplicatur pro parte fidelium Subditorum vestrorum Comitatuum, & hominum totius Comitatus vestri Mediolani in vestra benigna Dominatione sperantes, quatenus cum Communia, & homines dicti

vestri Comitatus ad præsens molestentur pro certis condemnationibus stratarum, exercituum, & alijs diuersis occasionibus factis de ipsis cum pœna quarti, & minus triginta, & quadraginta, & plus, & minus. Dignemini præmissis attentis, & alijs multis grauitatibus eis incumbentibus, gratiam vestram cum ipsis dispensare, atque mandare, quod pro aliquibus condemnationibus, quauis occasione factis nullatenus molestentur, Scilicet, quod ipsæ condemnationes cum pœna quarti, liberè, & sine datione alicuius pecuniæ cancellentur penitùs, & annullentur de quibuscumque libris, & scripturis. Quare volentes dictis supplicantibus facere gratiam eorum grauitatibus attentis. Harum tenore mandamus quibuscunque officialibus nostris ad quos spectat, quatenus ipsos supplicantes occasione condemnationũ, de quibus supra fit mentio, quacumque occasione factarum ab annis quinque proximè præteritis retrò nullatenus molestent, nec molestari permittant, slz., ipsas condemnationes cum pœna quarti ex eis secuta, de quibuscumque libris, & filtijs, vbi descriptæ sint liberè, & sine datione alicuius pecuniæ penitùs cancellent, & cancellari faciant. Sic quod ipsarum occasione non possint de cætero aliqualiter molestari. Quodque si dicti Supplicantes nostri soluerint quartam partem illarum condemnationum ex prædictis, quæ factæ sunt ab annis quinque citra, vsque ad annum vnum prox. præt. hinc ad tres menses prox. fut. supradicti officiales nostri easdem condemnationes factas à dictis annis quinque citra, vsque ad dictum annum vnum proximè præteritum, & solutas, vt præmittitur etiam cancellent, & annullent per modum supradictum. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & nostri sigilli munimine roborari, Dat. Papiæ vndecimo Maij MCCCLXXXI., quarta Indictione.

Decretum, quod Clericus non incedens tempore primæ citationis emanatæ tàm pro, quàm contra in habitu, & tonsura Clericali habeatur pro mero Laico.

DOminus Mediolàni &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Receptis litteris vestris, mentionem facientibus sicut in Ciuitate nostra Mediolani, & eius Comitatu contingit maleficia, percussiones, & alia enormia sæpè committi, & talia committentes, vt pœnam dictorum nostrorum effugiant, se Clericos allegant habentes solùm primam tonsuram, & non alium ordinem Ecclesiasticum, nec sacrum, & incedentes in habitu Laicali, aliqui cum vestibus breuibus, & aliqui cum coratijs, & quandoq; arma deferentes, pro quibus Vicarius Dñi Archiepiscopi Mediolani iudicibus nostris maleficiorum quandoque scribit, quod tales Clericos cum processibus contra eos factis ad Curiam ipsius Vicarij transmittant. Et eis mandat, vt contra ipsos nõ procedant, exprimendo eorum punitionem ad se spectare. Respondemus, quod contra tales Clericos solùm tonsuram, & alios Sacros Ordines non habentes, procedere debeatis pro delictis, & alijs enormibus per ipsos in habitu laicali commissis, & committendis iuxta formam decretorum nostrorum quemadmodum procederetis contra quemcumque alium laicum non tonsuratum. Dat. Mediolani die xxvij. Septembris MCCCLXXXI. A tergo Nobili Militi Potestati nostro Mediolani.

Cassatio Statuti de accusa danda infra decem dies.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Super facto introclusi Statuti Communis nostri Mediolani, quod significastis

nobis,

nobis, siue Magistris Intratarum nostrarum, & Referendariorum Curiæ nostræ productum fuisse, & produci coram vobis per illos, quòd contra quos agitur occasione certarum quæstionum coram vobis vertentium pro aliquibus datijs dictæ nostræ Ciuitatis &c. volumus, quod si dictum Statutum practicatum est à principio Domini, Domini Archiepiscopi citra, quod illud obseruetur, & locum habeat. Si verò à dicto tempore citra nunquam practicatum fuit, volumus, quod à modo, nec in futurum locum habeat, nec seruetur. Dat. Mediolani die xxiij. Octob. MCCCLXXXI. A tergo Sapien. Viro Domino Iudici nostro datiorum Mediolani, cuius quidem Statuti inclusi tenor sequitur, vlz.

Reperitur in Statutis Communis Mediolani factis MCCCLI. hoc modo vlz. Delata accusa, vel denunciatione, vel notificatione, occasione alicuius Datij, Ciuitatis, & Comitatus Mediolani, citatio fiat infra dies decem proximos, & à die citationis infra duos menses difiniatur, alioquin vlterius procedi non possit, & quod nulla accusa, denunciatio, vel notificatio occasione datiorum prædictorum non prosit, nisi porrigatur infra decem dies à die quo dicatur esse commissum delictum, aliter ex hoc procedi vlterius non possit. Ego Imbertus de Septara Not. Officio Domini Referendarij Mediolani suprascriptas litteras, & Statutum ab originalibus, quæ sunt penès dictum Officium exemplatas subscripsi in fidem præmissorum.

Quod condemnationes hominum Seprij, & Bolgariæ factæ ab anno currenti MCCCLXXXI. retrò, possint solui pro quarto.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Recipimus Supplic. tenoris infrascripti vlz. Magnificentiæ vestræ humiliter, & deuotè supplicatur pro parte vestrorum fidelissimorum seruitorum Communium, hominum, & singularium personarum Comitatus vestri Mediolani, vt cum per olim Capitaneos vestros dicti Comitatus, Iudices stratarum, & victualium Communis vestri Mediolani, factæ fuerint certæ condemnationes diuersis occasionibus hinc retrò de ipsis Supplicantibus, seu aliquibus dicti Comitatus, quatenus eisdem gratiam facien. specialem dignemini edicere, & mandare omnibus Officialibus vestris ad quos spectat, quatenus ipsis Supplican. soluentibus quartam partem ipsarum condemnationum ipsas condemnationes liberè debeant cancellare, absque aliqua solutione pecuniæ, de quibuscumque libris, filcijs, & scripturis, vbi scriptæ reperiantur, ad hoc, vt prætextu talium condemnationum taliter qualiter factarum, ipsi vestri seruitores in vestra magnificentia spectantes, non molestentur, & homines Comitatus Mediolani soluere possint condemnationes de eis factas ab anno MCCCLXXXI. proximè præterito retrò, & de quibus supra fit mentio pro quarto, & per totum mensem Maij proximè venturi, & quod ipsis soluentibus dictas condemnationes, vt præmittitur, ipsæ condemnationes liberè, & sine aliqua præstatione cancellentur de quibuscumq; libris, & scripturis, vbi scriptæ reperiantur. Mandantes omnibus Officialibus nostris, ad quos spectat, quatenus, ipsis Supplicantibus soluentibus dictas condemnationes, vt prædicitur, ipsas condemnationes debeant de quibuscunque libris, filcijs, & scripturis, in quibus scriptæ reperiantur, liberè, & sine alia præstatione pecuniæ cancellare, taliter quod ipsi Supplicantes pro ipsis condemnationibus, nec quarto ipsarum non valeant vllo tempore molestari. Dat. Papiæ die xvij. Martij MCCCLXXXII., Indictione quinta.

Decretum factum in fauorem hominum Comitatus Mediolani, super grauitatibus, & extorsionibus, quæ sibi inferebantur per Officiales.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Querelam recipimus ab hominibus Comitatus nostri Mediolani in forma capitulorum continentiæ subsequentis. Illustri, & Excelsæ Dominationi vestræ humiliter exponitur prò parte fideliū vestrorū Cōmunitatis, & hominū vestri Comitatus Mediolani, quod ad præsens ipsi habēt infrascriptas grauitates, & expensas insupportabiles. Dignetur Clementia Vestra gratiam, & misericordiam vestram cum eis dispensare, vt sub vmbra vestra viuere possint, & ne sint deterioris conditionis alijs vestris Subditis, cùm ex nimijs grauitatibus homines in magna quantitate se absentauerint, & quotidiè se absentant in tantum, quod loca remanent inhabitata, & Terræ vadunt incultæ, quæ grauitates sunt hæc. Primò, habent Referendarios, & Exactores per quos sæpiùs pro vna re derobantur, tàm pro parte Vicariorum, quàm Referendatiorum, & Exactorum. Dignemini prouidere, & mandare, quod non possint molestari, nisi de mandato illius Vicarij, quem vestra Dominatio deputabit in Mediolano, & non per alios, & ad euidentiam veritatis, ab vno mense citrà habuerunt duos Officiales cum famulis sex pro quolibet, qui derobauerunt homines Comitatus pro vna re, & etiam multas bestias, de quibus certas relaxauerunt ijs, qui se tributauerunt, & statim redierunt ad robandum de alijs, in tantum, quòd extorserunt florenos ducentum, & plùs, quorum Officialium vnus vocatur Nicolaus de Figino, & alius Zanellus de Vico de Papia, & propterea nil secutum est Cameræ vestræ. Item dignemini mandare, quod homines dicti Comitatus, qui vadunt Mediolanū pro eorum negotijs non possint detineri in Mediolano, nec in itinere pro debito Communis, vt possint eorum negotia gerere. Item, quod per Notarios banchi Notariæ Mediolani accipiantur duplo, & triplo maiores quantitates, quam eis concedatur per formam Statutorum Communis Mediolani. Dignemini committere illi Vicario per vestram Dominationem deputando, quod taliter prouideat, & faciat, quod non possit grauari pro solutionibus dictorum Notariorum vltra formam Statuti. Quare volentes oculo pietatis, & misericordiæ ipsorum grauitatibus, & extorsionibus effectualiter prouidere, & in præmissis salubre remedium apponere sic, quod de cætero tales cessent grauitates. Harum serie volumus, edicimus, & mandamus, Vicarijs nostris Mediolani, tàm præsentibus, quàm futuris, quatenus sub pœna floren. vigintiquinque auri ab ipsorum quolibet auferenda, & nostræ Cameræ applicanda, totiens quotiens contra fecerit, non facient, nec faciant fieri aliquas executiones in Comitatu Mediolani nostro, nisi solùm pro rebus, & causis spectantibus ad ipsorum Officium, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus, & si contingat pro habenda informatione alicuius delicti ciuilis, vel criminalis, non mittant, nisi solum vnum Notarium cum vno seruitore, & similiter pro executione fienda vnum famulum cum vno seruitore. Saluo si expediret mittere pro capiendo aliquem, quod tunc liceat ipsis, vel eorum alteri, mittere illos famulos, qui sunt opportunius ad faciendum captionem prædictam. Reducendo se tantùm ad quam minorem quantitatem famulorum fieri poterit, inspecta qualitate facti. Et quod vlteriùs non permittant ipsi Vicarij sub pœna prædicta deprædari ipsos Supplicantes de bestijs laboratiuis, plaustris, aractis, & alijs rebus spectantibus ad cultum terrarū. Super secundo capitulo, volumus, quod homines Comitatus nostri Mediolani, possint liberè, & impunè ad Ciuitatē nostrā Mediolani, & ad alias Ciuitates, & Terras nostras ad eorū libitū ire, ibiq; stare, & inde redire, absq; eo, quod pro aliquibus debitis

debitis publicis detineantur. Super tertio capitulo, similiter volumus, & mandamus, quod Notarij banchi Notariæ Mediolani sint contenti, ac pro eorum mercede recipiant id, quod eis concessum est secundum formam Statutorum Communis Mediolani, & Decretorum nostrorum, & non vlterius, & si qui contrafecerint, soluant pro vno denario quatuor, illius quantitatis, quam vltrà formã Statutorum prædictorum acceperint, & totiens quotiens contrafecerint, quam pœnam per Vicarios nostros præsentes, & futuros ab ipsis exigi volumus, & Thesaurarijs Cameræ nostræ transmitti totiens quotiens, vt præfertur, sub pœna vigintiquinque florenorum ab ipsis, & vtroque ipsorum auferen. & dictæ nostræ Cameræ applican. totiens quotiens in prædictis fuerint negligentes. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & nostri sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ die vigesimo Decembris MCCCLXXXIII. septima Indict. Ant.

Reuocatio gratiarum contra ius concessarum.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia accidit aliquando, vt non sponte, sed importunitate petentium, quorum multus est numerus, moneamur ad concedendũ litteras, quæ iuri derogant nonnullorum. Ea propter cum sit humanum peccare, & Angelicum emendare, huic errori duximus in præsenti, & futuro salubre fore per nos remedium apponendũ. Volentes, decernentes, & mandantes, quod si in Ciuitate, & Comitatu nostris Mediolani, parte nostra aliquæ litteræ hactenus emanarunt, quæ iuri derogent aliquibus in casibus præsentibus nõ decisis, & futuris dumtaxat, eo ipso sint nullæ, & irritæ, & pro nullis, & irritis habeantur, ac per Officiales, & Rectores nostros, tam præsentes, quàm futuros, vel alios quoscumque, quoquo nomine censeantur, minime obseruentur, neq; obseruari debeant. Et illud idem dicimus, & volumus fieri de litteris, quæ de cetero ipsa parte petente emanabunt, derogãtibus iuribus aliquorum, vt præmittitur. Non intendentes propterea propter præsentes litteras aliqualiter derogari, decreto nostro generali facto in Terris nostris super ordine causarum, & litiũ abbreuiandarũ, quas quidem litteras nostras ad perpetuam rei memoriam, & inuiolabilem obseruationem registrari volumus, & inseri in volumine Statutorum, & Decretorum nostrorum, & Communis nostri Mediolani. Dat. Papiæ die xxj. Decembris MCCCLXXXIII. Antoniolus. A tergo Sapien. Viris Dominis Vicarijs nostris Mediolani præsentibus, & futuris.

Concessio facta Petro de Concoretio occasione certorum bonorum apprehensorum nomine Cameræ quondam bonæ memoriæ Magnifici Domini, Domini Galeaz restituendorum &c.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus vobis præsentibus alligatas certas nostras litteras patentes, quas fieri fecimus pro decreto nostro obseruandas in facto quæstionum, quæ possunt suboriri de possessionibus, & bonis, quas, & quæ relaxari fecimus in manibus Petri de Concoretio Ciuis nostri Mediolani, secundum, quod in eis videbitis contineri. Volentes, vobisque mandantes, quatenus statim eas registrari faciatis, & ipsas poni, & affigi in loco publico, vt de earum continentia omnibus valeat esse notum. Dat. Papiæ die xxiiij. Decembris MCCCLXXXIII. Antoniolus. A tergo Sapien. Viro Domino Iacobo de Alba Vicario nostro in Mediolano.

Tenor

Tenor decreti dictis litteris alligati, sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius. Quoniam consideramus, quod in, & super bonis, & rebus, quæ, & quas quotidiè relaxamus in remedium animæ bonæ memoriæ quondam Magnifici Domini Genitoris nostri, nostrorumque remissionem dilectorum, nonnulli diuersimodè ius prætendunt, atque possunt habere. Et volentes, quantum plus possumus, lites & iurgia minuere, & quòd vnicuique, quod suum est debitè tribuatur. Deliberamus, & volumus, quod omnes illas possessiones, domos, sedimina, res, & bona, de, & super quibus aliqua dubia sunt, seu esse contingat in futurum prætextu aliquorum creditorum, & dotium, vel aliter quoquomodo ponantur, ac sint in manibus, & apud discretum Virum Petrum de Concoretio Ciuem nostrum Mediolani, de cuius legalitate confidimus, deinde per eum relaxandas, & relaxanda, cui, vel quibus, & secundum de iure debebitur, & terminatum fuerit per Sapientem Virum Dominum Iacobum de Rogerijs de Alba Vicarium nostrum in Mediolano, & propterea volumus, & præsentium tenore committimus, & mandamus Domino Iacobo prædicto ad plenum, & ab experti confisi de eodem, quatenus de omnibus, & singulis casibus, causis, & quæstionibus possessionum, domorum, bonorum, atque rerum prædictarum, de quibus mandabimus eidem cognoscere, videre, decidere, & terminare debeat, tàm contra nos, quàm pro nobis, & quibuscumque ius habentibus in illis summariè, & expeditè, sine strepitu, & figura indicij, cauillationibus etiam, & subterfugijs cessantibus quibuscumque, solaque veritate inspecta, infra tres menses à die notificationis sibi factæ; & si contingat partes velle aliquam quæstionem, quæ verteretur inter eos, vel aliquos ex eis deberi committi alicui Iurisperito, qui sit de partium confidentibus, quòd tunc, & eo casu prædictus noster Vicarius debeat committere, & pronuntiare secundum consilium dicti Commissarij. Decernentes, & mandantes ex nunc, prout ex tunc, quod quicquid per ipsum Vicarium nostrum decidetur, & terminabitur in prædictis, & quolibet prædictorum, roboris obtinere debeat firmitatem. Insuper, quod pro aliqua pronunciatione, & sententia; atque relaxatione nullum præmium, nullaque solutio, vel tributum accipi debeat, nec dari cuique sub pœnâ pro vno denario, decem, vel valoris, & vlterius indignationis nostræ, quia sicut ea liberaliter dimittimus, sic intendimus per quemcumque ad quem, vel quos spectat huiusmodi executio, & agitatio, quod absque vllo præmio fiat, & liberaliter exequatur. Volentes quoque, quod Commissarios, & Notarios, quos huiusmodi negotium tanget, auisare, & monere taliter debeat ipse noster Vicarius, quòd salarium, neque solutionem de scripturis inde fiendis non accipiant vltra modum. Scilicet recipiant solùm secundum formam, & taxationem Statutorum Communis Mediolani nostri, & non vltra. Datum Papiæ die vigesimo quarto Decembris MCCCLXXXIII. vij. Indictione.

Decretum factum in fauorem hominum Seprij, & Bolgariæ, occasione extorsionum, quæ sibi inferebantur, diuersis occasionibus.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quædam capitula in modum supplicationis recipimus pro parte Communium, & hominum nostri Comitatus Mediolani nobis exhibita, quorum attenta continentia. Volentes prouidere, quod dicti Supplicantes ab extorsionibus,

sionibus, & molestijs, quæ eis inferi, & committi possent salubriter tueantur, & gubernentur. Facimus responsiones nostras ipsis capitulis, prout infra vnumquodque ipsorum continetur. Mandantes ideò quibuscumque Potestatibus, Vicarijs, Iusdicentibus, Rectoribus, Referendarijs, Officialibus, Notarijs, & Subditis nostris præsentibus, & futuris ad quos spectat, & spectabit, quatenus ipsas nostras responsiones, & omnia, & singula in eis contenta, prout iacent ad litteram obseruent, & faciant obseruari inuiolabiliter cum effectu. Tenores verò dictorum Capitulorum, & Supplicationum, ac responsionum nostrarum sequitur, vt infra. Viz. Illustri, & Magnificæ Dominationi vestræ humiliter supplicatur pro parte fidelissimorum seruitorum, & Subditorum vestrorum Comitatum, & hominum vestri Comitatus Mediolani, quatenus cum quotidiè, & sæpiùs eis inferantur multimodè extorsiones, & molestiæ occasione contentorū in infrascriptis capitulis. Dignemini amore Dei, inruiruq; pietatis, & misericordiæ super ipsis capitulis gratiam vestram cum eis dispensare, & prouidere, quod dictæ extorsiones tollantur, vt sub vmbra dominationis vestræ viuere, & alia plurima onera ipsis incombentia minus grauiter supportare possint. In primis quod Notarij Seprij, & Bolgariæ, vel alius Officialis non possint, nec debeant aliquo modo cogere, nec compellere Commune, & homines Seprij, & Bolgariæ ad faciendum, seu constituendum aliquos Camparios, homines adiunctos, seu electos, nec ad præstandum aliquas satisdationes, & alia ijs similia, exceptis satisdationibus, quæ fieri debent secundū formā cuiusdam decreti Magnificorum Dominorum Mediolani, quod decretum incipit „ de cætero non compellantur, & finit „ quouismodo „ pro quibus satisdationibus Notarij non possint accipere vltra solidos duos tertiolorum pro qualibet satisdatione, prout etiam fieri debet secundum formam prouisionum, & ordinamentorum factorum. MCCCLXI. secundum formam Statutorū Communis Mediolani. Nolumus, quod Communia, & homines nostri Comitatus occasione contentorum in dicto capitulo aliqualiter molestentur contra formam Statutorum, & decretorum nostrorum, & Communis nostri Mediolani, sub pœna quibuslibet Officialibus, & Notarijs, qui aliqualiter facerent contra prædicta, floren. vigintiquinque auri pro quolibet vice.

Item, quod Iudex, siue Vicarius, qui est, & erit ad criminalia deputatus teneatur quaslibet citationes, executiones, & condemnationes criminales propria manu scribere, & aliter non valeant, nec teneant, nec eis fides adhibeatur, & quod quilibet seruitor, qui faceret executionem aliquam, nisi sit subscripta manu dicti Iudicis, seu Vicarij condemnetur in libr. vigintiquinque tertiolorum.

Volumus, quod ille Vicarius, de cuius mandato, citatio, seu præceptum fiet, occasione contentorum in capitulo supradicto subscribat citationi, seu præcepto, quod per ipsum transmitti continget, quod si secùs fieret, ille seruitor, qui talem præceptum, seu talem executionem faceret, condemnetur in libris quinque tertiolorum qualibet vice.

Item, quod super accusis, seu notificationibus, vel denunciationibus, quæ aliqualiter porrigerentur occasione damnorum, procedatur, & condemnetur, prout procedi, & condemnari debet secundum formam Statutorū Communis Mediolani, & non aliter. Volumus, quod omnes processus, qui fieri contingent per quemlibet ex Vicarijs dicti nostri Comitatus occasione damnorum datorum fieri debeant secundum formam Statutorum Communis nostri Mediolani, & non aliter.

Item, quod occasione citationum fiendarum super accusis, vel occasionibus accusatum, persona accusata non teneatur dare seruitori aliquid pro mercede citationis. Scilicet accusator suis expen. citari faciat accusatum, reseruato tantū iure

expen-

expensarum accusatori in casu victoriæ,& in ijs casibus, vbi expensæ veniunt secundum formã iuris,& Statutorũ Communis Mediolani. In criminalibus verò, in quibus proceditur ex officio, si procedi debet teneatur inquisitus seruitori soluere pro citatione, in qua citatione sit scriptum manu dicti Vicarij quantum accipere debeat dictus seruitor pro mercede citationis,adhibendo dictus Dominus Vicarius aduertentiam ad distantiam locorum, vbi portabuntur prout dicto Vicario visũ fuerit pro minori dispendio Subditorũ. Volumus, quod si per viã accusationis,seu aliã viã ordinariã procedi continget per ipsos Vicarios nostros, seu alterum eorum,& contingat aliquam personam citari,vel aliter moneri,quod dicta talis persona citata,seu taliter monita non teneatur quicquam dare seruitori, seu nuntio prædicta exequenti. Scilicet hæc omnia fiant expen. accusatoris. Saluo tamen iure eidem accusatori eas expen. repetendi si quid competit. Si verò per officium procedi contingat,tunc Iudex, de cuius mandato processum fiet, teneatur subscribere manu propria super dicta citatione, seu præcepto quantum habere debeat dictus seruitor,habendo respectum ad millia per quæ ipsum seruitorẽ ire continget, & hoc habeat locum,siue contingat per ipsum seruitorem vnum citari debere, siue plures, quoniam non est intentionis, quod si contingat plures citari simul in eodem præcepto, seu plures, qui tamen vno itinere expediri possint,debeant pluribus solutionibus aggrauari.

Item, quod dictus Vicarius non possit,nec debeat mittere Collateralem,seu Officialem suum pro videndo aliquem vulneratum, nisi dictus vulneratus sit mortuus, vel in casu mortis, & tunc ille Notarius, qui ibit cum ipso Collaterali,nec etiam ipse Collateralis,seu Officialis non possint pro eorum remunerationibus solutionem recipere,nisi secundum formam Statutorum Communis Mediolani. Volumus, quod si contingat aliquem interfici,seu lethaliter vulnerari in Comitatu nostro prædicto, quod tunc, & eo casu Iudex possit transmittere Officialem suum ad videndum perpetratum crimen, & quod dictus Officialis, & Notarius non possint accipere pro sua mercede,nec pro mercede eorum,quos secum in comitiua habebit, vltra quantitatem contentam in Statutis Communis Mediolani, & quam solutionem capere teneantur de bursa criminosi, vbi vero nihil eis soluendo foret,Communis illius Terræ,in qua dictum crimen fuerit perpetratum soluere teneatur ipsi Officiali sic transmisso, & socijs secundum formam Statutorum Communis Mediolani, & si vltra summam prætaxatam, quicquam receperint,condemnentur, & pro condemnatis esse intelligantur in quadruplum, & quod nullus possit transmitti,nisi in casibus duobus prædictis.

Item, quod seruitor, & famuli, qui ibunt in dictum nostrum Comitatum pro aliqua executione non possint accipere salariũ, nec pignus pro mercede sua ab eis contra quos facient executionem,seu citationẽ, & quod non possit procedi contra aliquam personam pro aliqua relatione vetiti, nisi prout probata fuerit saltem per vnum testem fidedignum, qui sit habitator illius Burgi, vel loci, vbi dictum vetitum committeretur. Volumus, quod citati, vel molestati, de quibus in dicto Capitulo fit mentio non possint molestari occasione alicuius mercedis ipsius seruitoris, quam prætendat habere debere occasione suæ executionis, quoniam mercedem suam consequi debet ab eo, qui transmittit eum, nec volumus, quod occasione prædicta possit dictus seruitor facere pignus, vel contestationem. Volumus etiam insuper, quod pro pignore vetito, seu occasione vetiti non possit procedi, nisi de dicto vetito facta fuerit fides Iudici, de cuius præcepto fiet executio saltẽ per sacramentũ dicti seruitoris, & per sacramentum alterius testis fidedigni, quæ sacramenta scripta sint in actis dicti Iudicis. Dat. Papiæ die vltimo Februarij MCCCLXXXIIII. septima Indictione. Comolus.

Decretum

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus his inclusa vobis per exemplum capitula, quæ annotari fecimus super Officijs Thesaurariarum, & Exactoriarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, iuxta, quæ volumus, & intendimus ipsas Thesaurarias, & Exactorias incātari debere,nil addito diminutouè,nisi prout capitula cōtinent; & propterea mandamus vobis quatenus Thesaurarias, & Exactorias nostras Mediolani,& Cumarū statim ad incantū ponatis, & proclamari iuxta capitula suprascripta faciatis incipien. in Kalen.mensis Aprilis proximè fut.,& pro eisdem permittatis minora aduentagia, quàm poteritis,& comprehendere potestis, quod exigant modica aduentagia. Quodque talem aduertentiam adhibeatis in prædictis,quòd ad incantus prædictos non accurrant illi quo scitis nostræ intentionis esse, quod de dictis Thesaurarijs,& Exactorijs se aliqualiter non intromittant, rescribendo nobis sæpiùs quicquid feceritis in prædictis, & nullatenus ad ipsarum deliberationum procedatis,absque expresso mandato nostro. Dat. Papiæ die vij. Martij MCCCLXXXIIII. Antoniolus. A tergo Referendarijs nostris Mediolani.

Capitulum Thesaurariarum Ciuitatum Domini.

INprimis, quod illi qui deliberabunt ad incantum aliquam Thesaurariam talem aduertentiam habeant, quod dictæ Thesaurariæ concedantur, & vendantur ad incantum bonis hominibus, & personis, & quæ sint bonæ conditionis, vocis, & famæ, sub pactis infrascriptis, vlz. Quod Thesaurarius durante Officio suo nullam pecuniam dabit ad vsuram, quouismodo directè, nec indirectè; publicè, nec occultè, per se, nec per aliam quouismodo submissam personam, & eo casu quo contingat ipsum facere contra prædicta, quod condemnetur in quadruplo totius eius, quod ipsum ad vsuram dedisse contigerit, & quod etiam de dicta vsura nullus Iusdicens possit, nec debeat dicto Thesaurario ius reddere quoquo modo.

Item, quod Thesaurarius, tenore præsentium, possit recipere, & recipiat, & recipere debeat omnes intratas, & introitus, tàm ordinarios, quàm extraordinarios, condemnationes, taleas, & mutua spectan. Communi qualibet occasione, & de eis facere solutiones, secundum bulletas, quæ fient per Officiales super hoc deputatos, & quæ dicto Thesaurario, vel eius nuntio, vel factori præsentabuntur, & intelligantur facta esse, & facta sint omnia pagamenta, & solutiones omnium, & singularum quantitatum, quæ continebuntur in bulletis, quæ erunt penès eum Thesaurarium.

Et o prædictum capitulum in Mediolano inteligatur hoc modo vlz., tantùm de intrata ordinaria Communis, Imbotatum vini Comitatus Mediolani pertinens Cameræ nostri Domini, & taleas, quæ imponentur pro defectu intratæ Communis si imponi contigerint dicta occasione, & de prouisione veteri præfati Domini, & non de aliqua alia intrata, de qua solitum est responderi debere Officiali ad hoc deputato per Dominum in Mediolano, de qua respondeatur, & responderi debeat dicto Officiali, prout hactenus responderi consuetum est.

Item, quod dictus Thesaurarius ex denarijs intratis Communis ex Domini, & quantum penès se habeat ex denarijs, & intratis prædictis, & non aliter, nec vltra teneatur, & debeat facere omnia pagamenta, & solutiones, quæ

nomine

nomine ipsius Communis cuilibet, & quibuslibet fieri debuerint secundum bulletas, quæ præsentabuntur ipsi Thesaurario, siue Officiali, vel eius factori.

Item, quod dictus Thesaurarius possit, & licitum sit de omnibus solutionibus, quæ per eum fieri contingerint Castellanis, Pontinarijs, & salariatis Communis tantum, accipere Imper. duos pro quolibet floreno, seu ad rationem floren.

Item, quod dictus Thesaurarius aliqualiter compelli non possit facere aliquam præstantiam dicto Communi, nec alteri Communi, nec alicui stipendiario prouisionato, vel salariato, nec alicui alij personæ. Et hoc nisi prædictus Thesaurarius habeat pecuniam superabundantem penès se, & procederet de speciali mandato Domini.

Item, quod dictus Thesaurarius aliqualiter compelli non possit, nec debeat ad dandum alicui aliquam pecuniæ quantitatem, nisi priùs eidem Thesaurario detur, & dimittatur bulleta ipsius pecuniæ dandæ.

Item casu adueniente, quo aliquo tempore, seu aliquibus temporibus vlla pecunia penès ipsum Thesaurarium remaneret, quod hoc dicto Thesaurario nullatenus valeat imputari, nec proinde ipse Thesaurarius cogi possit, nec debeat soluere aliquid, dummodo ipsam pecuniam scripserit ordinatæ rationi præfati Domini, vel Communis prædicti, & ipsam soluerit ad requisitionem præfati Domini, vel eius Officialiũ ipsius Communis ad hoc deputatorum, pro vsura, seu interesse, vel vtilitate, quoniam necesse est, & verisimile, quod dictus Thesaurarius semper penès se aliquid habere debeat, pro faciendo solutiones opportunas; teneatur tantùm dictus Thesaurarius in fine cuiuslibet mensis notificare Potestati, & Sapientibus dictæ Ciuitatis, in qua dictus Thesaurarius reperitur, pecuniam, quæ superabundauerit sibi.

Item, quod Commune illius Ciuitatis, in qua erit Thesaurarius teneatur dare dicto Thesaurario pro pensione domus, quam conduxerit in Ciuitate illa, in qua exercere debebit dictum Officium.

Item, quod dictus Thesaurarius habeat salarium ei limitatum per Ciuitatem, in qua fuerit Thesaurarius constitutus.

Item, quod licitum sit dicto Thesaurario, & cuilibet eius nuntio, vel factori accipere solutionem confessionum, vel bulletarum, quæ fieri contigerit de solutionibus, quæ fieri contingerint Imper. duos pro qualibet bulleta, siue confessione, & sit quanta quantitate velit esse. Et hoc dum ipse soluens velit accipere confessionem in scriptis, & aliter non, scilicet in omni casu ipse Thesaurarius nihil teneatur aptare super librum absque solutione.

Item, quod dictus Thesaurarius debeat soluere stipendiarijs equestribus, & pedestribus, qui erunt ad custodiam ipsius Ciuitatis secundum bulletas, quæ eidem à Camera transmittentur, de denarijs salarij præfati Domini, quod debetur per ipsam Ciuitatem præfato Domino singulo mense, & residuum Thesaurario præfati Domini.

Item, quod dictus Thesaurarius teneatur, & debeat facere, & reddere rationem, & plenam solutionem Cameræ Domini, omni mense de grosso Domini datio Cameræ, licentijs, & oblationibus.

Item, quod omnes Datiarij dictæ Ciuitatis, & districtus teneantur, & debeant dicto Thesaurario respondere de duabus partibus ipsorum datiorum, & intratarum, in auro, aut de Imper. sex pro floreno, eius, quod de dictis duabus partibus restaret ad soluendum in auro, & sic similiter respondere teneatur dictus Thesaurarius Cameræ Domini, & de tertia parte in moneta argenti ipsam solutionem faciat in fine cuiuslibet mensis de taleis autem imponen. pro laborerijs Communis, vel alia causa tangen. Commune, quicquam non exigatur de cambio.

Item

Item in Mediolano intentio huius capituli prædicti talis est, quod Thesaurarius respondere debeat Cameræ Domini de duabus partibus floren. decem millium; pro salario Domini florenos centum quinque, pro prouisione veteri Domini, & de denarijs Imbotaturæ vini, aut de Imper. vj. pro floren. eius, quod restaret ad soluendum in auro, & de reliqua tertia parte in moneta argenti, & à dictis pecuniarum quantitatibus supra vtilitas dicti cambij perueniat in Thesauraria.

Item, quod liceat, & licitum sit dicto Thesaurario de denarijs aduentagiorum, qui dabuntur, seu compensabuntur incantatoribus pro datijs per eos incantatis, & incantandis recipere, & in se retinere ad computum Imper. sex pro floren. pro se tantùm, & non vltra.

In Thesauraria Cumarum penultimum capitulum intelligatur hoc videlicet. Quod Thesaurarius Cumarum habere debeat cambium tantùm illarum duarū partium intratarum Communis Cumarum, quæ solui debent in auro quantum est pro salario Potestatis, & aliorum Officialium Communis, & de eo, quod relaxatur Communi pro laborerijs, & detrahitur pro Clericis, qui sunt in summa floren. cccclviiij. sol. xv. den. vj. ad computum Imper. octo pro floren., de dictis duabus partibus soluen. in auro, & de toto residuo dictarum intratarum de ipsis cambio respondere debeat Cameræ prefati Domini ad dictum computum Imperialium octo pro floren., vsque ad Kal. mensis Septembris prox. fut., & à dictis Kalen. in antea dictum cambium duarum partium intratarum prædictarum intelligatur, & esse debeat solummodo ad computum Imper. vj. pro floreno.

Ordo Exactoriarum.

PRIMO, quòd illi, qui ad incantum ponent Exactorias prædictas habeant aduertentiam, quod ad prædictum incantum admittantur solummodo homines intelligentes, bonæ famæ, conditionis, & vitæ, & specialiter aduertant, quod nullum aduentagium detur alicui personæ, quæ prædictæ conditionis non existat.

Item, quod nulla Exactoria deliberari possit, nec debeat, nec deliberata esse intelligatur alicui personæ, nisi priùs per deputatos ad incantus eiusdem notificatum fuerit prælibato Domino de nomine, & cognomine, de Ciuitate vbi trahit originem, & vbi habitat, ac conditione personæ ipsius Incantatoris, & obtenta fuerit licentia à Domino præfato de deliberando ipsam talem Exactoriam ipsi tali personæ, quæ ipsam posuerit ad incantum, & quam notificationem facere debeant ipsi deputati ad ipsos incantus cum cognouerint ipsam Exactoriam ascendisse ad illam maiorem quantitatem, quam ascendere poterit.

Item, quod prædictus Exactor teneatur, & debeat exigisse de mense in mensem à singulis debitoribus, qui singulo mense euenient tempore dicti sui Incantus, hoc modo vlz., quod infra mensem vnum à die dicti debiti exigen. postquam dictum debitum ortum fuerit, & factum computum exigisse debeat totum illud debitum, quod debitor dare debuerit dicto Communi quauis occasione sione, quos debitores, statim cum euenerint dictus Exactor debeat ire acceptum vbi descripti erunt, & illi penès quos erunt dicti debitores dare teneantur omni exceptione remota, & absque vlla perceptione inde habenda per illos penes quos erunt debitores ipsi, ne exactio, & executio contra eos retardetur. Et ad hoc compelli possint per Potestatem ipsi penès quos erunt dicti debitores, ad dandum eos dicto Exactori sub illa pœna, quæ Potestati

 videbitur

videbitur imponenda, & si predictus Exactor non fecerit predictam executionem in toto, seu pro parte, seu non apprehendiderit tot de bonis mobilibus, seu immobilibus dicti debitoris, quæ ascendant summam debiti dicti debitoris, seu partem eiusdem infra mensem vnum à die solutionis, siue exactionis fiendæ de dicto debito, quod tunc, & eo casu Potestas illius Ciuitatis vbi erit deputatus dictus Exactor possit, & teneatur exigere omne, & totum id, quod restauerit ad soluendum dicto debitori, seu quid exactum non fuisse per dictũ Exactorem, & quemadmodum in omnibus, & per omnia exigere, & apprehendere potuisset dictus Exactor si ab illis quibuslibet debitoribus supradictis, à quibus dictus Exactor infra dictum mensem non exigisset, seu non apprehendidisset vtsupra, & quod dictus Exactor per hoc non possit petere aliquod restaurum ab aliqua persona, vel Communi, & quod eo casu dictus Potestas possit habere illud emolumentum pro illis exactionibus, quas fecisset, quod habere debuisset dictus Exactor si eas fecisset. Si verò aliqua Ciuitas, vel Communitas haberet aliquos debitores, qui fuissent debitores ante tempus incantus dictæ Exactoriæ iste ordo seruetur vlz. Quod Potestas illius Ciuitatis, in qua erit dictus Exactor faciat dare in scriptis dicto Exactori, vsque ad totum illum numerum dictorum debitorum dicti Communis, quos elegerit, & etiam dictus Potestas dari faciat ipsi Exactori de alijs, prout sibi placuerit, & cognouerit expedire, ne per ipsum Exactorem in hoc fraus committi possit. Et quod datis dictis debitoribus in scriptis dicto Exactori teneatur, & debeat dictus Exactor exegisse quicquid potuerit à debitoribus sibi datis in scriptis vtsupra, infra mensem vnum à die dationis dictorum debitorum proximè computan., quod si prædictus Exactor infra dictum terminum non exegerit vtsupra, à prædictis debitoribus, seu aliquo ex eis, datis in scriptis vtsupra, quod tunc, & eo casu Potestas dictæ Ciuitatis debeat, & teneatur exigere vtsupra, & sic successiuè de mense in mensem, vsque in fine anni. Et prædicta non habeant locum in personis Ecclesiasticis, de quibus nolumus ipsum Exactorem, & Potestatem de talibus se intromittere debere, sciens dictus Potestas, quod si non exegerit vtsupra, sindicabitur, & condemnabitur vtsupra.

Item, quod si dictus Exactor voluerit in ipsa Exactoria aliquem socium, vel officialem assumere, & eligere, quod illum assumat, & eligat de consensu, & cum deliberatione Domini prælibati, & Officialium de consensu.

Item, quod dictus Exactor habeat, & percipiat, & habere, & percipere possit, & debeat de exactionibus, quas faciet ad computum sol. vnius pro libra eius, quod exactum fuerit in Ciuitate, & sol. duorum eius, quod exactum fuerit in districtu, & debeat ipse Exactor de dicto eius salario dictæ Exactionis soluere, & satisfacere famulis, & seruitoribus, seu correrijs, qui mittentur pro officio exactionis exercen. Et si postquam ipse Exactor inceperit procedere ad aliquam executionem, & exactionem facien. contra aliquos debitores, & fecerit ipsam executionem taliter, quod solutio eius esset in puncto, seu habilis ad soluendum tunc de præsenti in pecunia, vel pignore, facta fuerit aliqua gratia, vel remissio alicui personæ de ipso vero debito, quod dictus Exactor possit, & ei licitũ sit sic recipere, & exigere eius salarium tamquam si facta fuisset solutio de illo de quo facta fuerit gratia, vel remissio, & tali tenore, quod dictus Exactor non possit accipere maius salarium, quàm sibi taxatum est vtsupra sub pœna quadrupli eius, quod acceperit indebitè, & vltra salarium sibi taxatum, & quod non permittat aliquem eius socium, vel officialem, seruitorem, vel famulum aliquod accipere ab aliqua persona pro eius officio, & mercede eorum, nec alio modo directè, nec per indirectum sub pœna prædicta.

Et

Et intelligatur ipsam solutionem esse in puncto, vel pro parte pro illa quantitate pro qua fuerit plenè cautum dicto Exactori in pignoribus, vel pecunia.

Item, quod liceat, & licitum sit dicto Exactori, & cuilibet eius socio, nuntio, vel famulo modo suprascripto assumpto, & electo, contra debitores prædictos, & qui sibi dabuntur in scriptis modo suprascripto (exceptis, vt præfertur, Clericis, & religiosis personis, contra quos nullo modo procedatur causa prædicta) facere omnes, & singulas causas, executiones reales, & personales, infra tantum tempora suprascripta robare, contestare, per vim auferre, & exportare de bonis, & rebus ipsorum debitorum, except. dumtaxat bestijs, rebus, & vtensilibus deputatis ad agriculturam, ac ipsorum debitorum bonorum immobilium ingredi, & intrare possessionem, & ipsa bona immobilia subsequenter, & velociùs, quam poterit, dum apprehensa fuerint, dare, & consignare in scriptis nomine Cameræ Domini, & Cameræ Communis illius Ciuitatis, cuius erunt debitores, & neminem dimittere ex officialibus, & famulis suis in possessione bonorum apprehensorum. Quodque ipse Exactor, & socij, ac eorum famuli debeant, & teneantur consignare omnia pignora, bona, & res, quæ robari contigerint per eos, & quemlibet eorum ad Cameram pignorum, vlz. in Ciuitate infra quinque dies, ad hoc, vt pignora, bona, & res sint, & salua fiant, & non dilapidentur, sub pœna floren. vigintiquinque pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit.

Item, quod dictus Exactor non possit, nec debeat per se, nec per alium eius socium, famulum, seruitorem, & officialem robare, nec etiam sequestrare, nec aliam nouitatem facere, nec fieri facere in rebus, neque bonis mobilibus deputatis ad vsum mulieris cuiusuis condicionis, & status existant, siue sint Vestes, siue alia apparamenta mulierum, & quod illæ res esse intelligantur mulierum, & ad vsum mulierum, de quibus mulier iurauerit, quod sint ad suum vsum proprium. Et quod nullo casu possint robare lectum, nec fornimenta eius, quæ fuerint pro vsu mulieris.

Item, quod dictus Exactor debeat, & teneatur idoneè satisdare de soluendo incantum dictæ Exactoriæ in terminis limitandis, & de gerendo, & exercendo, ac administrando per se, & eius socios, & familiam dictum officium Exactoriæ benè, fideliter, & iustè, & de non committendo aliquid illiciti in dicto eorum officio; & de soluendo omnem condemnationem, quæ de eis, vel aliquo eorum fieret pro eo quod aliquid commisisset contra formam præsentium pactorum, & contentorum in eis, & hanc satisdationem dare & præstare debeat, & teneatur ipse Exactor pro se, necnon pro eius socijs, & famulis, & quolibet eorum.

Cancellatio, & reductio certarum condemnationum, tàm Comitatus Mediolani, quàm aliunde à certo tempore retro.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum per nos nuper ordinatum in omnibus Ciuitatibus, & Terris nostro Dominio suppositis super condemnationibus ad Cameram nostram factis per Officiales Magnifici Domini quondam Genitoris nostri memoriæ recolendæ, & nostros cassandis, mittimus vobis præsentibus alligatum. Volentes, quod contenta in ipso publicari, & proclamari faciatis in omnibus, & singulis Terris, & Villis vestræ Iurisdictionis suppositis, vt quilibet noster Subditus habens condemnationem cum Camera nostra sit auisatus, quod sit facturus de præmissis, & hoc fieri faciatis liberè, & absque expensa alicuius ipso-

 rum

rum nostrorum Subditorum. Dat. Papiæ die xiiij. Martij MCCCLXXXIIII. Antonius. Volumus insuper, quod dictum nostrum decretum inseri faciatis in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani existen. penès Panigarolos. A tergo Sapien. Viris Dominis Vgolino de Falconibus, & Iacobo de Alba Vicarijs nostris in Mediolano.

Tenor decreti.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Quia multæ, variæq; tàm Communitates, quàm singulares personæ Ciuitatum, Terrarum, & locorum nostro suppositarum dominio persæpè molestantur per Officiales, & Exactores nostræ Cameræ occasione condemnationum pecuniarum diuersimodè factarum ad Cameram nostram prædictam, cuius rei causa querimonias multiplices habuerimus ea propter compatientes paupertati ipsorum. Volentes super hoc oculo nostræ mansuetudinis misericorditer prouidere, adeo quod Deus, & Dominus noster Iesus Christus animabus Magnifici quondam Domini Genitoris nostri memoriæ recolendæ, & nostræ misereri dignetur: ordinamus, quòd circa cassationem ipsarum condemnationum infrascriptus ordo debeat obseruari, primo videlicet. Quod condemnationes guastatorum, & hominum de Ceneda factæ occasione stipendij, & camporum, & exercituum, quæ pertinent, siue Communibus, siue singularibus personis liberè cancellentur, & pro cancellatis habeantur de libris, filcijs, & extractibus quibuscumque, vbi scriptæ reperiantur, ita & taliter, quod inde nullo tempore valeant molestari. Item condemnationes factæ Communitatibus nostris occasione suprascripta pro victualibus non præsentatis similiter cancellentur, & pro cancellatis, vt præmittitur, habeantur. Item omnes aliæ condemnationes factæ per Capitaneos Comitatus nostri Mediolani, Capitaneos deuetuum, Vicarios, Sindicatores, Potestates, & cæteros Officiales nostros quouis nomine censeantur, qui per tempora fuerunt in omnibus, & singulis Ciuitatibus, & Terris nostris, quæ quidem factæ sunt ab anno MCCCLXXVI. retrò totaliter cancellentur, & habeantur sic & taliter, quod pro ipsis, & ipsa occasione nullo tempore molestari possint ipsi condemnati; illæ verò, quæ factæ fuerint ab anno prædicto MCCCLXXVI. supra vsq, ad annum MCCCLXXXI. possint solui pro quarto hinc ad menses quatuor proximè fut., illæ quarum quartum erit solutum infra dictum terminum liberè cancellentur, & pro cancellatis habeantur vt supra. Item præstantiæ nautarum factæ occasione stipendij, & condemnationes pecuniariæ factæ occasione exercituum liberè cancellentur, & pro cancellatis habeantur, quas quidem cassationes locum habere volumus solùm in condemnationibus factis ad Cameram nostram; condemnationes autem illorum, qui non soluerunt in termino, salarium nostrum modo infrascripto procedere volumus vlz., quod illi, qui non soluerunt, neque soluent in termino, si quantitas ascendet floren. vigintiquinque vsque in quinquaginta soluant sol. octo tertiolorum pro quolibet floreno. Si verò quantitas ascendet à florenis quinquaginta soluant flor. vigintiquinq; pro pœna ipsorum denariorum in termino non solutorum. Mandantes omnibus, & singulis Referendarijs, Thesaurarijs, & Officialibus Cameræ nostræ, ad quorum officium spectare prædicta dignoscuntur, quatenus omnia, & singula superius annotata sicut iacent, obseruent, faciant, & adimpleant cum effectu. In quorum testimonium fieri iussimus, & nostri sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ die nono Martij MCCCLXXXIIII Septima Indictione. Antonius.

Ordo

Ordo seruandus ad tollendum extorsiones, & expensas, quæ hominibus Ciuitatis, & Comitatus Mediolani inferuntur, tàm per Exactores, quàm alios &c.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Mittimus vobis præsentibus alligatas quasdam litteras, quas ad tollendum extorsiones, & expensas, quæ hominibus, & personis Ciuitatis, & Comitatus nostri Mediolani possint dari, & inferri, concessimus mandantes vobis, quatenus sub pœna indignationis nostræ dictas nostras litteras, & omnia in eis contenta obseruetis, & executionem mandetis, & obseruari, & executioni mandari faciatis inuiolabiliter eum effectu, quodque vos, & Vicarij copiam ipsarum litterarum apponi faciatis ad banchum vestrum iuridieum, & etiam affigi in Broleto Ciuitatis nostræ Mediolani in illa parte, seu partibus, vbi earum continentia plus patens sit, & melius valeat videri. Dat. Papiæ secundo die Maij MCCCLXXXIIII. Comolus. A tergo Sapien. Vitis, Vicar., & Referen. nostris Mediolani.

Tenor Decreti.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. *Ad tollendum extorsiones, & expensas, quæ hominibus, & personis, Ciuitatis, & Comitatus nostri Mediolani, tàm in communi, quàm in diuiso dari, & inferri possint, & valeant per Exactores Cameræ nostræ, & Communis nostri Mediolani, seu per alios Officiales, seruitores, vel famulos, qui in extractibus haberent descriptas, & vellent exigere certas condemnationes diuersimodè factas ad Cameram nostram prædictam de quibus generaliter gratiam fecimus omnibus, & singulis Subditis nostris iuxta formam, & tenorem litterarum nostrarum continentiæ subsequentis. Nos Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia multæ, variæque, tàm Communitates, quàm singulares personæ Ciuitatum, Terrarum, & locorum nostro supposit. dominio persæpè molestantur per Officiales, & Exactores nostræ Cameræ occasione condemnationum pecuniarum diuersimodè factarum ad Cameram nostram prædictam, cuius rei causa querimonias multiplices habuimus. Eapropter compatientes paupertati ipsorum, volentesque super hoc oculo nostræ mansuetudinis misericorditer prouidere, adeò quod Deus, & Dominus noster Iesus Christus animabus Magnifici quondam Domini Genitoris nostri memoriæ recolendæ, & nostræ misereri dignetur, ordinamus, quod circa cassationem ipsarum condemnationum infrascriptus ordo debeatur obseruari. Primò vlz. quod condemnationes guastatorum, & hominum de Ceneda factæ occasione stipendij, & camporum, & exercituum, quæ pertinent, siue Communibus, siue singularibus personis liberè cancellentur, & pro cancellatis habeantur de libris, filcijs, & extractibus, quibuscunque vbi scriptæ reperiantur, ita & taliter quod proinde nullo tempore valeant molestari. Itē condemnationes factæ Cōmunitatibus nostris occasione suprascripta pro victualibus non præsentatis similiter cancellentur, & pro cancellatis, vt præmittitur, habeantur. Item omnes aliæ cōdemnationes factæ per nostros Capitaneos Comitatus nostri Mediolani, Capitaneos deuetuum, Vicarios, Sindicatores, Potestates, & cæteros Officiales nostros quouis nomine censeantur, qui per tempora fuerunt in omnibus, & singulis Ciuitatibus, & Terris nostris, quæ quidem factæ sunt ab anno* MCCCLXXVI. *retro totaliter cancellentur, & pro cancellatis habeantur sic, & taliter, quod pro ipsis, & ipsarum occasione nullo tempore molestari possint ipsi condemnati. Illæ vero, quæ factæ fuerunt ab anno prædicto*

MCCCLXXVI. *supra vsque ad annum* MCCCLXXXI. *possint solui pro quarto hinc ad menses quatuor prox. fut., & illæ quarum quartũ erit solutum infra dictũ terminum liberè cancellentur, & pro cancellatis habeantur vt supra. Item præstantiæ nautarum factæ occasione stipendij, & condemnationes pecuniariæ factæ occasione exercituum liberè cancellentur, & pro cancellatis habeantur. Quas quidem cassationes locũ habere volumus solùm in cõdemnationibus factis ad Camerã nostram; condemnationes autem illorũ, qui non soluerunt in termino salarium nostrũ modo infrascripto procedere volumus videlicet, quod illi, qui non soluerunt, neq; soluent in termino, si quantitas ascendat in floren. vigintiquinque soluant solidos quatuor tertiol. pro quolibet floreno. Si quantitas ascendet à florenis xxv. vsque in L. soluant solid. viij. tertiol. pro quolibet floren. Si vero quantitas ascendet vltra floren. L. soluant floren. xxv. auri pro pœna ipsorum denariorum in termino non solutorum. Mandantes omnibus, & singulis Referendarijs, Thesaurarijs, & Officialibus Cameræ nostræ, ad quorum officium spectare prædicta dignoscuntur, quatenus omnia, & singula superius annotata sicut iacent, obseruent, faciant, & adimpleant cum effectu. In quorũ testimonium præsentes fieri iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ nono Martij* MCCCLXXXIIII. *septima Indictione. Præsentium tenore mandamus Vicarijs, & Referendarijs nostris Mediolani, necnon Vicarijs nostris Varisij, Gallarate, Mazentæ, & Seroni, cæterisque Officialibus nostris ad quos spectat, quatenus si contingat aliquem, vel aliquos in Ciuitate, & Comitatu nostris prædictis, seu in aliquo loco, vel parte ipsius Ciuitatis, & Comitatus velle aliquam exactionem facere de aliquibus ex illis condemnationibus, vel debitis, quæ veniant cancellandæ, & cancellanda. Vigore suprascriptarum nostrarum litterarum non debeant, nec præsumant ei, vel eis concedere aliquod præceptum, nec licentiam de faciendo aliquam exactionem de ipsis talibus condemnationibus, vel debitis, nec de aliquo, aut de aliqua eorum, vel earum, quinimmo prohibeant, ne aliqua exactio, nec aliqua robaria, vel extorsio fieri, aut committi possit contra formam suprascriptarum, & præsentium nostrarum litterarum, & nobis scribant sine mora clarè, & distinctè nomina, & cognomina illorum, qui executionem facere voluerint, & qui eam fecerint, si qua facta est, & contra quos, & quibus occasionibus, & prædicta exequantur quilibet eorum in iurisdictione sibi per nos commissa. Apponant quoque talem ordinem, tàm per proclamationes fiendas, quàm per alios bonos, & congruos modos, quod personæ dictæ nostræ Ciuitatis, & Comitatus prædicti de prædictis notitiam habere possint, & quod aliquid illicitum in præmissis committi non possit. Iniungentes vlterius cuilibet ipsorum nostrorum Vicariorum, quod omnia suprascripta exequi, & adimplere debeant inuiolabiliter cum effectu sub pœna indignationis nostræ, copiamque præsentium apponi faciant in illa parte ad banchum suum iuridicum, vbi possit melius eorum continentia videri. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ die vltimo Aprilis* MCCCLXXXIIII. *septima Indictione.*

Correctiones factæ capitulis, & pactis Thesaurariarum Ciuitatum, *& Terrarum Domini.*

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoniam certas fieri fecimus diminutiones, additiones, & correctiones capitulis, & pactis Thesaurariarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, quæ verè nobis visæ sunt huiusmodi Thesaurariarum officio laudabiliter, & rationabiliter conuenire: est nostræ intentionis, & volumus, quod incantus de ipsis Thesaurarijs

rijs

rijs hucufque facti nullum fortiantur effectum, & pro infectis habeantur. Quodque de nouo cum ipsis diminutionibus additionibus, & correctionibus reincantentur, & propterea mandamus vobis quatenus Thesaurariam nostram Mediolani cum pactis ijs inclusis etiam cum pacto, quod si incantus locum non haberet, aduentagia non procedant, statim ad incantum proclamari faciatis, & modis quos expedire cognoueritis curetis, quod ascendat ad laudabilem summam, nobis sæpius rescribendo quicquid feceritis in prædictis priusquam ad ipsius deliberationem procedatis, ad quam deliberationem nullatenus procedatis, absque speciali nostra licentia. Dat. Papiæ die quartodecimo Maij Millesimo trecentesimo octuagesimo quarto. A tergo Referendarijs nostris Mediolani. Quarum quidem tenor talis est.

Capitula Thesaurariarum Ciuitatum Domini.

INprimis, quod illi qui deliberabunt ad incantum talem aduertentiam adhibeant, quod dictæ Thesaurariæ concedantur, & vendantur ad incantum bonis hominibus, & personis, & qui sint bonæ conditionis, vocis, & famæ, sub pactis infrascriptis, vlz.

Inprimis quod Thesaurarius, tenore præsentium. possit recipere, & recipiat, ac recipere debeat omnes intratas, & introitus, tàm ordinarias, quàm extraordinarias, condemnationes, taleas, & onera spectantia Communitatibus qualibet occasione, & de ipsis facere solutiones, secundum bulletas, quæ fient per Officiales super hoc deputatos, & quæ dicto Thesaurario, vel eius nuntio, vel factori præsentabuntur, & intelligantur facta esse, & facta sint omnia pagamenta, & solutiones omnium, & singularum quantitatum, quæ continebuntur in bulletis, quæ erunt penès ipsum Thesaurarium.

Hoc prædictum capitulum in Mediolano intelligatur hoc modo vlz., tantùm de intrata ordinaria Communis, Imbotatura vini Comitatus Mediolani pertinen. Cameræ nostri Domini, & taleis, quæ imponentur pro defectu intratæ Communis si imponi contigerint dicta occasione, & de prouisione veteri prefati Domini, & non de aliqua alia intrata, de qua solitum est responderi debere Officiali ad hoc deputato per Dominum in Mediolano, de qua respondeatur, & responderi debeat dicto Officiali, prout hactenus responderi consuetum est.

Item, quod dictus Thesaurarius ex denarijs, & intratis dicti Communis, & Domini & quantum penès se habeat ex denarijs, & intratis prædictis, & non aliter, nec vltra, teneatur, & debeat facere omnia pagamenta, & solutiones, quæ nomine ipsius Communis cuilibet, & quibuslibet fieri debuerint secundum bulletas, quæ præsentabuntur ipsi Thesaurario, seu Officiali, vel factori eius.

Item, quod dictus Thesaurarius possit, & ei licitum sit de omnibus solutionibus, quæ per eum fieri contigerint salariatis Communis tantùm, accipere Imper. duos pro floreno, seu ad rationem floreni.

Item, quod dictus Thesaurarius aliqualiter compelli non possit facere aliquam præstantiam Communi prædicto, nec alteri personæ, nec alicui stipendiario prouisionato, vel salariato, nec alicui alteri personæ. Et hoc nisi prædictus Thesaurarius haberet superabundanter penès se, & procedat de speciali mandato Domini.

Item, quod dictus Thesaurarius aliqualiter compelli non possit, nec debeat ad dandum alicui aliquam pecuniæ quantitatem, nisi priùs eidem Thesaurario detur, & dimittatur bulleta ipsius pecuniæ dandæ.

Item casu adueniente, quòd aliquo tempore, seu aliquibus temporibus vlla pecu-

na penes ipsum Thesaurarium remaneret, quod hoc dicto Thesaurario nullatenus valeat imputari, nec proinde ipse Thesaurarius cogi possit, nec debeat soluere aliquid, dummodo ipsam pecuniam scripserit ordinatæ rationi præfati Domini, vel Communis prædicti, & ipsam soluerit ad requisitionem præfati Dñi, vel eius Officialis, vel ipsius Communis Officialis ad hoc deputati, pro vsura, seu interesse, vel vtilitate, quoniam necesse est, & verisimile, quod dictus Thesaurarius semper penès se pecuniam habere debeat, pro faciendo solutiones opportunas; teneatur tantùm Thesaurarius in fine cuiuslibet mensis notificare Potestati, & Sapientibus dictæ Ciuitatis, in qua erit Thesaurarius totam pecuniam, quæ penès se superabundabit.

Item, quod Commune illius Ciuitatis, in qua erit Thesaurarius teneatur dare dicto Thesaurario floren. pro pensione domus, quam conduxerit in Ciuitate illa, in qua exercere debebit dictum Officium.

Item, quod licitum sit dicto Thesaurario, & cuilibet eius nuntio, vel factori accipere pro solutione confessionum, vel bulletarum, quæ fieri contigerint, Imper. duos pro qualibet bulleta, seu confessione, & sit de quanta quantitate velit esse sit. Et hoc dum ipse soluens velit accipere in scriptis confessionem, & aliter non, scilicet in omni casu nihilominus ipse Thesaurarius teneatur aptare super librum suum absque solutione.

Item, quod dictus Thesaurarius secundum ordinem infrascriptum debeat soluere stipendiarijs equestribus, & pedestribus, qui erunt ad custodiam ipsius Ciuitatis secundum bulletas, quæ eidem à Camera transmittuntur, de denarijs salarij præfati Domini, quod debetur per ipsam Ciuitatem præfato singulo mense, & residuum Thesaurario præfati Domini.

Item, quod dictus Thesaurarius teneatur, & debeat facere, & reddere rationem, & plenam solutionem Cameræ Domini, omni mense de grosso Domini datio Cameræ, licentijs, oblationibus, & dono Cameræ.

Item, quod omnes Datiarij Datiorum, & Intratarum dictæ Ciuitatis, & districtus teneantur, & debeant dicto Thesaurario respondere de duabus partibus ipsorum datiorum, & intratarum, in auro, aut de Imper. sex pro floreno eius, quod de dictis duabus partibus restaret ad soluendum in auro, & sic similiter respondere teneatur dictus Thesaurarius Cameræ Domini vlz., de illa parte de qua responderi debet Cameræ Domini residuum dicti cambij perueniat in Thesaurariam, & de tertia parte in moneta argenti, & ipsam solutionem faciat in fine cuiuslibet mensis; de taleis autem imponendis pro laborerijs Communis, vel alia causa tangente Commune, quicquam non exigatur de cambio.

Item, quod liceat, & licitum sit dicto Thesaurario de denarijs aduentagiorum, qui dabuntur, seu expensabuntur Incantatoribus pro datijs per eos incantatis, & incantandis recipere, & in se retinere ad computum Imper. sex pro floreno per se tantum, & non vltra.

Item, quod dictus Thesaurarius teneatur, & debeat portare Papiam Cameræ præfati Domini totam pecuniam suæ Cameræ pertinentem expensis ipsius Thesaurarij ipso Thesaurario percipiente, & habente à Commune illius Ciuitatis salarium, & solutionem consuetum, & consuetam, quæ est illud capitulum in Mediolano non habeat locum.

Item, quod nullus Iusdicens possit, neque debeat quoquomodo ius reddere dicto Thesaurario de aliquibus vsuris, quas ipsum petere, exigere, vel consequi vellet per se, vel alium eius nomine ab aliqua persona, Communi, Collegio, vel Vniuersitate cuiusuis status, & conditionis existat.

Item, quod omnes solutiones, quæ fieri debent per ipsum Thesaurarium stipendiarijs,

rijs, tàm equestribus, quàm pedestribus prouisionatis Portinerijs, & Castellanis, seu eorum Castellanorum certis nuntijs secundum formam bulletarum, seu exemplorum, quæ super solutionibus fiendis transmitti contigerint eidem per Thesaurarium Domini soluantur, vt infra videlicet. Quod prædictus Thesaurarius numeret, & numerare debeat in præsentia Dominorum Potestatis, & Capitanei, seu eorum Locumtenen. si absentes essent à Ciuitate illius Ciuitatis, in qua solutiones fieri debent totam illam pecuniam, quam soluere tenetur illis stipendiarijs, prouisionatis, portinerijs, & Castellanis, iuxta formam dictarum bulletarum, seu exemplorum earumdem, tali modo, quod solutiones de prædictis non fiant alicui personæ, nisi ipsis stipendiarijs, prouisionatis, & Castellanis nominatis principaliter in ipsis bulletis, si præsentes fuerint in ipsa Ciuitate, & si absentes essent, quod fiant eorum nuntijs ad hoc speciale mandatum habentibus.

Item, quod dictus Thesaurarius teneatur, & debeat soluere Potestati, & alijs salariatis, Communis locorum, in quibus sunt in manibus eorum, quorum sunt bulletæ tantum, seu eorum nuntijs proprijs deferentibus ipsas bulletas.

Decretum factum super causis ciuilibus hominum Terrarum Domini committendis tribus bonis Viris per partes eligendis.

GAleaz Vicecomes, Comes Virtutum Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Cupientes Magnificus Dominus Pater noster honorandissimus Dominus Bernabos, & nos erga discrimina, & dispendia, quæ Subditi nostri propter litigia subire coguntur de salubri remedio prouidere quodam decretum vnanimiter conditum duximus in hac forma.

NOS Bernabos Vicecomes, & Galeaz Vicecomes, Comes Virtutum Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Cupientes litibus, & quæstionibus, quæ inter Ciues, districtuales, & Subditos nostros Ciuitatum, & Terrarum nostro dominio suppositarum, seu aliter, vel inter alios quomodocunque, & qualitercunq; vertuntur, & à modo verti possint, seu verterentur, quanto plus fieri potest cum honore nostro, & commodo dictorum Ciuium, Subditorum, & districtualium nostrorum debitum, & velocem finem imponere, adeò quod inter prædictos Ciues, Subditos, & districtuales nostros onus litium causarum, & dissensionum materies recidatur, & quæstiones ipsæ immortales non remaneant, slz. ad finem debitum velociter perducantur, parcaturque laboribus, & expensis ipsarum partium litigantium, maturo super consilio, & deliberatione prahabitis. Volumus, statuimus, decernimus, & mandamus, quod in omnibus, & singulis litibus, quæstionibus, causis, seu controuersijs ciuilibus, & criminalibus ciuiliter motis, quæ vertuntur, & de cætero vertentur inter aliquas personas laicas Ciuitatis, & districtus nostri Mediolani, seu aliter, vel inter alios laicos quomodocunque, vt præfertur infrascriptus ordo inuiolabiliter debeat obseruari, vlz. Quod si aliqualis, quæstio, seu causa, vel controuersia ciuilis, etiam si sit de possessione turbata, vel si de aliqua possessio, vel si aliqua pars veniat Fisco, vel Communi applicanda (dummodo aliqua pars veniat parti applicanda,) vel fuerit coram Potestate nostro Mediolani, ipsiusque Vicario, Iudicibus, Consulibus Iustitiæ, seu coram quocunque alio Officiale, vel Magistratu Ciuitatis, & districtus prædictorum exceptis causis, quæ vertuntur, & vertentur coram Iudicibus gabellarum, quæ spectant suo officio inter quascumque personas laicas, cuiussuis maneriei, & conditionis extiterint, seu inter Communia, vlz. inter Communitatem aliquam, & aliam Communitatem, vel singularem personam, & Communitatem, & è conuerso

uerso Potestas, Vicarius, Iudex, vel alius cuiusuis Magistratus Ciuitatis, & districtus prędictorum teneatur, & debeat statim cum mota fuerit coram eis quęstio causa, lis, seu controuersia, absque aliquo processu iuditiali committere, & committat tribus bonis viris habitantibus in Ciuitate, vel districtu prędictis partibus nō suspectis de iure, de facto, & amicabili cōpositione, & quod ipsę partes, & earum quęlibet possint, & teneantur probare quicquid voluerint coram dictis tribus bonis viris infra viginti dies vtiles à die commissionis eis factę numerandos. Et si dictę partes non possint se conuenire, vel concordare de tertio elligendo, quod ille Magistratus coram quo esset illa quęstio posit, & teneatur compellere illas partes, & quamlibet earum omnibus iuris remedijs etiam per detentionem personarum ad se inuicem concordandum de ipso tertio communiter eligendo, quibus tribus bonis viris electis, & receptis teneatur ille Potestas, seu Magistratus coram quo ipsa quęstio, lis, causa, vel controuersia mota fuerit eandem committere dictis bonis tribus viris cognoscenda, decidenda, & terminanda; & per viam litigij procedi non possit per illum Iusdicentem coram quo ipsa causa, lis, quęstio, & etiam controuersia mota fuerit etiam si procederet de tacita, vel expressa partium voluntate, quoniā nostrę firmę intentionis est, vt pręmittitur, quod dictę lites, quęstiones, causę; & etiam controuersię audiantur, examinentur, & fine debito terminentur per illos bonos, de quibus, & prout in pręsenti nostro decreto fit mentio, & non per aliquem Iusdicentem. Qui electi iurare debeant, & teneantur corā Potestate, seu Magistratu prędicto ad Sācta Dei Euangelia corporaliter manibus tactis scripturis ipsam quęstionem litem, causam, seu controuersiam cognoscere, diffinire, & terminare, remotis odio, amore, timore, prece, & humana gratia, & ad ipsam cognoscendam, diffiniendam, & terminandam possint compelli per quemlibet Magistratum Ciuitatis, & districtus nostri prędictorum omnibus iuris remedijs, etiam per detentionem personarum, in qua quidem quęstione, lite, causa, seu controuersia ipsi boni viri procedere possint cognoscere, diffinire, & terminare summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iuditij, iuris ordine seruato, & non seruato, prout ipsis bonis viris melius videbitur veritate inspecta, & cessantibus cauillationibus, & friuolis exceptionibus quibuscunque, & quocumque tempore feriato, & non feriato, nisi essent ferię introductę in honorem Dei, & Sanctorum, quam quidem causam, litem, quęstionem, seu controuersiam dicti boni viri taliter electi, & assumpti debeant cognouisse, decidisse, & terminasse, ac etiam teneantur sub debito sacramenti, & pœna floren. centum pro quolibet ipsorum auferendorum, & applicandorum Communi prędicto infra tempus dierum sexaginta vtilium faciendo computum à tempore litis, quęstionis, causę, seu controuersię inchoatę, seu inceptę in antea coram aliquo Iusdicen. vel Magistratu. Et intelligatur lis, quęstio, vel controuersia mota quando petitio porrecta fuerit coram Iusdicen. & notificata parti, quod tempus nullo modo possit prorogari, etiam per interlocutoriam aliquam, nec aliquo alio modo etiam si fuerit de voluntate partiū. Possint etiā duo, vel vnus ex ipsis vices suas tenere in procedendo tantùm. Et quicquid per ipsos, vel per duos ex ipsis altero pręsente, vel absente legitimè tamen citato pronuntiatum fuerit, valeat, & teneat, & roboris obtineat firmitatem in sententiando, & pronuntiando, & sententia, quam tulerint habeat per omnia illos effectus, quos habet sententiam Iudicis ordinarij, quum transit in rem iudicatam. Ita quod pars succumbens possit de euictione agere contra actorem, & datorem suum, ac si rectè succubuisse per sententiam Iudicis ordinarij, facta prius legitima denuntiatione debito tempore per eum actori, seu datori suo, seu illis, quibus de iure fieri deberet de quęstione, & lite sibi mota, & in agendo de euictione habeat locum, & seruari possit, & debeat ordo

huius decreti, & quod omnia acta, instrumenta, sententiæ, & scripturæ, quæ fient coram ipsis tribus bonis viris ex parte eorum, vel alterius eorum debeant fieri, & scribi per Notarios, seu Scribas, & Officiales eorum Iudicum, Consulum, vel Magistratuum, qui ipsos tres bonos viros assumpserint, & si quis Notarius, vel scriptor absque licentia illius Notarij, qui haberet dictum officium contrafecerit puniatur in libris vigintiquinq; tertiol. pro quolibet Notario, & pro quolibet actu, & qualibet vice, & quilibet possit accusare, medietas cuius pœnæ sit Communis Mediolani, & alia medietas sit accusatoris. Qui tres boni viri taliter assumpti vt supra possint habere pro labore eorum, & solutionem recipere ab ipsis partibus denarios sex tertiolorum pro libra, si quæstio fuerit à libr. mille tertiol. infra; si verò fuerit à lib. mille tertiol. supra, vsque in libris tribus millibus, possint recipere, & habere pro primo miliare vt supra dictum est, & vltra, vsque in tribus millibus libris den. tres tertiol. pro libra, ab ipsis verò tribus millibus libris supra, quantæcumque sint quantitates, habeant, & habere possint pro qualibet parte libr. L. tertiol. omnibus computatis, & non vltra, quæ pecunia sit communis inter ipsos, qui electi fuerunt ad ipsam quæstionem cognoscendam, & terminandam, nec vltra possint petere, accipere, vel habere sub pœna dupli perueniente in commune prædictum. Et quod victus victori condemnetur in expen., saluo quod possint succumbentem absoluere ab expensis si videbitur eis, quod habuerit iustam causam litigandi, & lata sententia per ipsos bonos viros non possint partes contra ipsos amicos communes aliquid imputare; nec ipsos molestare occasione ipsarum sententiarum pronuntiamenti, & contra ipsos non reddatur ius aliquod ipsis partibus occasione prædicta per aliquem Iusdicen. Item, quod de cætero lata aliqua sententia per ipsos tres bonos viros, vel duos ex ipsis vt supra, teneatur, & debeat quilibet Iusdicens, & Magistratus, Potestatis, & Communis Mediolani, ad quem de iure spectat, postquam requisitus fuerit elapsis quindecim diebus à tempore latæ sententiæ, si terminus aliquis non fuerit expositus in ipsa sententia, executioni mandare ipsam sententiam, arbitria, & arbitramenta, non obstantibus aliquibus querelationibus, nullitatibus, appellationibus, in integrum restitutionibus, seu reductionibus ad arbitrium boni viri, vel quouis alio iure, vel remedio per aliquam partium interpositis, seu oppositis, vel opponendis, & quod de cætero appellationes, querelationes, in integrum restitutiones, reductiones ad arbitrium boni viri, & quæcumque alia remedia non habeant locum, nec possint interponi, & quæ omnia volumus etiam locum habere in causis, quæ vertantur, & vertentur coram aliquo delegato à nobis, vel à nostris Curijs, etiam nonobstan. aliquo iure communi, municipali, seu Statuto in contrarium loquente; quibus omnibus remedijs ex certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis derogamus, & derogatum esse volumus. Edicimus, & mandamus, quod in numero illorum duorum, vel trium, qui secundum dispositionem præsentis nostri decreti eligentur per partes ipsas esse non possit aliquis Iurisperitus, Procurator solitus exercere artem procurationis, nec aliquis exercens artem Notariæ sub pœna prædicta, & vltra electio de eis facta non valeat, nec teneat, sitq; sit ipso iure nulla.

Volentes itaque dictum decretum in Ciuitate, & Comitatu nostris Mediolani de cætero seruari pro lege. Mandamus vobis quatenus ipsum statim publicè proclamari, & publicari faciatis, ac in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani poni, & registrari, & pro Statuto; & Lege municipali ipsius nostræ Ciuitatis, & nostri Communis decreto inuiolabiliter obseruari. Dat. Papiæ die xxv. Iunij MCCCLXXXIIII. Andreolus. A tergo Egr. & Sapientibus Viris Dominis Potestati, Militi, & Vicario Prouisionũ Communis nostri Mediolani.

Decretum

Decretum factum ad tollendum extorsiones, quæ fiunt in Comitatu Mediolani, & sunt multa capitula.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quædam capitula in modum supplicationis recepimus ex parte Communitatum nostri Comitatus Mediolani nobis exhibita, quorum attenta continentia, volentes prouidere, quod dicti Supplican ab extorsionibus, & molestijs, quæ eis inferri, & committi possint salubriter tueantur, & gubernentur fecimus responsiones nostras ipsis capitulis, prout infra vnumquodque ipsorum continetur. Mandantes ideò quibuscumque Officialibus, Potestatibus, Vicarijs, Iusdicentibus, Referendarijs, Rectoribus, Officialibus, Notarijs, & Subditis nostris præsentibus, & futuris ad quos spectat, & spectabit, quatenus ipsas nostras responsiones, & omnia, & singula in eis contenta, prout iacent ad litteram obseruent, & faciant obseruari inuiolabiliter cum effectu. Tenor verò dictorum capitulorum, & supplicationis, ac responsionum nostrarum sequitur, vt infra viz. Illustri, & Magnificæ Dominationi Vestræ humiliter supplicatur pro parte fidelissimorum seruitorum, & Subditorum vestrorum Comitatuum, & hominum vestri Comitatus Mediolani. Quatenus cum quotidiè, & sæpius eis inferantur multimodæ extorsiones, & molestiæ occasione contentorum in infrascriptis capitulis. Dignemini amore Dei, intuituque pietatis, & misericordiæ super ipsis capitulis gratiam vestram cum eis dispensare, & prouidere, quod dictæ extorsiones tollantur. Vt sub vmbra dominationis vestræ viuere, & alia plurima onera ipsis incumbentia minus grauiter supportare possint.

In primis, quod Notarij Officij Seprij, & Bolgariæ, vel alius Officialis non possint, nec debeant aliquo modo cogere, nec compellere Communia, & homines Seprij, & Bolgariæ ad faciendum, seu constituendum aliquos Camparios, homines adiunctos, seu electos, nec ad præstandum aliquas satisdationes, & alia similia, exceptis satisdationibus, quæ fieri debent secundum formam cuiusdam decreti Magnificorum Dominorum Mediolani, quod decretum incipit de cætero non compellantur, & finit quouismodo. Pro quibus satisdationibus Notarij non possint accipere vltra solid. duos tertiolorum pro qualibet satisdatione, prout etiam fieri debet secundum formam prouisionum, & ordinamentorum factorum MCCCLXI. & secundum formam Statutorum Communis Mediolani. Respon. Nolumus, quod Communia, & homines nostri Comitatus Mediolani, occasione contentorum in dicto capitulo aliqualiter molestentur contra formam Statutorum, & Decretorum nostrorum, & Communis nostri Mediolani sub pœna quibuslibet Officialibus, & Notarijs, qui aliqualiter facerent contra prædicta floren. vigintiquinque auri pro qualibet vice.

Item, quod Iudex, seu Vicarius, qui est, & erit ad criminalia deputatus teneatur quaslibet citationes, executiones, & condemnationes criminales propria manu subscribere, & aliter non valeant, nec teneant, nec eis fides adhibeatur, & quod quilibet seruitor, qui faceret citationem, vel executionem aliquam, nisi sit subscripta manu dicti Iudicis, seu Vicarij condemnetur in lib. vigintiquinque tertiol.

Respon. Volumus, quod ille Vicarius, de cuius mandato citatio, seu præceptum fiet occasione contentorum in capitulo supradicto se subscribat citationi, seu præcepto, quod per ipsum transmitti contingit, quod si secus fieret ille seruitor, qui tale præceptum, seu talem executionem faceret, condemnetur in libr. quinque tertiol. qualibet vice.

Item, quod superaccusis, seu notificationibus, vel denuntijs, quæ aliqualiter portige-

porrigerentur occasione damnorum procedatur, & condemnetur, prout procedi, & condemnari debet secundum formam Statutorum Communis Mediolani, & non aliter. Respon. Volumus, quod omnis processus, qui fieri continget per quemlibet ex Vicarijs dicti nostri Comitatus occasione damnorum datorum, fieri debeat secundum formam Statutorum Communis Mediolani, & non aliter.

Item, quod occasione citationum fiendarum super accusis, vel occasione accusarum, persona accusata non teneatur dare seruitori aliquid pro mercede citationis, scilicet accusator suis expensis citari faciat accusatum; reseruato tamen iure expen. accusatori in casu victoriæ, & in his casibus, vbi expen. veniunt secundum formam iuris, & Statutorum Communis Mediolani. In criminalibus verò in quibus proceditur ex officio, si procedi debet, teneatur inquisitus soluere seruitori pro citatione, in qua citatione sit scriptum manu dicti Vicarij quantum accipere debeat dictus seruitor pro mercede citationis, adhibendo dictus Vicarius aduertentiam ad quantitatem citationum, quas portat, & ad distantiam locorum vbi portabuntur ipsæ citationes, prout dicto Vicario visum fuerit pro minori dispendio Subditorum. Respon. Volumus, quod si per viam accusationis, seu aliam viam ordinariam procedi contigerit per ipsos Vicarios nostros, seu alterum eorum; & contingat aliquam personam citari, vel aliter moneri, quod dicta talis persona citata, seu taliter monita non teneatur quicquam dare seruitori, seu nuntio prædicta exequenti, sed hæc omnia fiant expen. accusatoris, saluo tamen iure eidem accusatori eas expen. repetendi, si quid comperit. Si verò per officium procedi contingat, tunc Iudex, de cuius mandato processus fiet teneatur subscribere manu propria super dicta citatione, seu præcepto quantum habere debet dictus seruitor, habendo respectum ad milliaria per quæ ipsum seruitorem irè contingat, & hoc habeat locum siue contingat per ipsum seruitorem vnum citari, siue plures, quoniam non est intentionis, quod si contingat plures citari simul in eodem præcepto, seu pluribus, qui tamen vno itinere expediri possint, debeant pluribus solutionibus aggrauari.

Item, quod dictus Vicarius non possit, nec debeat mittere collateralem, seu Officialem suum pro videndo aliquem vulneratum, nisi dictus vulneratus sit mortuus, vel in casu mortis, & tunc ille Notarius, qui ibit cum illo collaterali, nec etiam ipse collateralis, seu Officialis non possint pro eorum remunerationibus solutionem recipere, nisi secundum formam Statutorum Communis Mediolani.

Respon. Volumus, quod si contingeret aliquem interfici, seu lethaliter vulnerari in Comitatu nostro prædicto, quòd tunc, & eo casu Iudex possit transmittere Officialem suum ad videndum perpetratum crimen, & quod dictus Officialis, & Notarius nō possint recipere pro eorum mercede, nec pro mercede eorum quos secū in comitiua habebunt vltra quantitatem cōtentam in Statutis Communis Mediolani, quam solutionem capere teneantur de bursa criminosi; vbi vero nihil eis soluendo foret, commune illius Terræ, in qua dictum crimen fuerit perpetratum soluere teneatur ipsi Officiali sic transmisso, & socijs secundum formam Statutorum Communis Mediolani, & si aliquid vltra summam prætaxatam receperint, condemnentur, & pro condemnatis esse intelligantur in quadruplum, & quod nullus possit transmitti, nisi in prædictis duobus casibus.

Item, quod seruitor, & famuli, qui ibunt in dictum Comitatum pro aliqua executione non possint accipere salarium, nec pignus pro mercede sua ab eis contra quos facient executionem, seu citationem, & quod non possit procedi contra aliquam personam pro aliqua relatione vetiti, nisi prius probata fuerit saltem

per vnum testem fidedignum, qui sit habitator illius Burgi, vel loci vbi dictum vetitum committeretur. Respon. Volumus, quod citati, vel molestati, de quibus in dicto capitulo fit mentio non possint molestari occasione alicuius mercedis ipsius seruitoris, quam prætendat habere debere occasione suæ executionis, quoniam mercedem suam consequi debet ab eo, qui transmittit eum, nec volumus, quod occasione prædicta possit dictus seruitor facere pignus, vel contestationem: volumus etiam insuper, quod pro pignore vetito, seu occasione vetiti non possit procedi contra vetantem, nisi de ipso vetito facta fuerit fides Iudici, de cuius præcepto officium exercebitur saltem per sacramentum dicti seruitoris, & per sacramentum alterius testis fidedigni, quæ sacramenta scripta sint in actis dicti Iudicis. Dat. Papiæ die vltimo Februarij MCCCLXXXIIII. septima Indictione.

Item significant, quod cum ad præsens ipsi habeant infrascriptas grauitates, & expen. eis insopportabiles. Dignetur clementia vestra gratiam, & misericordiam cum eis dispensare, vt possint sub vmbra vestra viuere, & ne sint deteriores conditionis alijs Subditis vestris, cum ex nimijs grauitatibus homines in magna quantitate se absentauerint, & quotidiè se absentent in tantum quod loca remanent inhabitata, & Terræ vadunt incultæ, quæ grauitates sunt hæc. Primo habent Referendarios, & Exactores per quos sæpius pro vna re derobantur, tàm pro parte Vicariorum, & Refferendariorum, quàm Exactorum. Dignemini prouidere, & mandare, quod non possint molestari, nisi mandato illius Vicarij, quem Dominatio vestra deputabit in Mediolano, & non per alios, & ad euidentiam veritatis ab vno mense citra habuerint Officiales duos cum famulis sex pro quolibet, qui derobauerunt homines Comitatus pro vna re, & multas bestias, de quibus certàs relaxauerunt his, qui se tributauerunt, & statim redierunt ad derobandum de alijs, in tantum, quod extorserunt floren. ducentos, & plus, quorum Officialium vnus vocatur Nicolaus de Figuio, & alius Zanellus de Vico de Papia, & propterea nil secutum Cameræ vestræ est.

Item dignemini mandare, quod homines dicti Comitatus, qui vadunt pro eorum negotijs Mediolanum, non possint detineri in Mediolano, nec in itinere pro debito Communis, vt possint eorum negotia gerere.

Item, quod cum per Notarios banchi Notariæ eis accipiantur duplæ, & triplæ maiores quantitates, quam eis concedatur per formam Statutorum Communis Mediolani. Dignemini committere illi Vicario per Vestram Dominationem deputan., quod taliter prouideat, & faciat, quod non possint grauari pro solutionibus dictorum Notariorum vltra formam Statutorum.

Quo circa volentes oculo pietatis, & misericordiæ ipsorum grauitatibus, & extorsionibus effectualiter prouidere, & in præmissis salubre remedium apponere sic quod de cætero tales cessent grauitates, harum serie. Volumus, edicimus, & mandamus Vicarijs nostris Mediolani, tàm præsentibus, quàm futuris quatenus sub pœna prædicta floren. vigintiquinque auri ab ipsorum quolibet auferendorum, & nostræ Cameræ applicandorum totiens quotiens contrafecerint non faciant, nec fieri permittant aliquas executiones in Ciuitate nostra Mediolani, nisi solum pro causis, & rebus spectantibus ad ipsorum officium, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus. Et si contingat pro habenda informatione alicuius delicti ciuilis, vel criminalis non mittant nisi vnum Notarium cum vno seruitore, & similiter pro executione fienda vnum famulum cum seruitore. Saluo si expedierit mittere pro capiendo aliquem, quod tunc liceat ipsis, vel ipsorum alteri mittere illos famulos, qui sint opportuni ad fiendam captionem prædictam, reducendo se ad illam minorem quantitatem famulorum,

lorum, quæ fieri poterit inspecta qualitate facti. Et vlterius non permittant ipsi Vicarij sub pœna prædicta deprædari ipsos Supplicantes de Bestijs laboratiuis, plaustris, aratris, & alijs rebus spectan. ad cultum terrarum. Super secundo capitulo, volumus, quod homines Comitatus nostri Mediolani possint liberè, & impunè ad Ciuitatem nostram Mediolani, & ad alias Ciuitates, & Terras nostras ad eorum libitum ire, ibique stare, & inde redire, absque eo, quod pro aliquibus debitis publicis personaliter detineantur. Super tertio capitulo, similiter volumus, & mandamus, quod Notarij Banci Notariæ Mediolani sint contenti, ac pro eorum mercede recipiant, id, quod eis concessum est secundum formam Statutorũ Communis Mediolani, & decretorũ nostrorũ; & nõ vlterius, & si qui contrafecerint soluant pro vno denario quatuor illius quantitatis, quã pœnam per Vicarios nostros præsentes, & futuros exigi volumus, & Thesaurario Cameræ transmitti totiens quotiens, vt præfertur, contrafactum fuerit sub pœna viginti quinque floren. ab ipsis, & vtroque ipsorum auferendorum, & dictæ nostræ Cameræ applicandorum totiens quotiens in præmissis fuerint negligentes. Mandamus insuper quibuscumq; Referendarijs, Exactoribus & alijs Officialibus nostris ad quos spectat, quatenus sub pœna cuilibet ipsorum floren. quinquaginta nostræ Cameræ applicandorum prædicta omnia, & singula etiam facient, & obseruent, ac obseruari faciant. Insuper volumus, & mandamus quibuscumque Consulibus locorum dicti nostri Comitatus, qua tenus cum in Terris in quibus habitant fuerit per aliquos contrafactum huic nostro decreto, & mandato in aliquo, debeant statim hoc notificare Vicario illius Vicariatus in quo dictus locus fuerit, & ipse Vicarius infra tres dies à die dictæ notificationis fiendæ computandos debeat notificationem ei fiendam per dictos Consules in scriptis nobis transmittere sub pœna Vicario prædicto floren. quinquaginta, & cuilibet ex dictis Consulibus floren. decem eis irremissibiliter auferendorum, & nostræ Cameræ applicandorum. Et quilibet qui in Ciuitate nostra Mediolani fuerit captus, vel aliter molestatus contra formam suprascriptorum nostrorum mandatorum, & decreti, debeat infra tres dies nobis talem captionem, vel molestationem notificare, sub pœna cuilibet prædictis contrafacienti floren. decem. dictæ nostræ Cameræ applicandorum. Dat. Papiæ die octauo mensis Julij MCCCLXXXIIII. septima. Indictione. Antonius.

Decretum factum ad tollendum extorsiones, quæ fiunt hominibus Comitatus Mediolani.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Certa capitula, & decreta nostra impunè edita pro conseruatione, & statu bono nostri Comitatus Mediolani, mittimus vobis præsentibus introclusa, Mandantes vobis, quatenus ipsa describi, & inseri faciatis in volumine aliorum decretorum nostrorum, & ipsa obseruetis, & obseruari inuiolabiliter faciatis. Dat. Papiæ XVI. Nouembris MCCCLXXXIIII. Comolus. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur: Sapientibus Viris, Vicarijs, necnon Referendarijs nostris Mediolani, quæ capitula sunt ista.

PRimo, quod aliqui Vicarij, Exactores, vel alij Officiales Mediolani, tam præsentes, quàm futuri non possint aliquam executionem facere, vel fieri facere extra Corpora Sanctorũ dicti nostri Comitatus Mediolani, & si aliquando aliqui reperiantur aliquas executiones facere extra dicta Corpora Sanctorũ super dicto nostro Comitatu, quod capi possint, & debeant tales per familiam dicti Ca-

 pitanei

pitanei, & teneantur carcerati per menses sex, vel soluant floren. vigintiquinque applican. Cameræ nostræ.

Item, quod Vicarij, & Referendarij, nec aliqui alij Iusdicentes Mediolani possint, nec debeant sine nostri licentia speciali mittere pro aliquo Contadino, qui veniat Mediolanum nomine alicuius Communitatis, nec etiam pro aliqua Communitate, nec aliter quouismodo grauare possint aliquam Communitatem absque nostri speciali licentia, & si contrafactum fuerit, dicti homines, & Communitates eisdem in aliquo obedire minime teneantur.

Item, quod si contingat per Datiarios, & Gabellatores Mediolani aliquam executionem fieri in dicto Comitatu, quod illas facere, & fieri facere possime cum licentia, seu Iudicis Gabellarum, & quod licentia dicti Iudicis sit signata per alterum ex Vicarijs nostris Mediolani in dicto Comitatu, vsque ad milliaria decem longe à Ciuitate Mediolani, & ab inde vltra teneatur executiones facere, vel fieri facere, cum licentia dicti Iuditis, & dicti Capitanei, quæ intelligatur concessa, dummodo sit subscripta per Notarium dicti Capitanei, vel Bullata suo bulletino, & quod pro dictis executionibus fiendis non possit mitti nisi vnus ex famulis dicti Capitanei, & vnus seruitor vt supra, sit quis velit, qui ipsam licentiam concedat, quam licentiam signare, & subscribere teneatur dictus Capitaneus, vel Notarius absque aliquo præmio, & teneatur idem noster Capitaneus diligenter aduertere si Datiarij in dicto Comitatu solutiones recipient, vel facient extorsionem contra, & vltra formam incantuum suorum, & eo casu si reperiet eos, vel aliquem eorum contrafacere, compellat ipsos ad soluendum pro vno denario quatuor, cuius pœne medietas applicetur Cameræ nostræ, & alia medietas passo extorsionem.

Item, quod dictus Capitaneus teneatur mittere vnum sufficientem de familia sua gratis ad videndum fieri monstras per Datiarios Douanæ Commitatus prædicti, ad quas similiter esse debeat vnus de melioribus ipsius loci, vbi fient ipsæ monstræ, & si aliquæ quæstiones verterentur, quod de prædictis credatur cum iuramento, & ipsas quæstiones, & discordias cognoscat dictus Capitaneus absque aliquibus expensis.

Item, quod dictus Capitaneus, & non alius pro euitandis extorsionibus, & robarijs, quæ dietim committuntur, teneatur, & debeat facere, seu fieri facere executiones quorumcumque denariorum pertinentium Cameræ nostræ, pro quibus habeant famuli, & seruitores præmium contentum in suprascripto capitulo mentionem faciente de solutionibus fiendis eis pro pignoribus, seu robarijs, & itineribus, & istud capitulum non habeat locum hinc ad Kalendas Ianuarij proxime futuras.

Item, quod omnes parabulæ, vel licentiæ exercendi officium in Comitatu concessæ famulis, & seruitoribus quibuscumque, tam per olim Capitaneos ipsius nostri Comitatus, quam per Vicarios, Referendarios, Iudices, vel Exactores nostros Mediolani ab hodie retro sint cassæ, vanæ, & irritæ, nulliusque valoris, efficaciæ, & momenti, & eis vti non possint prædicti seruitores, & etiam famuli ab hinc in antea, sub pœna floren. decem pro quolibet, qui reperiatur eis licentijs vti, ad quam pœnam, si non fuerit habilis, nec sufficiens, dentur eis tractus quatuor curli, & vltra non possit officium in ipso Comitatu vllo tempore exercere.

Item, quod homines Comitatus nostri Mediolani possint libere, & impune ad Ciuitatem nostram Mediolani, & ad alias Ciuitates, & Terras nostras ad eorum libitum ire, ibique stare, inde redire, absque eo, quod pro aliquibus debitis publicis, vel etiam priuatis detineantur.

Item,

Item, quod Notarij, qui habent ad incantum Notariam dicti nostri Comitatus pro fideiussionibus præstandis ex causis, aut pro Malefitys non exigentibus pœnam sanguinis, sint contenti, & pro eorum mercede recipiant, id, quod eis concessum est secundum formam sui incantus, & non vlterius, & si qui contrafecerint, soluant pro vno denario quatuor illius quantitatis, quam iam vltra formam dicti incantus acceperint, & totiens quotiens contrafecerint, quam pœnam per Capitaneum nostrum præsentem, & futurum ab ipsis exigi volumus, & pro medietate applicari debeat accusatori, & pro alia medietate damnum passo totiens quotiens, vt præfertur, contrafactum fuerit, sub pœna floren. viginti quinque, a dicto Capitaneo auferendorum, & dictæ Cameræ applicandorum totiens quotiens in prædictis fuerit negligens.

Gratia concessa certis hominibus, & parentelis Martesanæ.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Supplicationem recepimus continentiæ subsequentis viz. Illustri, & Excelsæ Dominationi Vestræ. Supplicatur humiliter pro parte fidelium vestrorum hominum, & personarum infrascriptarum parentelarum, & ipsorum hominum, & personarum, massariorum, fictabilium, & colonorum, qui, & quæ banniti, seu bannitæ, vel condemnati, seu condemnatæ fuerunt per Officiales, tunc Domini Bernabouis &c. occasione aduentus, seu guerræ quon. D. Comitis Sabaudiæ, & qui causa ipsius guerræ, seu dependen. vel emergen. ex ea spoliati, seu expulsi fuerunt, vel recesserunt de eorum bonis, & etiam qui ipsa causa quoquomodo extra patriam suam abierunt, qui nihilominus semper de beneplacito, & voluntate bonæ memoriæ quondam Domini Genitoris Vestri, atque Magnificentiæ Vestræ in quibuslibet Terris vestris tutum habuerunt reductum. Vndè perpetualiter preces funderunt, & fundere intendunt Altissimo pro præf. quon. Domino Genitore Vestro, & vobis quatenus considerato, quod eidem impossibile fuit aduentum præfati quondam Domini Comitis, qui sic ex improuiso mansiones eorum inuasit euadere, & quod illi, qui tunc temporis banniti, & condemnati fuerunt vt supra, licet inocentes postea pro magna, vel maiori parte tapinantes decesserunt. Dignemini gratia speciali, ac amore Dei (qui gressus vestros feliciter dirigat, & conseruet) Edicere, & mandare omnes, & singulos, saltem Ciuitatis, & Comitatus vestri Mediolani, bannitos, & condemnatos tantùm, tàm de rebellione, quàm aliter per dictos Officiales, vel aliquem eorum, & etiam quoscumque quouismodo expulsos, vel spoliatos, aut recesserunt, de quibuscumque bannis, condemnationibus, & contumacijs liberè, & absque alicuius pecuniæ solutione tolli, & cancellari debere, eosque, & eorum filios, & hæredes ad gratiam, & misericordiam acceptare, & admittere, & ad possessionem pacificam, & tenutam bonorum, & iurium suorum, & quæ per eos, seu eorum antecessores, seu eorum nomine tenebantur, vel eis quoquomodo pertinebant tempore prædicti aduentus per quemcunque detineantur de vestri potestatis plenitudine in integrum restitui, ad pristinum statum reduci, atque restitui, & reducere, & sicut alios vestri Subditos fideles, vbilibet, & quomodolibet tractari, & reputari, ac si nunquã prædicta banna, & condemnationes eis, & contra eos, & alteri, & contra alterum eorum data, & latæ fuissent. Ipsamque, & ipsas pro infectis penitùs haberi annullantes, & totaliter reuocantes quoscumque processus, introitus, & nouitates, tàm de facto, quàm de iure factos, & factas tempore dicti aduentus, seu dictæ guerræ inclusiuè, vel ab inde citra, & prædictorum omnium, &

singularum

singularum executionem, cui placet cõmittere, reseruato tamen cuilibet personæ quolibet iure, quod sibi contra eos, & eorum bona tempore dicti aduentus dicti Domini Comitis competebat, quæ quidem parentelæ sunt hæc viz.

Parentela de Foppa. Parentela de Annono, siue de Imbersago. Parentela illorum de Medicis de Nouatæ. Parentela de Benulco. Parentela de Pareuecino. Parentela illorum de Villa. Parentela de Molteno. Parentela de Curadis de li Curtij. Parentela de Capitaneis de Imbersago, siue de Montebello. Parentela de Petronibus de Cisnuschis Lombardore. Parentela de Capitaneis de hoe. Parentela Burgi de Merate. Parentela illorum de Carnago. Parentela illorum de Larocha. Parentela illorum de Sapis. Parentela de Bonhominibus. Parentela illorum de Luzana. Parentela de Aderardis de Giouenzano. Parentela illorum de Stephanonibus. Parentela de Bullijs de Channo. Parentela de Burgensis de Brippio. Parentela illorum de Vndarijs de Sirono. Parentela de Castelletto, siue de Luzana. Parentela de Brens. Parentela de Sartirana. Parentela de Monte. Parentela de Pagano. Homines de Tremonte, & de hoe. Vicini soliti habitare in loco Annono. Vicini de Calco. Parentela de Besteto. Parentela de Pelizonibus. Parentela de Cornagijs de Bernadigio, & Lombardore de Colimellis de Mapello. Parentela de Brianza, seu de Pratobera. Paganus de Labareta, qui habitabat in loco Bernadigio. Hæres Francisoli Merosij. Dominus Presbyter Petrus de Licurti. seu de Bernadigio. Parentela illorum de Vignate. Gulielmus de Sirturi, siue de Spinania. Hæres quondam Triehæ de Rozano. Parentela illorum de Lurago. Parentela illorum de Zenobio. Parentela illorum de Longono. Prædictarum parentelarum, Massarij, Fictabiles, & Coloni. Quare volentes ipsos, & ipsas tales homines, & personas, eorumque, vel earum Massarios, fictabiles, & colonos de sui statu, & conditione reddere certiores, nostræ misericordiæ gratiam super eos, & eas duximus effundendam: omnis processus, condemnationes, & banna contra prædictas personas, vel aliquas ex eis, seu in earum præiuditium directè, vel per indirectum occasionibus præmissis, aut occasione dependen., vel connexorum exinde dumtaxat datas, factos, & lata per Officiales prædictos. Tenore præsentium etiam de nostræ plenitudine potestatis tolentes, cassantes, & pænitùs abolentes, declarantesque ipsas, & ipsa esse nullas, & nulla, & per omnes Officiales ad quos spectat, & spectabit, tolli, cancellari, & aboleri debere de quibuscumque capitularibus, & libris vbi descripta, & inserta, & scriptæ, & insertæ reperiantur, eaque, & eas irrita, & nulla, ac irritas, & nullas, nulliusque valoris, & momenti, & pro non factis haberi debere. Decernentes, & expresse mandantes propter quod ipsas personas, & earum hæredes sub nostræ gratiæ, & protectionis vmbra recipimus, & ad omnes honores, status, condiriones, gradus, & iura in quibus erant, & quibus fungi poterant antequam prædicta processissent cum omnibus clausulis opportunis, & necessarijs in integrum restituendas, & admittendas esse decernimus; & restituimus, & admittimus, prædictis banis, condemnationibus, & processibus dumtaxat nequaquã obstantibus. Ita etiam, vt in eis statu, gradu, ac iure sint, & esse censeantur, sicut si prædicta banna, & condemnationes dumtaxat nullatenus occurrissent, omnem quoque infamiam, & maculam, in quam eorum, & earum occasione ipsas personas, vel aliquas ex eis incurrisse dici posset ab eis pænitùs abigentes, & bona, ac res ipsarum nomine, vel sub prætextu, vel colore prædicti Domini Bernabouis, & vxoris, aut filiorum suorum, vel alicuius eorum quomodolibet ablata, vel occupata, & ablatas, vel occupatas occasionibus prædictis dũtaxat, & quæ per eas personas

nas tenebantur tempore expulsionis, & recessus eorum eisdem liberè relaxamus, & concedimus, ac mandamus per Officiales nostros pænitùs relaxari debere. Insuper mandamus omnibus, & singulis Potestatibus, Capitaneis, Vicarijs, Rectoribus, & Officialibus nostris, & Communis nostri Mediolani præsentibus, & futuris, & alijs quibuscumque Subditis nostris, quatenus pro prædictis, & eorum occasione dumtaxat, ipsas tales personas realiter, nec personaliter non offendant, inquietent, nec molestent, nec offendi, inquietari, aut molestari permittant. Scilicet eas tamquam nostras veras, & fideles Subditas habeant, & reputent, ac faciant reputari, sub pœna nostræ indignationis. Hanc autem nostræ pietatis, & gratiæ paginam volumus, & decernimus pro lege perpetua inuiolabiliter obseruari. Et hoc nisi per nos aliud in contrarium ordinatum, seu concessum existat, seu in futurum ordinari, seu concedi contingat, quibus per prædicta, nec aliquod prædictorum non intendimus derogari, nec derogatum esse. Iubentes etiam prædicta debere publicari, promulgari, & inseri in volumine Decretorum, & Statutorum nostrorũ Communis nostri Mediolani. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli appensione muniri. Dat. Papiæ die septimo mensis Iunij Millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, octaua Indictione.

De iurisdictione Comitatus in ciuili, & criminali concessa Potestati Mediolani, & Vicarijs Comitatus.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam capitulorum exhibitorum per Ambasciatores vestrum Præsidentium vobis remittimus his inclusam cum responsionibus, volentes, vobisque mandantes, vt ipsas sicut iacent, vsque ad nostræ beneplacitum voluntatis obseruetis, & faciatis inuiolabiliter obseruari. Dat. Papiæ die quintodecimo Iulij MCCCLXXXV. Antonius. A tergo Egregio Viro Domino Potestati, Capitaneis, Vicarijs, Referendarijs, & duodecim Præsidentibus prouisionibus Ciuitatis, & Comitatus nostri Mediolani.

Infrascripta requiruntur pro parte duodecim Præsidentium negotijs Communis Mediolani.

PRimo, quod Potestas Mediolani, qui est, & pro temporibus erit habeat iurisdictionem Comitatus in ciuilibus, & criminalibus, & si ponantur Capitanei, quod ipsi exerceant solùm iurisdictionem criminalium. Et hoc non obstante, quod possit Potestas de criminibus in Comitatu commissis, seu committendis cognoscere, præoccupans tantùm in cognitione preferatur.

Super primo capitulo. Respon. Volumus, quod Potestas noster Mediolani, qui nunc est, & qui pro tempora erit, exerceat, & exercere possit iurisdictionem suam in quibuslibet ciuilibus causis, quæ verti contigerint in Ciuitate nostra Mediolani, Suburbijs, & Corporibus Sanctis, & in locis circumstantibus ab ipsa Ciuitate non distantibus vltra decem milliaria; in certis verò locis, & Terris Comitatus nostri Mediolani Vicarij Comitatus prædicti vlz. quilibet in iurisdictione sibi commissa exerceant iurisdictionem in ciuilibus causis, quæ non transcendant summam librarum vigintiquinque tertiolorum.

In causis verò ciuilibus excedentibus summam vsque ad libras quinquaginta tertiol. Capitanei nostri Comitatus nostri prædicti vlz. quilibet eorum in iurisdictione sibi commissa iurisdictionem exerceat inter quascunque personas etiam Ciues

Mediolani,

Mediolani, qui agere vellent contra aliquem Contadinum.

In causis verò ciuilibus excedentibus summam libr. quinquaginta tertiol. quantacunque sit summa, Potestas noster Mediolani iurisdictionem exerceat, nec de ipsis se intromittant dicti Capitanei, nec Vicarij Comitatus nostri Mediolani.

Saluo, quod si aliqua causa ciuilis, quantumcunque foret, verteretur inter Contadinos Mediolani tantùm, vel inter Ciues forinsecos tantùm in ipso Comitatu habitantes, & ibidem pro eorum bonis descriptos in talea ad onera persoluenda, aut inter aliquem ex dictis Ciuibus in Comitatu habitantibus, & descriptis vtsupra, & aliquem Contadinum Comitatus vlz. quilibet in iurisdictione sibi commissa huiusmodi causas ciuiles cognoscant, & terminent ne magis partes grauentur laboribus, & expensis in veniendo Mediolanum ad litigandum pro causis antedictis. Et saluo etiam si ambæ partes vlz. actor, & reus essent concordes de litigando coram aliquo ex dictis nostris Capitaneis potius, quàm coram Potestate nostro Mediolani hoc facere possint pro ipsarum partium minori incommodo, & expensis, & idem seruetur è conuerso, si partes concordes fuerint ad litigandum coram Potestate Mediolani.

In causis verò criminalibus, Potestas noster Mediolani in Ciuitate, Suburbijs, & Corporibus Sanctis Mediolani iurisdictionibus exerceat, nec de ipsis causis in dictis locis Capitanei nostri Comitatus se intromittant vllo modo. In Comitatu verò Mediolani quilibet prædictorum vlz. Potestas noster Mediolani insolidum. & Capitanei slz. quilibet eorum in parte Comitatus prædicti sibi commissa iurisdictionem exerceant in criminalibus, ita tamen, quod præoccupans præferatur in cognitione talium causarum.

Secundò, quòd concedatur licentia volentibus conducere bladum à partibus forasterijs Mediolani, quòd conducere possint.

Super secundo capitulo. Respon. Volumus, quòd Capitaneus Lumellinæ constitutus super decreto firmus remaneat, & super hoc fiant litteræ volentibus conducere bladum ad Ciuitatem nostram Mediolanicum bulatim secreto sigillato, & cum ordinibus consuetis, de alijs verò Ciuitatibus fiat more solito.

Tertiò, quod prouideatur de Palatio in Broleto Mediolani, vbi ipsi forasterij possint suum bladum reponere.

Super tertio capitulo. Respon. Placet nobis, quod assignetur per Referendarios nostros, Duodecim, & Syndicos Mediolani illa gabella, quæ est contigua Palatio Notariorum Mediolani.

Quartò, quod salariati Communis Mediolani habeant sua salaria, & maximè Sacerdotes Sancti Benedicti, qui sunt duo, ne Commune Mediolani remendat in sententiam interdicti.

Super quarto capitulo. Respon. Volumus, quod fiat.

Prouideatur etiam; quòd Iudex victualium faciat suas condemnationes in tempore debito.

Super quinto capitulo. Respon. Volumus, quod fiat.

Decretum causarum ciuilium vigens in Ciuitatibus, & Terris Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quodam decretum per nos nuper editum super ordinationibus causarum, & decisionibus, mittimus vobis præsentibus inclusum. Mandantes vobis quatenus ipsum decretum seruetis, & seruari faciatis, & in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani inseri, faciendo etiam de continentia dicti decreti proclamationes opportunas. Dat. Mediolani secundo Octob. MCCCLXXXV. Comolus. Cuius quidem decreti tenor talis est. *NOS*

NOS Galeaz Vicecomes Comes Virtutum, Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis: Cupientes litibus, & quæstionibus, quæ inter Cives districtuales, & Subditos Ciuitatum, & Terrarum nostro dominio suppositarum, seu aliter, vel inter alios quomodocunque, & qualitercunque vertantur, & à modo verti possent, seu vertentur quanto plus fieri potest cum honore nostro, & commodo dictorum nostrorum Ciuium; Subditorum, & districtualium debitum, & velocem finem imponere, ad hoc, vt inter prædictos Cives, Subditos, & districtuales nostros litium omnes, causarum, & discensionum materia recidatur, & quæstiones ipsæ immortales non permaneant, slz. ad finem debitum velociter perducantur, parcaturque laboribus, & expensis ipsarum partium litigantium, maturo super hoc consilio, & deliberatione præhabitis volumus, sancimus, statuimus, decernimus, & mandamus, quod in omnibus litibus, causis, quæstionibus, seu controuersijs ciuilibus, & etiam criminalibus ciuiliter motis, quæ vertantur, & de cætero vertentur inter aliquas personas laicas Ciuitatum, & Terrarum nostrarum; seu aliter, vel inter alios laicos quomodocunque, & qualitercunque, vt præfertur, infrascriptus ordo debeat inuiolabiliter obseruari vlz. Quod si aliqua quæstio, lis, vel controuersia ciuilis, vel criminalis ciuiliter mota, etiam si sit de possessione turbata, vel de aliquo possessorio, etiam si pro eis aliqua pars veniat Fisco, vel Communi, dum in aliqua parte veniat parti applicanda est, vel erit coram quocunque Potestate, Iusdicen., Magistratu, vel Assessore seculari ordinario, vel delegato Ciuitatum, & Terrarum, seu locorum nostro dominio subiectarum, seu coram quocunque alio Offitiali, vel Magistratu, & etiam coram aliquibus arbitris, & arbitratoribus, & amicabilibus compositoribus aliter electis, quam secundum formam præsentis nostri decreti inter quascunque personas laicas, cuiusuis maneriei, & conditionis extiterint, seu inter Communia vlz. inter Communitatem aliquam, & aliam Communitatem, vel singularem personam, & Communitatem, vel è conuerso, exceptis causis, quæ vertuntur, vel vertentur coram Iudicibus gabellarum, quæ spectant suo Offitio, debeant statim ipsæ quæstiones vertentes, & quæ vertentur vt supra, absq; alio processu iudiciali, cum ipsæ quæstiones motæ fuerint conuocatis coram se partibus inter quas vertantur, & vertentur ipsæ quæstiones, easdem quæstiones, lites, seu controuersias committere tribus bonis viris habitantibus in dictis nostris Terris suppositis iurisdictioni illius iusdicentis coram quo quæstio mota fuerit partibus non suspectis, eligendi verò, vlz. pro qualibet ipsarum partium ad eorum libitum, saluo quod ipsæ partes non possint eligere aliquem ascendentem, vel descendentem, aut fratrem vel aliquem de familia ipsarum partium, vel alicuius earum stantibus simul ad vnum panem, & vinum, nec etiam aliquem Iurisperitum, Procuratorem, vel Notarium artem Notariæ exercentem. Tertium verò confidentem eligere possint illum in quem ipsæ partes se concordabunt, sit ipse tertius, quis velit, siue Iurisperitus, Procurator, vel Notarius, vel alius cuiuscunque status & conditionis, & dignitatis existat, dummodo ipse tertius sit suppositus illi Potestati, vel Iusdicenti coram quo ipsi confidentes eligentur, & non sit Iusdicens, vel Magistratus forensis in illa Ciuitate, vel Terra in qua quæstio mota fuerit hoc etiam addito, quod si quæstio fuerit inter Subditum, & non subditum slz. inter Subditos, & non Subditos iurisdictioni illius Potestatis, additio, vel Iusdicentis coram quo dicta quæstio verti contingat, & ipsi Subditi, & non Subditi dictæ iurisdictioni non se concordarent de tertio eligendo in iurisdictione prædicta, absque detentione personarum, tunc & eo casu eligere possint, & debeant tertiũ in illa Ciuitate subiecta dominio nostro, quæ proximior

erit

erit illi Ciuitati, vel Terræ in qua dictæ quæstio ventilabitur, & in casu quo eligatur tertius alienæ iurisdictionis cogatur ille ad acceptandum, & iurandum in forma infrascripta per Potestatem, vel Rectorem cuius iurisdictioni Subditus sit, & ipse cum alijs duobus debeant ad inuicem conuenire per examinationem, & terminationem quæstionis eis commissæ in loco in quo partes fuerint concordes. Et si non possent in hoc concordare in aliquo loco eligendo per Iusdicentem coram quo quæstio mota fuerit, qui locus sit magis communis omnibus, & minus damnosus vtrique parti, & electis prædictis, & in casu quo partes non se concordarent de tertio eligendo, & permitterent se detineri secundum formam dicti nostri decreti causa dicti tertij eligendi. Ipsæ partes vllo ex casibus prædictis non possint ab hora qua detenti fuerint causa præmissa, vt præmittitur in antea eligere aliquem Iurisperitum, Aduocatum, vel Procuratorem, vel Notarium in tertium confidentem coram quibus bonis viris, vel maiori parte eorum dictæ partes, & earum quælibet possint, & debeant probare quicquid voluerint infra viginti dies vtiles à die commissionis eis factæ numerandos. Et quod etiam post ipsum terminum viginti dierum admitti possint probationes per omne genus probationum, si, & quandocunque ipsis tribus bonis viris, vel duobus ex eis videbitur expedire durante termino instantiæ. Et si forte ipsæ partes non possent se conuenire, vel concordare de tertio bono viro eligendo, quod ille Magistratus coram quo esset illa quæstio possit, & teneatur compellere incontinenti ipsas partes, & quaslibet earum omnibus iuris remedijs etiam per detentionem personarum ad se inuicem concordandum de ipso tertio communiter eligendo, quibus bonis tribus viris electis, & receptis teneatur dictus Potestas, siue ille Magistratus coram quo ipsa quæstio, lis, causa, vel controuersia mota fuerit eamdem committere dictis tribus bonis viris, audiendam, cognoscendam, decidendam, & fine debito terminandam, & quod etiam ipsi tres boni viri taliter electi per dictas partes compellantur omni exceptione remota per omnia iuris remedia, etiam per detentionem personarum per Potestatem, Vicarium, seu Iusdicentem prædictos ad acceptandum, & quod acceptent commissiones in eos factas ad terminandum ipsas eis taliter commissas intra tempus infrascriptorum dierum vtilium, qui electi iurare debeant & compellantur, omni exceptione remota, per Dominum Potestatem, Vicarium, seu Iusdicentẽ ad iurandũ ad Sancta Dei Euangelia corporaliter manibus tactis scripturis, ipsam quæstionem, litem, causam, seu controuersiam eis commissam cognoscere, diffinire, & terminare legaliter, & bona fide secundum, quod eis in bona, & recta conscientia æquum, & iustum fore videbitur, remotis odio, amore, timore, prece, pretio, & humana gratia. In qua quidem quæstione, lite, causa, seu controuersia ipsi boni viri procedere possint, cognoscere, diffinire, & terminare summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, iuris ordine seruato, & nõ seruato, prout ipsis bonis viris melius videbitur, veritate inspecta, & cessantibus cauillationibus, & friuolis exceptionibus quibuscunq; & quomodocunq; tempore feriato, & nõ feriato nisi essent feriæ introductæ in honorem Dei, & Sanctorum, quam quidem causam, litem, quæstionem, seu controuersiam dicti boni viri taliter electi, & assumpti debeant cognouisse, decidisse, & terminasse; & etiam teneantur sub debito sacramenti, & pœna floren. centum auri pro quolibet ipsorum auferenda, & applicanda Cameræ nostræ infra tempus, & terminum quadraginta dierum vtilium computan. à die commissionis eis factæ; & quod lata sententia per ipsos bonos viros, vel duos ex eis altero præsente, vel absente tamen ad hoc legitimè citato, seu facta per eos diffinitione, & terminatione dictæ quæstionis possit pars succumbens, & quæ senserit se grauatam ex ipsa sententia, diffinitione,

tione, seu terminatione infra quintam diem immediatè sequentem post sententiam, seu terminationem etiam vna vice appellare, & querelare, tàm de nullitate, quàm de iniquitate dictæ sententiæ coram Potestate, vel Rectore principali nostro illius Ciuitatis, loci, vel Terræ in qua dicta quæstio mota fuerit, vel eorum, vel alicuius eorum Locumtenen., quam causam appellationis dictus Potestas, seu Rector, vel Locumterens prius citata parte contra quam fuerit appellatum statim cõmittere teneatur alijs tribus bonis viris eligen. modo, & forma prædictis in omnibus, & per omnia prout superius continetur, qui tres boni viri teneantur, & debeant in ipsa causa appellationis procedere, & eam cognoscere, diffinire, & terminare, & tàm super nullitate, quàm iniquitate dictæ sententiæ, modo, & forma prædictis infra quindecim dies vtiles à die commissionis factæ computandos. Et si per ipsos tres bonos viros, vel duos ex eis &c. & prout supra fuerit prima sententia confirmata in totum, vel pro parte, tunc, quatenus fuerit confirmata, executioni mandetur. Si verò fuerit ipsa causa appellationis deserta, & non prosecuta, tunc prima sententia absque alterius appellationis remedio executioni demandetur. Si verò fuerit dicta prima sententia annullata, aut reuocata totaliter, vel pro parte, tunc possit pars succumbens in ipsa causa appellationis ab ea sententia infra quintam diem vt supra appellare, & querelare etiam vna vice, tàm super nullitate, quàm iniquitate dictæ sententiæ ad Potestatem, vel Rectorem principalem nostrum ipsius Ciuitatis, loci, vel Terræ, in qua dicta causa fuerit agitata, seu eius Locumtenente, qui ipsam causam secundæ appellationis, citata tamen parte, legitimè committere teneatur alijs tribus bonis viris eligendis vt supra, nec aliter procedi possit in dictis causis, nec aliqua earum etiam si foret de partium voluntate, qui in ipsa causa procedere debeant, eamque cognoscere, diffinire, & terminare, & tàm super nullitate, quàm iniquitate dictæ sententiæ &c. prout supra infra alios quindecim dies vtiles à die commissionis eis factæ computandos, & latæ sententia in dicta secunda causa appellationis, vel ipsa causa deserta, & non prosecuta, non liceat alicui partium amplius appellare, nec prouocare slz. executioni mandetur sententia prout inferius continetur, quæ tempora statuta vt supra, tàm causa principalis, quàm causis appellationũ nullo modo prorogari possint etiã nec per interlocutoriam aliquam, nec aliquo modo etiam si fuerit de citata, vel expressa partium voluntate, nec etiam propter aliquas protestationes, cauillationes, vel prorogationes cuiusuis status, conditionis existant, & per quarum effectum impediantur dicti tres boni viri, seu aliquis ex ipsis ad terminandum quæstionem ipsis taliter, vt præfertur commissam intra tempora antedicta instantia causæ principalis, & appellationis limitata vt supra, vel differatur; & tardetur tempus instantiæ vltra prædicta tempora, quod nullo modo fieri possit, & si in futurum fierent dictæ prorogationes cauillationes, seu protestationes nullius sint efficatiæ, & valoris. Volentes preterea, quod tales opponentes ipsas interlocutorias protestationes, & cauillationes, seu prorogationes, quarum occasione stent ipsi boni viri quin infra prædicta tempora suam proferant sententiam condemnentur, & ipso iure condemnati habeantur pro quolibet ipsorum, & qualibet vice, qua contrafecerint in floren. centum auri, quorum duæ partes Cameræ nostræ applicentur, & alia tertia pars sit accusatoris, qui tales accusauerit, & qui tenebitur secretus, & vltra ad restitutionem omnium damnorum, expensarum, & interesse fiendam parti læsæ, firmis tamen remanentibus omnibus, & singulis suprascriptis, vt infrascriptis. Possint etiam duo, vel vnus ex ipsis tribus bonis viris taliter assumptis committere vni, vel duobus ex ipsis vices suas in procedendo tantùm, & quicquid per ipsos, vel per duos ex ipsis altero præsente, vel absente, legitimè tamen citato, pronuntiatum fuerit, valeat, & teneat, & roboris obtineat

firmitatem

firmitatem in pronuntiando, & sententiam, & sententia, quam tulerint habeat per omnia illos effectus, quos habet sententia Iudicis ordinarij, quæ transiuit in rem iudicatam, saluis tamen appellationibus, & alijs, quæ superius continentur. Ita, quod etiam pars succumbens possit de euictione agere contra actorem, & datorem suum ac si rectè, & ritè succubuisset per sententiam Iudicis ordinarij facta prius legitima denuntiatione debito tempore per eum auctori, seu datori suo, seu illis, quibus de iure fieri deberet de quæstione, & lite sibi mota, & quod facta denuntiatione prædicta, si ille, cui ipsa denuntiatio facta fuerit noluerit stare electioni prædictæ factæ inter partes prædictas de tribus bonis viris, tunc ad omnem suspectionem remouendam, & obuiandum collusioni, quam fieri possit inter dictas partes in præiuditium auctoris, vel datoris, vel alterius, cui denuntiatum fuerit, teneatur Iusdicens coram quo quæstio mota fuerit, ad requisitionem prædicti, cui denuntiatum fuerit vt supra, compellere illum, qui denuntiauerit, & eum cui denuntiatum fuerit ad eligendum alios tres bonos viros modo, & forma prædictis, quibus committatur omnis quæstio, & controuersia vertens, inter eos decidenda, & terminanda vt supra, & eo casu sententia, quæ facta fuerit per alios tres bonos viros inter illum, qui denuntiauerit, & alium, qui sibi litem mouerit non præiudicet illi cui dicta denuntiatio facta fuerit, & quod in agendo de euictione habeat locum, & seruari debeat ordo huius decreti, & quod omnia acta, instrumenta, sententiæ, & scripturæ, quæ fient coram ipsis bonis viris ex parte eorum, vel alterius eorum debeant fieri, & scribi per Notarios, seu scribas, & Officiales eorum Iudicum, Consulum, vel Magistratuum, qui ipsos tres bonos viros assumpserint, & si quis Notarius, vel Scriptor, absque licentia illius Notarij, qui haberet dictum offitium contrafecerit, puniatur in libris vigintiquinque tertiolorum pro quolibet Notario, & quolibet actu, & qualibet vice, & quilibet possit accusare; medietas cuius pœnæ sit Cameræ nostræ, & alia medietas sit accusatoris, saluo, quod examinationes, & receptiones testium in causis prædictis committi possint, & debeant alicui Notario, vel Notarijs de confidentibus partium eligendis, etiam si non sit Notarius ad Offitium dicti Iusdicentis coram quo quæstio agitabitur, qui tres boni viri taliter assumpti vt supra, possint habere pro labore eorum, & solutione expen. ad super totum ab ipsis partibus denarios sex pro libra, si quæstio fuerit à libris mille infra tertiol. Si vero à libris mille supra, & vsque in libris tribus millibus, possint recipere, & habere pro primo milliario vt supra dictum est, & vltra vsque in libris tribus millibus den. tres tertiolorum pro libra, ab ipsis verò tribus millibus supra, quantacunque fuerint quantitates habeant, & habere possint pro qualibet parte libras quinquaginta tertiol. omnibus computatis, & non vltra, quæ pecunia sit communis inter ipsos, qui electi fuerint ad ipsam quæstionem cognoscendam, & terminandam, nec vltra possint petere, accipere, vel habere sub pœna dupli perueniendа in Cameram nostram, & quod victus victori condemnetur in expensis, saluo, quod possint succumbentem absoluere ab expensis si videbitur eis, quod habuerit iustam causam contra ipsos aliquid imputare, nec ipsos molestare occasione ipsarum sententiarum, pronuntiamenti, & arbitramenti, & contra ipsos non reddatur ius aliquod ipsis partibus occasione ipsarum sententiarum per aliquem Iusdicentem.

Item, quod de cætero lata aliqua sententia per ipsos bonos viros, vel duos ex ipsis vt supra, teneatur, & debeat quilibet Iusdicens, & Magistratus ad quem de iure spectat, postquam requisitus fuerit, elapsis quindecim diebus à tempore latæ sententiæ, si terminus aliquis non fuerit appositus in ipsa sententia, executioni mandare ipsam sententiam, arbitria, & arbitramenta, saluis semper appellationibus, &

alijs

alijs supra dispositis, & ordinatis, non obstantibus aliquibus querelationibus, nullitatibus, appellationibus, in integrũ restitutionibus seu reductionibus ad arbitrium boni viri, vel quouis alio iure, vel remedio per aliquam partium interpositis, seu oppositis, vel opponendis, & quod de cætero, saluis semper suprascriptis querelationibus, in integrum restitutionibus, reductionibus ad arbitrium boni viri, & quælibet alia remedia non habeant locum, nec possint interponi. Nolumus tamen, quod pro aliqua executione fienda possint, nec debeant robari, vel pignorari aliquæ bestiæ bouinæ, nec aliqua plaustra, aratra, nec aliqua instrumenta ad agricolturam deputata, & quæ omnia volumus locum habere in causis, & quæstionibus, quæ vertuntur, & vertentur coram aliquo delegato à nobis, vel à nostra curia. Et hæc omnia non obstante aliquo iure communi, vel municipali, seu Statuto in contrarium loquente, quibus omnibus iuribus, & remedijs ex certa scientia, & de nostræ potestatis plenitudine derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, volentes insuper, quod si aliquæ quæstiones, lites, & controuersiæ vertuntur, vel in futurum verti cõtingant coram aliquibus Arbitris, Arbitratoribus, & amicabilibus compositoribus, vel aliquibus ex eis, qui aliter electi sint, quam secundum formam suprascripti nostri decreti, debeant statim omnes quæstiones, lites, causæ, controuersiæ, cum motæ fuerint, remittere, & remissio intelligatur ipso iure illi Potestati, Vicario, vel Iudici ad quem aliàs cognitio spectaret de prædictis; qui quidem Potestas, Vicarius, & Iusdicens coram quo ipsæ quæstiones remissæ fuerint dictas quæstiones, lites, causas, & etiam controuersias committere debeat secundum formam suprascriptam, & quod in omnibus, & per omnia in ipsis committendis seruetur, & seruari debeat inuiolabiliter ordo, & forma huius nostri decreti de quibus supra fit mentio, quodque in aliqua quæstione, causa, vel controuersia mota, vel mouenda aliter procedi non possit, nec debeat, quàm secundum formam præsentis decreti. Et quod si aliqui Arbitri, Arbitratores, & amicabiles compositores eligantur, vel eisdem modo aliquo committantur aliquæ quæstiones aliter, quàm secundum formam præsentis nostri decreti ipsi, nullo modo se intromittere debeant de ipsis quæstionibus, litibus, seu controuersijs sub pœna suprascripta. Et si se intromitterent, non valeat, nec firmum sit, quod per ipsos fieri contigerit. Non intendentes insuper per aliqua in præsenti nostro decreto contenta aliqualiter derogare Statutis Mercatorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, quæ Statuta in suis casibus volumus debere inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium &c.

Decretum suprascriptum publicatum fuit per cridam die Iouis duodecimo mensis Octobris anni memorati, octaua Indictione.

De pœna præsumentium detrahere facta Domini.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Intendentes temeritatem, & proteruam audaciam obloquentium, & nostri honori, vel famæ detrahere quomodolibet præsumentiũ refrænare. Sic quod quispiã in huiusmodi oblocutionibus, & maledictis prorumpere non attẽptet, præsenti nostro decreto, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis edicimus, decernimus, & mandamus Potestati nostro Mediolani, tàm præsenti, quàm futuro, quod quælibet persona cuiusuis status, & conditionis existat, quæ hinc retrò aliqua verba oblocutus fuerit, vel maledixerit de nobis nostro honori, vel famæ aliqualiter detrahendo in iurisdictione dicto nostro Potestati commissa, seu, quæ de cætero talia, vel similia committere præsumeret, possit & debeat per dictum nostrum Potestatem puniri, & condemnari in hauere, &

persona arbitrio dicti Potestatis, inspecta qualitate facti delicti, & talium verborum prolatorum, & conditione personarum, taliter, quod eorum pœna transeat cæteris in exemplum summariè, & expeditè, omnique iuris, & Statutorum solemnitate, & dispositione omissa, & non obstantibus aliquibus legibus, Statutis, prouisionibus, decretis, & ordinamentis huic nostro decreto obuiantibus quoquo modo, quibus in hac parte, in quantum obuient, expresse, & ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, & hoc pro lege, & decreto nostro volumus, & intendimus inuiolabiliter obseruari, ac inseri in volumine Decretorũ, & Statutorũ nostrorum, & Communis nostri Mediolani. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die octauo mensis Octobris MCCCLXXXV. Indictione nona. Gasparinus signauit.

De iurisdictione commissa Domino Potestati Mediolani, vlz. in quibus Terris.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Recolentes concessisse Potestati nostro Mediolani merum, & mixtum Imperium, & omnimodam Iurisdictionem in Ciuitate, & Comitatu nostris Mediolani, & eodem modo concessisse Domino Piosello de Seratico Capitaneo nostro in partibus Marthesanæ & Barianæ, & Domino Amizino de Bozulis Capitaneo nostro in partibus Seprij, & Bolgariæ, ex quo in ipsis iurisdictionibus exercendis fuit, & est aliqua seditionis materia, & volentes in præmissis salubriter prouidere, & ipsas seditiones tollere, auferendo multiplices expensas, & labores subditorum nostrorum, tenore præsentium eidem Potestati merum, & mixtum Imperium, & omnimodam Iurisdictionem concedimus vltra Ciuitatem, & Corpora Sanctorum Mediolani in Plebibus, & Terris infrascriptis, in quibus dicti Capitanei nostri nullam iurisdictionem exerceant, nec exercere debeant in ciuilibus, nec criminalibus. Mandantes ipsis Capitaneis nostris, & vtrique eorum, ac eorum successoribus, quatenus de ipsis Plebibus, & Terris, & eorum habitatoribus, quantum est pro exercenda iurisdictione se aliqualiter non intromittant, absque nostro expresso, atque speciali mandato. In cæteris verò Plebibus, Burgis, Villis, & Terris Comitatus prædicti exerceatur, & exerceri debeat per Capitaneos prædictos in Territorijs eisdem commissis singula singulis referendo iurisdictionẽ in criminalibus, de quibus Potestas prædictus se de cætero non intromittat. In ciuilibus verò exerceatur iurisdictio per Potestatem, & Capitaneum iuxta formam litterarum prædictarum nostrarum aliàs ipsi nostro Potestati decretarum anno præsenti die quintodecimo mensis Iulij proxime præteriti, & hoc habeat locum in futurum. In pendentibus verò tàm ciuilibus, quàm criminalibus finis imponatur vbi iuditium cæptum est. Eo tamen intellecto; quod ipse Potestas teneatur debito fine terminare processus pendentes coram ipso, & etiam processus, qui pendebant coram suprascripto Domino Piosello tunc Capitaneo Seprij, & Bolgariæ, & prædecessoribus suis, quæ Plebs, & Terræ in quibus dicti Capitanei nullam debent exercere iurisdictionem, sunt hæc.

In Bolgaria, & Seprio.
Plebes de Cisano
Plebs de Treno
In plebe de Corbetta sunt infrascripta loca de iurisdictione Potestatis.
Locus de Cisliano.
Locus de Sidriano.
Locus de Baradigio.
Locus de Sancto Vito.
Locus de Bestatio.
Locus de Sancto Petro ad Bestatium.
Et prædicta loca cum eorum capsinis, & territorijs.

In

In plebe de Neruiano sunt infrascripta loca de iurisdictione Potestatis.
Locus de Carono.
Locus de Vdrugio.
Locus de Poliano.
Locus de Venzago.
Item in suprascripta plebe de Neruiano.
Locus de Pregnana.
Locus de Cornaredo.
Locus de Raude.
Locus de Lusemate.
Et prædicta loca cum capsinis,& eorum Territorijs.
In Marthesana, & Baziana.
Plebs de Bruzano.
Plebs de Bollate.
Plebs de Desio est tota de iurisdictione Potestatis etiam computato Burgo Desij, exceptis Burgo de Serenio. Burgo de Blasono, Burgo de Vedano, & loco de Macario.
In plebe de Gorgonzola sunt infrascripta loca, quæ sunt de iurisdictione ipsius Potestatis.
Locus de Cisnusculo Asinario.
Locus de Bussero.
In suprascripta plebe de Gorgonzola.
Locus de Vigrate.
Locus de Casate Centenario.
Locus de Camporico.
Capsina de Villa Franca, siue de Pechijs
Locus de Ratenate.
Et prædicta loca cum Capsinis,& eorum Territorijs.
Plebs de Mezate est tota de iurisdictione ipsius Potestatis.
In Plebe de Vicomercato sunt infrascripta loca de iurisdictione ipsius Potestatis.
Burgus de Concorretio.
Locus de Carugate.
Locus de Gradi.
Locus de Caponago.
Capsina de Barazia.
Et prædicta burga,& loca cum capsinis, & eorum Territorijs.
Cüria de Modoetia est tota de iurisdictione Potestatis.
Plebs de Segrate est tota de iurisdictione ipsius Potestatis.
Plebs de Sancto Donato.
Plebs de Sancto Iuliano.
Plebs de Locate.
Plebs de Rosate.
Plebs de Decimo.
Plebs de Septara.

In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die duodecimo Octobris MCCCLXXXV., nona Indictione. Gasparinus signauit.

Ordo super bonis homicidarum applicandis Cameræ Domini, & eorum apprehensione.

DOminus Mediolani &c, Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam decreti per nos editi super bonis homicidarum applicandis Cameræ nostræ, vobis mittimus præsentibus inclusis. Volentesque ipsum nostrum decretum obseruetis, & faciatis inuiolabiliter obseruari, sub pœna nostræ indignationis, ac ipsum nostrum decretum inseri in volumine Statutorum iurisdict. per nos vobis commissæ prout iacet ad litteram, & de receptione harum nos certos reddatis per præsentium portatorem. Dat. Mediolani die quintodecimo Octobris MCCCLXXXV. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani, cuius decreti tenor sic sequitur.

QVicunque, qui commiserit homicidium, seu committi fecerit, & receperit bannum per contumatiam, bona eius publicentur Cameræ Illustris Principis, & Magnifici Domini Domini Galeaz Vicecomitis, Comitis Virtutum Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Quorum executio ad euitandas extorsiones maximas, quæ factæ fuerint temporibus retroactis per Officiales deputatos ad exigendum debita ad Cameram præfati Domini fiat, & fieri debeat per Potestatem, & Potestas teneatur, & debeat ipsa bona apprehendere

bendere infra mensem à die publicationis prædictæ, & ad hoc, vt veri creditores dictorum malefactorum non possint se querelare de prædictis, quod dictus Potestas teneatur, & debeat antequam incorporentur Cameræ prædictæ Magnifici Domini facere publicè proclamari per Ciuitatem nostram, tàm ad Palatium Communis, quàm etiam in vicinia, in qua habitabat ille talis bannitus tempore malefitij perpetrati, ac etiam in alijs locis consuetis, quod quilibet, qui prætendit se creditorem talis banniti, & condemnati teneatur infra dies triginta à die crida proximè sequentes comparere coram Potestate prædicto, vel eius Vicario, & dare in scriptis omne, & totum illud, quod se de iure habere prætendit à dicto tali bannito, seu condemnato super eius bonis, quo termino elapso non admittatur quisquam, nec aliqua iura, quæ quouismodo prætenderet se habere contra dictum talem bannitum, seu condemnatum, nec contra eius bona, quo etiam termino elapso, quod dictus Potestas teneatur, & debeat infra viginti dies à fine dicti termini inchoandos dare in solutum illis, quos inuenerit esse veros creditores, seruato tamen ordine prioritatis, & posterioritatis, & bonis dicti talis condemnati, vel banniti, vsque ad integram solutionem totius eius, quod de iure habere debuerunt in æstimationem duorum bonorum Virorum, per dictum Potestatem eligendorum, & quod residuum, si quid erit vltra satisfactionem creditorum prædictorum postmodum incorporetur Cameræ præfati Domini. Et saluo iure legitimæ ascendentium, & descendentium dictorum malefactorum, quod habituri forent de iure communi si ipse talis bannitus, seu condemnatus decessisset ab intestato, quæ quidem solutio valeat, & teneat ac si facta esset per debitores dictorum creditorum. Et quod prædictus Potestas teneatur prædicta omnia executioni mandare in terminis taxatis, sub pœna salarij sui vnius mensis totiens quotiens contrafecerit in præmissis. Quod quidem Statutū, prouisio, & ordinamentum locum habeat, & seruari, & practicari debeat in Ciuitate, & districtu nostris ibidem in futuris malefitijs, & condemnationibus de cætero committendis.

De pœna dicentis contra Statum Domini.

DOmi[n]us Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam decreti per nos nuper editi super facto obloquentium contra nos, & Statum nostrum vobis mittimus his inclusam, quare volumus, & vobis mandamus quatenus ipsum nostrum decretum proclamari, & obseruari faciatis inuiolabiliter, sub pœna indignationis nostræ, ac inseri in volumine Statutorum iurisdictionis per nos vobis commissæ. prout iacet ad litteram. Dat. Mediolani die quintodecimo Octobris MCCCLXXXV. & de receptione præsentium nobis rescribatis per latorem præsentium. Dat. vt supra. Gasparinus. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani. Cuius decreti tenor talis est.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes effrenatam temeritatem, & proteruam audaciam satagentium aliqua ex parte eorum obloqutionibus dominio nostro detrahere, seu loqui præsumentium contra, & aduersus datia, pedagia, & gabellas, vel alia regalia, aut iuratas nostræ, & Ciuitatum, ac Comitatum nostrarum Cameræ pertinentes, vt omnino conuenit, & refrenare sic, quod quispiam in huiusmodi oblocutionibus sese relaxare, & prorumpere temerè non attemptet. Et intendentes, quod nulla persona audeat, nec præsumat populum nominare, slz., quod Communitatem, & Commune solummodo debeant appellare sic, quod sub Communis, vel Cōmunitatis nomine, tā nobiles, quàm plebei veniant, nostro decreto, & ex certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis, edicimus, decernimus, & mandamus

Potestati

Potestati nostro ibidem, tàm præsenti, quàm futuris, quod quælibet persona cuiusuis status, & conditionis existat, quæ audeat, vel præsumat quicquam loqui contra nostrum dominium, vel dominij nostri conseruationem, & Statum, seu contra datia, pedagia, & gabellas, seu alias intratas nostræ, & Ciuitatum, & Comitatum nostrarum spectantium Cameræ, vt præfertur, siue quæ audeat populum modo aliquo nominare in iurisdictione per nos dicto nostro Potestati commissa, possit, & debeat puniri, & condemnari in hauere, & persona arbitrio dicti Potestatis, inspecta qualitate delicti, & verborum taliter prolatorum, & conditione similiter talium personarum, sic, quod ipsorum pœna cæteris transeat in exemplum. Et hoc summariè expeditè, omnique iuris, & Statutorum solemnitate, & dispositione omissis, & non obstantibus aliquibus legibus, Statutis, prouisionibus, ordinibus, & decretis huic nostro decreto obuiantibus quoquo modo, quibus in hac parte, in quantum obuiant, expressè, & ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. Mandantes hoc pro lege, & decreto nostro inuiolabiliter obseruari, & inseri in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani prædicti. Suprascriptum decretum cridatum, & proclamatum fuit per cridam die xvij. Octobris MCCCLXXXV.

Additio decreti causarum ciuilium.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam additionis per nos factæ decreto nostro emanato super ordinationibus causarum vobis mittimus his inclusam, volentes, & vobis mandantes quatenus hanc nostram additionem, & intentionem, prout ad litteram iacet, obseruetis, & faciatis cum effectu inuiolabiliter obseruari, ipsam inseri, & describi faciendo in volumine Statutorum, & decretorum Communis nostri Mediolani. Dat. Mediolani die duodecimo Nouembris MCCCLXXXV. Gasparinus. A tergo quarũ sigillatarũ sigillo præfati Domini continetur Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani, cuius additionis tenor sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia intelleximus in dubium reuocari vtrum quæstiones, causæ, vel controuersiæ commissæ tribus bonis Viris ante publicationem nostri noui decreti editi super ordine ciuilium causarum die secundo mensis Octobris, debeant de nouo inchoari, & in eis procedi secundum formam dicti nostri decreti, pro eo quia dictum decretum etiam se extendit ad quæstiones iam motas, volentes circa hoc intentionem nostram declarare, edicimus, decernimus, & mandamus, quod dictæ quæstiones iam commissæ tribus bonis Viris vt supra, cognoscantur, decidentur, & terminentur per illos, quibus commissæ sunt infra terminum sexaginta dierum vtilium, prout in primo decreto continetur. Ita tamen, quod ipsis talibus quæstionibus terminatis per dictos tres bonos Viros locum habeant remedia appellationum, & in ipsis talibus appellationibus procedatur, & seruetur in omnibus & per omnia prout in sæpedicto decreto latiùs continetur. Volumus insuper, decernimus, & mandamus ad parcendum laboribus, & expensis, & maxime inopum, & miserabilium personarum, quod omnes quæstiones vertentes, & quæ verti contigerit de cætero inter quascunque personas, si non transcendant vltra libras decem tertiolorum, possint, & debeant decidi, & terminari per Officiales ad quos spectat, & spectabit cognitio, & decisio, & hoc summariè, & de plano, & sine strepitu, & figura inditij, cessantibus friuolis exceptionibus & cauillationibus quibuscunque, sola veritate inspecta, absque eo, quod committantur secundum formam decreti nostri prædicti, nisi in quantum fuerit de partium voluntate.

Quod

Quod nullus possit capi in Ciuitate Laudæ, nisi in certis casibus.

NOS Galeaz Vicecomes, Comes Virtutum, Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Cupientes(fauente Deo,ad quem omnes referimus actus nostros) Subditorum nostrorum commodis quantò plus possimus prouidere, Harum tenore ex matura, certaque scientia edicimus, decernimus, & iubemus, quatenus in Ciuitate nostra Laudæ, vel eius districtu nemo possit pro aliquibus debitis priuatis personaliter detineri,& si quis detentus fuerit relaxetur, infrascriptis tamen casibus dũtaxat exceptis vlz.pro debitis Cameræ nostræ,& Communis nostri Laudæ,pro debitis, siue ex causis datiorum, & gabellarum, & pro debitis, & ex causis mercantiæ Mercatorum vlz. causis in Statutis mercatorum dictæ nostræ Ciuitatis Laudæ comprehensis, si qua Statuta sunt Mercatorum prædictorum, quæ hoc concernant, quibus omnibus per præsens decretum nostrum, nolumus in aliquo derogari; hoc tamen decretum nostrum volumus in volumine Statutorum dictæ nostræ Ciuitatis inseri, & pro lege municipali haberi,& de cætero inuiolabiliter obseruari,indignationem nostram si quis contrafecerit incursurus. Datum Mediolani die xxviij. Nouembris MCCCLXXXV. nona Indictione. Benacortus.

Decretum super delatione armorum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes intentionem nostram super armorum delatione per præsentes declarare,edicimus,decernimus,& mandamus, quod omnes, & singuli forenses, & aduenæ, tàm Nobiles, quàm Mercatores, ac etiam Viatores itinerantes per Terras, Territoria, & loca tuæ Iurisdictioni supposita possint, & eis liceat impunè, & liberè arma portare eundo ad vias suas. Sed volumus, quod quam citiùs ipsi applicuerint ad Ciuitatem nostram Cremonæ, vel ad aliam Terram fortem districtus nostræ Ciuitatis prædictæ, & fuerint hospitati ipsa arma deponant,nec in ipsis Ciuitate, & Terra nostris arma deferant quoquomodo. Volumus insuper, quod Ciues nostri eundo de dicta nostra Ciuitate ad aliquas Terras, vel Villas districtus eiusdem, vel de vna Terra ad aliam, aut de vna Ciuitate ad aliam possint,& eis liceat liberè, & impunè arma portare, scilicet spatam,& cultellam. Quæ tamen arma deponere teneantur cum intrauerint aliquam ex Ciuitatibus, vel Terris nostris fortibus, & applicuerint ad domos eorum,vel hospitia, nec per ipsas Ciuitates,vel Terras fortes aliqua arma deferant quoquomodo,habendo tamen aduertentiam in prædictis, quod sub prætextu prædicto aliqui malefactores,vel malæ conditionis,& famæ nullatenus capiant audaciam aliquam offendendi, nec quod eis præbeatur materia aliqua delinquendi. Relinquentes hoc discretioni, & arbitrio vestrum Potestatis, & Capitanei. Et hanc intentionem nostram volumus per te, & per cæteros nostros Officiales, tàm dictæ nostræ Ciuitatis, quàm eius districtus ad quos spectat inuiolabiliter obseruari,& publicè proclamari, & notitiam facere de prædictis Vicarijs, & Officialibus districtus nostri prædicti. Dat.Mediolani die vij. Decembris 1385.

Quod nullus vadat ad congregationes gentium, sine licentia.

QVod nullus Subditus iurisdictionis tuæ audeat,vel præsumat ad suasionem, vel requisitionem aliquorum Nobilium, seu alterius cuiuscunque personæ gentium coadunationes facere, nec ad aliquas, si quas per quempiam factas

factas sentiret se transferre palàm, vel occultè absque licentia nostra, seu Officialium nostrorum commissionem habentium à nobis super hoc, sub pœna æris, & personæ ad arbitrium nostrum. Has autem litteràs, quas per in posterum pro lege, & decreto nostro volumus inuiolabiliter obseruari in volumine Statutorum, & decretorum nostrorum nostræ Ciuitatis Cremonæ inseri, & registrari de verbo ad verbum facito sicut iacent. Dat. Placentiæ nono Ianuarij 1386.

Decretum contra Massarios, seu Colonos se transferentes de vna iurisdictione ad aliam iurisdictionem.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Exemplum decreti nostri per nos nuper editi super fraud bus Massariorum, qui fugitiuè se transferunt de iurisdictione ad iurisdictionem. Mittimus vobis præsentibus inclusũ, volentes, & vobis mandantes, quatenus ipsum nostrum decretum publicari statim faciatis per loca consueta, & describi in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani, ad perpetuam rei memoriam, illud pro lege municipali, & decreto nostro de cætero obseruando, & obseruari faciendo. Dat. Mediolani die quinto Februarij MCCCLXXXVI. Gasparinus. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani. Cuius decreti tenor talis est.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad obuiandum fraudibus eorum, qui possessiones, & bona immobilia, quod ad fictum, vel alio modo conduxerint, inhabitata reliquerint, & inculta, de iurisdictione ad iurisdictionem, cum bonis, & auxilijs per dominos suos eis impensis habitatum clàm se transferendo, præsentium tenore edicimus, decernimus, volumus, & mandamus, quod si quis Colonus, Partiarius, Massarius, Fictabilis, aut Molinarius, qui aliquas domos, terras, massaritia, possessiones, molendina, vel alia bona immobilia conduxerit ad massaritium, vel aliter ab aliqua persona, Communi, Collegio, vel Vniuersitate, & contingat ipsum talem colonum, fictabilem, partiarium, massarium, aut molinarium, eas domos, terras, massaritia, vel alia bona immobilia relinquere, & de iurisdictione illius Iusdicentis sub qua posita fuerint ipsa talia bona per eum conducta; vel aliter ad massaritium, vel ad fictum accepta discedere, vel aufugere, & alio habitatum ire non soluto, & non integrè satisfacto domino, cuius fuerint ipsa bona immobilia, teneatur, & debeat ille Iusdicens, vel Magistratus noster, in cuius iurisdictione contingat huiusmodi massarium, colonum, partiarium, molinarium aut fictabilem ire habitatum, eundem massarium, colonum, fictabilem, vel molinarium compellere realiter, & personaliter ad satisfaciendum domino suo prædicto de toto eo, quod eidem iuridicè dare debuerit: decreto nostro nuper edito, vt nulla persona pro aliquibus priuatis debitis possit detineri personaliter, aut aliquibus alijs decretis nostris, Statutis, prouisionibus, vel ordinamentis in contrarium editis nequaquam obstantibus.

Idem autem seruetur, & seruari volumus, & mandamus in omnibus, & per omnia prout supra, etiam si dictus fictabilis, massarius, partiarius, molinarius, aut colonus staret, aut stare, vel habitare contingat in ipsamet iurisdictione, in qua posita fuerint bona, quæ relinquerit cum aliqua persona, Communi, Communitate, Collegio, vel Vniuersitate non subdita, vel non subditis Iusdicenti, vel Magistratu illius iurisdictionis, & hoc decretum nostrum locum habeat, tàm in casibus præteritis, quàm præsentibus, & futuris.

Quod

Quod sacramentum præstitum in causa ciuili non possit dici falsum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus vobis præsentibus inclusam copiam decreti nostri per nos nuper editi super iuramentis deferendis in aliqua causa ciuili per aliquam partem alteri parti antè, vel post dationem libelli, antequam quæstio, lis, aut controuersia committatur tribus bonis viris secundum formam decreti nostri emanati per nos super ordine causarum abbreuiandarum &c. quare volumus, & mandamus vobis, quatenus de ipso nostro decreto per consueta loca publicas proclamationes fieri faciatis, ipsumque obseruari pro lege municipali, & decreto nostro, ac inseri faciatis in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani, ad perpetuam rei memoriam. Dat. Mediolani die quinto Februarij MCCCLXXXVI. Gasparinus. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Serie præsentium edicimus, decernimus, volumus, & mandamus, quod in qualibet causa ciuili, in qua aperte parti iusiurandum deferatur siuè antè, siuè post libellum antequam quæstio, lis, aut controuersia committatur tribus bonis viris teneatur pars illa, cui defertur sacramentum iurare ad terminum per Iusdicen. statuen. adiurandum, qui terminus non sit minor tribus diebus, vel ius iurandum referre, dum dictum sacramentum deferatur in facto proprio eius cui defertur, & stetur sacramento eius, cui defertur in omnibus, & per omnia, tàm super forma sacramenti, quàm super quibuslibet alijs dependentibus, vel facientibus ad negotium de quo quæritur, & in sacramento fit mentio, quo ad excludendum, vel differendum intentionem deferentis sacramentum, vt si ille cui delatum est sacramentum ipsum non præstiterit in dicto termino, habeatur pro relato ipso iure ipsi deferenti, quo casu sufficiat iurare de credulitate per eum, cui habetur pro relato, qui deferens sacramentum, & cui fuerit relatum, vel pro relato habitum vt supra iurare possit super ea forma infra similem terminum, quo primus iurare, vel referre debeat. Et si iurauerit ad dictum terminum, stetur eius sacramento, tàm pro se, quàm contra se. Et si non iurauerit vt supra, habeat illud sacramentum pro non delato, & pro non relato, nec possit post hæc dari forma sacramenti super his de quibus alias delatum fuerit sacramentum, & hoc decretum obseruetur, & obseruari debeat præcisè per quemlibet Iusdicen. non obstan. Statuto de sapien. dandis, nec aliqua alia exceptione, vel oppositione & quod præstito dicto sacramento, vt præmittitur, dictum sacramentum non possit dici falsum, vel non verum, nec alio modo irritari possit, nec præstans iuramentum prædictum possit accusari, nec velut de sacramento falso, vel non vero possit eius causa, vel occasione quoquomodo inquietari, nec molestari, scilz. in omnibus, & per omnia dictum tale sacramentum præstitum obseruetur, & habeat roboris firmitatem. Inquiram &c.

Decretum super Catijs Domini diuersarum partium.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Tenore præsentium edicimus, volumus, & mandamus, quod aliqua persona cuiusuis conditionis, & status existat, non audeat ire ad venandum, nec venari facere quouismodo in venationibus nostris prohibitis, viz., super Campanea Desij, Modoetiæ, & pertinentiarum. Catijs de Pandino, de Melegnano,

Melegnano, & de Sancto Angelo, cum Buschis de Valera, Campaneæ, & Buschis Papiæ existentibus in dicta Campanea Belreguardi, & de Cusago, sub pœna amissionis omnium suorum bonorum applicandorum Cameræ nostræ, saluis tamen bonis spectantibus de iure mulieribus occasione dotium suarum. Si enim essent filij alicuius, qui facerent contra præmissa, qui quidem non essent emancipati, non intendimus, quod pater ipsorum propterea prædat bona sua, slz. applicetur solummodo Cameræ nostræ pars legitima spectans filijs prædictis. Contentamur insuper, & volumus, quod quilibet accusans habeat quartam partem bonorum illius, qui accusatus fuerit, quæ veniret applicanda Cameræ nostræ, & vlterius secretus tenebitur. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Melegnani die xvj. Februarij MCCCLXXXVI. nona Indictione. Andreolus.

De pœna attemptantis corrumpere Offitiales Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cupientes malignantium reprimere voluntates, illorum potissimè, qui iuris laxatis habenis, cæteraque conscientia postergata, conantur corruptelis, & modis illicitis iustitiã maculare, necnon ausu temerario subripere iudicium veritatis, vt ea quæ postulant, & affectant, etiam si deuient à iuris tramite, firmiter consequantur, quod quidem extolerabile est, & pernitiosum exemplo, nobisque displicibile vehementer. Harum tenore ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis edicimus, decernimus, & mandamus, quod non sit aliqua persona cuiuscunque conditionis, & status existat, quæ audeat, vel præsumat, seu temptet quouis modo directè, vel indirectè per se, vel alium corrumpere aliquem, vel aliquos ex Consiliarijs, Vicarijs, Cancellarijs, Collateralibus, Referendarijs, Rationatoribus, Offitialibus, & Familiaribus nostris sub pœna cuilibet contrafacienti amittendi omnia sua iura, res, & bona pro quibus, seu quorum respectu, huiusmodi corruptelam facere, vel attemptare præsumpserit quoquomodo, volentes, & mandantes hoc pro lege, & decreto nostro inuiolabiliter obseruari, & in volumine aliorum nostrorum Statutorum, ac decretorum, & ordinamentorum Ciuitatis nostræ Mediolani inseri, & describi. Dat. Mediolani die viij. Martij MCCCLXXXVI. Antonius.

Quod nullus vadat ad conuersandum cum aliquo aduersario Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam cuiusdam decreti nostri per nos editi, quod nullus Subditus noster possit conuersari cum aliquibus ex aduersarijs nostris vobis mittimus præsentibus introclusam, volentes, & vobis mandantes, quatenus dictum nostrum decretum obseruetis, & faciatis inuiolabiliter obseruari pro lege municipali, & decreto nostro, ac in volumine Statutorum, & decretorum iurisdict. per nos vobis commissæ inseri, & describi, ad perpetuam rei memoriam. Dat. Mediolani die xiiij. Martij MCCCLXXXVI. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani. Gasparinus. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Animaduertentes non fore congruum, nec conueniens aliquos nostros Subditos conuocari, nec conuersare cum aduersarijs nostris, absque nostri licentia speciali. Idcircò intendentes circa hoc de opportuno remedio prouidere. Tenore præsentium ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, edicimus,

mus, decernimus, & mandamus, quod non sit aliqua persona de Ciuitatibus, Terris, seu Territorijs nostro Dominio suppositis cuiuscunque status, vel conditionis existat, quæ audeat, vel præsumat ire ad standum, morandum, vel conuersandum cum aliquo, vel aliquibus ex aduersarijs nostris, absque nostri licentia speciali sub pœna cuilibet contrafacienti amittendi omnia sua bona, quæ Cameræ nostræ, eo casu confiscentur, & applicentur. Volentes hoc pro decreto nostro per quoscunque Rectores, & Officiales nostros ad quos spectat, & spectabit temporibus successiuis debere inuiolabiliter obseruari, & executioni mandari, ac publicè proclamari in locis publicis, & consuetis Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, vt nemo possit prætendere ignorantiam de prædictis.

Quod sententiæ diffinitiuæ, & arbitramenta facta ante tempus decreti facti super causis ciuilibus executioni mandentur.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod decretum his inclusum publicari, ac effectualiter seruari faciatis ipsum inseri faciendo in volumine aliorum decretorum, & ordinamentorum Ciuitatis nostræ Mediolani. Datum Mediolani die xxiiij. Martij MCCCLXXXVI. Antonius signauit. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Audientes nonnullos fore, qui lites iam ante tempus nostri noui decreti editi super ordine ciuilium causarum sopitas, & fine debito per diffinitiuas sententias, & arbitramenta terminatas, iterum suscitare conantur, opponendo se contra ipsas sententias, & arbitramenta prædicta exceptiones friuolas, & cauillationes multiplices proponentes, & subterfugia quærentes, vt ipsarum sententiarum, & arbitramentorum prædictorum executiones impediant, & euitent, vtque lites, quæstiones, seu controuersias, quæ exinde faciant oriri committi faciant tribus bonis Viris subcolore, & prætextu nostri decreti prædicti quodam rationi, & æquitati non conuenit, nec est consonum nostræ menti, nam decretum nostrum prædictum editum ad effectum abbreuiandi lites, & eas celeriter finiendi nullatenus debet contrarium operari. Volumus itaque, ac ex certa scientia decernimus, edicimus, & mandamus, quod quælibet diffinitiua sententia, ante tempus dicti nostri decreti lata, quæ in vigorem rei iudicatæ transiuerunt, necnon quælibet arbitramenta legitimè facta antè tēpus prædictū, quæ illammet executionem mereantur, pariter executioni mandentur per quoscunque Iusdicentes ad quos spectat, vt merebantur, & prout executioni mandari debebant ante tempus dicti nostri decreti huiusmodi subterfugijs, necnon quibuscunque friuolis exceptionibus, & cauillationibus omnino reiectis. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostrique sigilli consueti munimine roborari. Dat. Mediolani die xvj. Martij MCCCLXXXVI.

Quod causæ proclamationum de venditionibus, & alienationibus rerum immobilium terminentur secundū formam Statutorum, & Ordinum illarū Ciuitatum, & Terrarum vbi erunt dictæ causæ.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam decreti nostri editi super quæstionibus motis, & mouendis occasione proclamationum fiendarum, vel factarum de venditionibus possessionum & bonorum immobilium, quorumcunque, vobis mittimus præsentibus intro-

clusam

clusam, volentes, & vobis mandantes quatenus dictum nostrum decretum pro lege municipali, & Statuto obseruetis, & faciatis inuiolabiliter obseruari, ac describi in volumine Statutorum, & decretorum Ciuitatis nostræ Mediolani, ad perpetuam rei memoriam. Datum Mediolani die xxviij. Martij MCCCLXXXVI. Gasparinus. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Tenore præsentium edicimus, decernimus, & mandamus, quod omnes, & singulæ causæ, lites, quæstiones, & controuersiæ, quæ vertuntur ad præsens, & verentur quomodolibet in futurum inter quascunque personas cuiusuis status, gradus, conditionis, vel dignitatis existat occasione, vel causa proclamationum factarum, vel fiendarum de venditionibus, & alienationibus domorum, sediminum, possessionum, & quorumcunque bonorum immobilium existentium in Ciuitatibus, & districtibus eorundem locis, & Terris nostræ Dominationi suppositis cognoscantur, decidantur, & terminentur secundum formam, & tenorem Statutorum, ordinamentorum, & prouisionum superinde factarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum. Itaut huiusmodi quæstiones, & controuersiæ ortæ & quæ de cætero orientur cognosci, decidi, & terminari debeant secundum formam decreti nostri editi super abbreuiatione ciuilium quæstionum, slz. modo, & forma, quibus supra. Mandantes ideò Potestatibus, Capitaneis, Vicarijs, & quibuscunque Officialibus nostris Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, quatenus hanc nostram intentionem, & decretum obseruent pro lege municipali, & Statuto, ac faciant inuiolabiliter obseruari, & describi in volumine Statutorum Ciuitatum, Terrarum, & locorum, quibus prosint ad perpetuam rei memoriam.

Decretum contra portantes arma, & quibus est concessum portare in Territoro, Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam decreti nostri per nos editi nuper super delatione armorum, mittimus vobis præsentibus insertum, volentes, & mandantes, quatenus prædictum nostrum decretum, prout ad litteram scriptum est obseruetis, & faciatis inuiolabiliter obseruari pro lege municipali, & decreto nostro, aliquibus nostris litteris in contrarium emanatis nequaquam obstantibus, ac inseri, & describi in volumine Statutorum, & Decretorum Communis nostri Mediolani, ad perpetuam rei memoriam. Dat. Mediolani die primo Aprilis MCCCLXXXVI. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti inserti talis est.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Quoniam ex delatione armorum, plerumque facinorosis præbetur occasio delinquendi hoc generali edicto decernimus, statuimus, & volumus, ac mandamus, quod non sit aliqua persona cuiusuis conditionis, & status existat, quæ audeat, vel præsumat sub nostro dominio in aliqua parte Territorij nobis suppositi arma portare de die, vel de nocte sub pœna amittendi arma, & soluendi floren. decem auri si de die arma portauerit. Si verò de nocte, floren. viginti applican. Cameræ nostræ, & statim irremissibiliter exigenda, si incidens in pœnam prædictam fuerit habilis ad soluendum, alioquin carceribus mancipetur, ibique maneat carceratus per menses duos continuos si de die arma portauerit. Si verò de nocte, per menses quatuor continuos, quibus elapsis relaxetur, & non antè. Exceptamus tamen à prædictis infrascriptos, sub conditionibus, modis, & ordinibus inferius limitatis, vlz.

Primò,

Primò, omnes illos, qui à nobis per litteras nostras licentiam habent, vel habebunt arma ferendi.

Item Offitiales, Stipendiarios, & familiares nostros, eorumq; Offitialium, & familiarium, famulos, commorantes cum eis in eadem familia ad vnum panem, & vinum.

Item familiares Reuerendi Patris Domini Archiepiscopi Mediolani cum ipso Domino Archiepiscopo commorantes in eadem familia ad vnum panem, & vinū. Similiter familiares aliorum Episcoporum aliarum Ciuitatum nostrarum cum ipsis commorantes in eadem familia, vt præfertur.

Item Offitiales datiorum Mediolani, & Comitatus necessarios ad datia exercenda, quos Referendarij in Mediolano duxerint eligendos, & quibus Collaterales nostri Mediolani licentiam concesserint arma ferendi pro eorum offitijs exercendis per eorum litteras, vel bullatinos eorum sigillis sigillatos, & non aliter.

Item Officiales aliorum datiorum aliarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum necessarios, quos Referendarij vna cum Potestate ipsarum Ciuitatum, & Terrarum vlz., quilibet in iurisdictione sibi commissa duxerint eligen., & quibus ipse Potestas licentiam concesserit arma ferendi per eius litteras, vel bullatina suo sigillo sigillatos, & non aliter.

Item forenses, & alienigenas, ac viatores ab aliquibus partibus ad nostra Territoria accedentes, vel per ea transitum facientes, quibus itinerando liceat arma portare, sed dum hospitati fuerint in aliqua Ciuitate, Castro, vel loco ipsa arma deponant. Saluo, quod Nobiles forenses, & Ambasciatores forenses, eorumque famuli postquam hospitati fuerint in dictis Ciuitatibus, Castris, vel Terris nostris possint arma portare liberè, & impunè.

Item Mercatores, ac Ciues Ciuitatum nostrarum, & Terrerios Terrarum nostrarum habentium merum, & mixtum Imperium, quibus eundo ad vias suas de vna Terra ad aliam pro eorum mercantijs, vel negotijs, liceat arma portare, vlz. spatam, & cutellam tantùm, dummodo ipsa arma deponant statim cum applicuerint, & hospitati fuerint in aliqua Ciuitate, Castro, vel vt supra. Mandantes vniuersis, & singulis Rectoribus, & Offitialibus nostris ad quos spectat, quatenus sub pœna nostræ indignationis huiusmodi decretum faciant publicè diuulgari, ac inuiolabiliter obseruari, & executioni mandari rigorosè, taliter, quod transgressores huius nostri decreti nullatenus transeant impuniti, necnon in voluminibus aliorum decretorum nostrorum, Statutorum, & Ordinamentorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum inseri, & describi. In quorum testimonium &c.

Quod compromissa possint fieri non obstante decreto ciuilium causarum.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Supplicauerunt nobis Vicarius, & XII. Prouisionum Communis nostri Mediolani, & quamplures alij nostri Ciues, vt cum contingat plerumq; quæstiones, lites, & controuersias exoriri inter patrem, & filium, inter fratres ad inuicem, inter coniunctos consanguinitate, vel affinitate, inter Mercatores, ac inter alias personas varijs, & diuersis causis, de quibus partes causa minuendi expensas, & eorum negotia secretiùs peragendi, ac iurgia, & litium dispendia euitandi libenter compromitterent, & compromissa facerent, quandoque de iure, & quandoque de iure, & de facto in vnum, vel plures arbitros, & arbitratores, & amicos communes, qui ipsas lites, quæstiones, & controuersias deciderent, & fine debito terminarent, quæ quidem facere nequeunt obstante decreto nostro edito super ordine ciuilium causarum, dignaremur in

prædictis

prædictis dispensare, & concedere, quod dicta compromissa fieri possint, vt præmittitur, & eorum vigore, lites, quæstiones, & controuersiæ antedictæ sedari, & debito fine terminari. Ipsorum itaque supplicationibus annuere cupientes, tenore præsentium, ex certa scientia edicimus, decernimus, & mandamus, quod si de cætero contingat oriri, vel sperari aliquas lites, causas, quæstiones, vel controuersias inter aliquas personas, Communia, Collegia, Vniuersitates, siue inter singulares personas, & Communia, Collegia, vel Vniuersitates, cuiuscunque conditionis, & status existant, & siue sint consanguinitate, & affinitate coniunctæ, siue non, possint, eisq; liceat, voluntate vtriusque partis concurrente compromittere, & compromissa facere de iure, & de facto, & de iure tantùm, vel de facto tantùm, prout concordes fuerint in vnum, vel plures arbitros, & arbitratores, & amicos communes, prout & quemadmodũ facere potuissent, & poterant ante tẽpus dicti nostri decreti. Quæ tamen compromissa non durent, nec se extendant vltra terminum quadraginta dierum vtilium à die acceptationis factæ per arbitros computandos, infra quem terminum arbitri, & arbitratores, vt præmittitur, eligendi, teneantur, & debeant suas sententias protulisse, eorumque arbitramenta fecisse, & eis commissa terminasse, sub pœna floren. centum pro quolibet omittente, & non terminante vtsupra, nostræ Cameræ applican., qui verò arbitri, si nolent ipsa compromissa acceptare, constringantur per Potestatẽ Mediolani ea acceptare, etiam per detentionem personarum, & vlterius incurrant pœnã floren. centũ prædictorum pro quolibet eorum soluendorum, nostræque Cameræ applicandorum, si ipsa non acceptauerint intra tres dies postquam facta fuerit ipsis notitia de prædictis. Quæ quidẽ sententiæ arbitramẽtales, & arbitramenta vigorem, & effectũ sententiæ diffinitiuæ obtineant. Possit tamen pars succumbens ab ipsis sententijs, & arbitramentis infrà quinque dies appellare in scriptis, & viua voce, & de nullitate agere, & locum habeant appellationes interponendæ per vtramque partem, & causæ appellationis, & nullitatis, ac in ipsis procedatur, & fiat in omnibus, & per omnia prout in dicto decreto nostro seriosiùs continetur. Itaquod terminum dicti decreti in ipsis causis appellationis, & nullitatis excedi non possit vllo modo, ipsoque nostro decreto in singulis eius partibus, & capitulis rato, & firmo manente, præterquam in his in quibus, vt præmittitur, est prouisum, cui quidem decreto in prouisis specialiter, vt præmittitur, dumtaxat, expressè, & ex certa scientia derogamus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xj. mensis Aprilis MCCCLXXXVI. Antonius signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati Vicario, & XII. Prouisionum Communis Mediolani.

Decretum contra capientes Columbos.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod decretum præsentibus introclusum publicè in locis consuetis publicari faciatis, vt ad notitiam quorumcunque peruenire possit, ipsum in volumine aliorum Staturorum, & Decretorum Communis nostri Mediolani inseri, & apponi faciendo. Dat. Mediolani die duodecimo Aprilis MCCCLXXXVI. Antonius. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Quoniam multiplices querimonias habuimus nonnullos fore, qui Columbos capere nituntur in graue damnum, & præiudicium Nobilium, & plurimorum Subditorum nostrorum habentium columbarias. Ea propter volentes pro

 indemnitate

indemnitate ipsorum nostrorum Subditorum in prædictis de opportuno remedio prouidere, & tales committentes debita pœna puniri, vt de cætero à prædicta captione totaliter abstineant. Tenore præsentium statuimus, decernimus, & mandamus, quod nulla persona Ciuitatis, & Comitatus nostrorum Mediolani, nec aliunde vndecunque sit, capiat, seu capere præsumat aliqualiter Columbos, sub pœna librarum vigintiquinque tertiol. pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafecerit, & vlterius reddat Columbos, & perdat retia. Et quilibet possit accusare, & habeat medietatem dictæ condemnationis, & alia medietas applicetur Communi nostro Mediolani, & detur plena fides habenti Columbaria cum sacramento, quodque ille, qui repertus fuerit cum retibus, & stalone possit condemnari, tamquam si repertus fuerit capere Columbos, vel cepisse. Quam pœnam contrafacientes soluere teneantur infra decem dies à die commissi delicti computandos, quo termino elapso, si non soluerint, dentur eis per Potestatem Mediolani botta tres curli. Mandantes expressè dicto Potestati nostro, quatenus hoc decretum nostrum sicut iacet ad litteram obseruet, & faciat inuiolabiliter obseruari, faciendo ipsum in volumine Statutorum, & Decretorum Communis nostri Mediolani inseri, & apponi, & pro lege municipali seruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xij. Aprilis MCCCLXXXVI.

Decretum contra facientes vnionem.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Decretum nostrum, quod condi fecimus super conspirationibus, & confœderationibus dissoluendis. Mittimus vobis præsentibus introclusum, volentes, & vobis mandantes, quatenus ipsum nostrum decretum, prout iacet ad litteram, vel contextum in Ciuitate nostra Mediolani, & Iurisdictione per nos vobis commissa obseruetis, & pro lege municipali faciatis inuiolabiliter obseruari, ac describi in volumine Statutorum, & Ordinamentorum Ciuitatis nostræ prædictæ, ad perpetuam rei memoriam. Datum Mediolani die xiiij. Aprilis MCCCLXXXVI. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Relatu fidedignorum percepimus, quod nonnulli Ciues, & Subditi nostri de libramine iustitiæ non confisi, sed potiùs eorum prauis cogitationibus inhærentes ligas, vniones, confœderationes, sectas, & conuenticulas, necnon coniurationes, & conspirationes diuersimodas ad inuicem facere procurarunt, & procurant, vt exindè præcipuè potentiores fiant, & ob hoc eorum aduersarios, & æmulos, ac etiam eisdem assistere non volentes opprimere possint, & faciliùs superare. Ex quibus suspiciones insurgere, pullulare inimicitias, & parcialitates crescere, quamplures dignoscuntur, multaque discrimina, & alia deteriora possunt faciliter euenire. Intendentes itaque futuris periculis prouidere, & obstare principijs minantibus tanta mala, ex certa scientia, & de nostræ potestatis plenitudine sancimus, decernimus, edicimus, & mandamus, quòd huiusmodi ligas, vniones, confœderationes, sectas, & conuenticulas, ac coniurationes, & conspirationes vniuersas quomodolibet, & cuiusuis maneriei nominis, vel tituli censeantur, aut nuncupentur hinc retro inchoatas, vel contractas quouismodo fore, & esse debere irritas, & inanes, nulliusque valoris, & momenti, easque improbamus velut illicitas, & inhonestas, & contra bonos mores celebratas, & factas. Mandantes expressè eas nullatenus obseruari debere,

scilicet

scilicet dissolui penitus, & infringi, ac reuocari per eos, qui eas fecerint, necnon de ipsis, earumque dissolutionibus notitiam nobis faciant infra mensem vnum à die publicationis præsentis decreti in antea computandum, sub pœna bisueris, & personarum cuilibet contrafacienti nostro arbitrio imponenda. Reuocantes verò, & notificantes, vt præfertur, pœnam pro aliquibus hinc retro factis de prædictis nullatenus patiantur; & quod etiam conscij ad prædicta similiter teneantur decernimus. Insuper statuimus, ac volumus, & mandamus, quod aliqui nostri Ciues, vel Subditi cuiuscumque conditionis, gradus, & status existant, nullatenus audeant, vel præsumant de cætero palàm, vel secretè, directè, vel indirectè, vel aliquo quæsito colore inire, contrahere, vel firmare, nec modo aliquo celebrare ad inuicem aliquam ligam, vnionem, confœderationem, sectam, vel conuenticulam, nec vllam coniurationem, vel conspirationem cuiusuis maneriei, & quocunque nomine, & titulo, vel vocabulo nuncupetur, sub pœna prædicta; quam etiam pœnam incurrant omnes, & singuli fautores, & participes, necnon præstantes auxilium, consilium, & fauorem in prædictis quouis modo, similique pœna puniri volumus, & mandamus quoscunque conscios, & ad quorum aures, & notitiam peruenerit aliquid ex præmissis fore commissum contra præsens nostrum decretum, nisi infra tertiam diem à die scientiæ computandam illud manifestauerint nobis, aut Officialibus nostris, sub quorum Iurisdictione fuerint constituti. Mandantes vniuersis, & singulis Rectoribus, Officialibus, Iusdicentibus nostris, cæterisque quibus spectat, quatenus sub pœna indignationis nostræ hanc nostram intentionem pro lege, & decreto nostris debeant inuiolabiliter obseruare, & executioni mandare, necnon publicè facere diuulgari, & in voluminibus aliorum Decretorum nostrorum, necnon Statutorum, & Ordinamentorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum inseri, & describi. In quorum &c.

De carceratis in scriptis mittendis Domino tribus vicibus in anno.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoniam tribus vicibus in anno, quibus ob reuerentiam festiuitatum Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, Sanctissimæ Resurrectionis eiusdem, & Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ eius Matris, disposuimus aliquales gratias Carceratis in carceribus Communis nostri Cremonæ existentibus iuxta facti qualitatem, & delictorum misericorditer impartiri, expedit tibi scribi, quod eorum nomina ad nostram Curiam transmittas. Decreuimus super prædictis hunc ordinem in quibuslibet Ciuitatibus, & Terris nostro dominio suppositis de cætero obseruari, videlicet, quod ante ipsas festiuitates per octo dies veraciter mittantur in scriptis ad prædictam Curiā nostrā nominā, & pronomina ipsorum carceratorum, cum causis propter quas carcerati fuere singulariter, & expressim, si habent patrem, vel non, & quanto tempore in ipsis carceribus permanserunt. Quapropter mandamus tibi quatenus à modo hunc ordinem obserues, faciasque inuiolabiliter obseruari. Iubemus has nostras litteras ad perpetuam rei memoriam registrari, & in volumine Statutorum Communis nostri Cremonæ, & Decretorum nostrorum inseri, & apponi. Datum Mediolani die xvij. Aprilis MCCCLXXXVI.

Cassatio melioramentorum monetæ.

MCCCLXXXVI. die Lunæ vltimo mensis Aprilis. Sapiens, & Egregius Dominus Ioannes de Capellis Illustris Principis, & Magnifici, ac Excelsi Domini Domini

mini Mediolani, Comitis Virtutum, Vicarius generalis Offitio prouisionum, & intratarum Communis Mediolani, de beneplacito Illustris Principis, & Magnifici Domini nostri Domini Mediolani, & Comitis Virtutum &c. æquitate pensata, & attento, quod bonæ monetæ currunt in dicta Ciuitate, & quod solutiones fiunt de bonis monetis, prouidere ordinauerunt, & reformauerunt, quòd de cætero solutiones quorumcunque debitorum hinc retro factorum fieri possint, absque additione alicuius melioramenti monetæ, & quod de cætero non habeatur ratio melioramenti monetæ; hoc tamen addito, quod non possit aliqua solutio fieri in imperialibus, inuito creditore vltra quantitatem lib. decem Imper. & præmissa locum habeant in contractibus præteritis, præsentibus, & futuris, & in quæstionibus pendentibus, & futuris.

Decretum, quod non liceat ab arbitramentis appellari, nisi prout continetur in Statutis.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Extinguere cupientes prolixitatum materias inter nonnullos ex Subditis nostris postulantes vtrum vlz. à sententijs fiendis per Arbitros, vel Arbitratores, seu amicabiles compositores per partes voluntariè, & amicabiliter assumptos, liceat appellari, iuxta formam decreti nostri editi super ordinibus causarum MCCCLXXXVI. xj. Aprilis, an non liceat appellari secundum formam, & tenorem dicti decreti, slz. solummodo circa dictorum arbitramentorum obseruatiōnē, vel infirmatiōnē debeant iura municipalia Ciuitatum, & Terrarum nostro dominio subiectarum, & ipsis deficientibus forma, & ordo iuris communis obseruari. Ea propter huiusmodi dubiū tollere volentes sancimus, decernimus, & mandamus, quatenus à sententijs, & arbitramentis fiendis per Arbitros, & Arbitratores, seu amicabiles compositores non liceat aliter appellari, prouocari, infringi, vel aliter contrairi, nisi eatenus quatenus, & eismodo, & forma, quibus concessum esse reperiatur à iuribus municipalibus illius Ciuitatis, Terræ, vel Iurisdictionis, in quibus, seu quorum Territorio ipsa præcepta, & arbitramenta facta fuerint, & in eorum defectum quatenus, & quomodo iura communia concedunt. Idemque seruetur in omnibus, & per omnia in sententijs, & arbitramentis latis ante tempus vltimi decreti per nos editi super ordine causarum, & publicati in Mediolano MCCCLXXXVI. die IV. Octobris, à quibus extiterit appellatum secundum formam, & tenorem dicti decreti editi MCCCLXXXVI. die xj. Aprilis decreto nostro de quo supra fit mentio, cui in hac parte ex certa scientia, & de nostræ potestatis plenitudine derogamus aliqualiter non obstante. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die primo Maij MCCCLXXXVI. decima Indictione.

Prouisio facta super melioramento monetarum.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Prouisionem, quam super melioramento monetæ fecistis, cuiusque exemplum mittimus vobis præsentibus inclusum, approbamus, ratificamus, & prout iacet ad litteram per omnia confirmamus. Datum Mediolani die nono Maij 1386. Gasparinus. A tergo Sapienti Viro Domino Vicario, & duodecim Prouisionum Ciuitatis nostræ Mediolani. Tenor sic sequitur.

MCCCLXXXVI. *die Lunæ vltimo Aprilis. Sapiens, & Egregius Dominus Ioannes*

Ioannes de Capellis Illustris Principis, & Magnifici, ac Excelsi Domini Domini Mediolani, Comitis Virtutum, Vicarius generalis Officio Prouisionum, & Intratarum Communis Mediolani specialiter deputatus, & Illustris Principis, & Magnifici Domini nostri Domini Mediolani, & Comitis Virtutum &c. aequitate pensata, & attento; quod bonae monetae currunt in dicta Ciuitate, & quod solutiones fiunt de bonis monetis, prouiderunt, ordinauerunt, & reformauerunt, quod de caetero solutiones quorumcunque debitorum hinc retro factorum fieri possint, absque additione alicuius melioramenti monetae, hoc tamen addito; quod non possit aliqua solutio fieri in Imperialibus, inuito creditore, vltra quantitatem librarum decem Imper., & praemissa locum habeant in contractibus praeteritis, praesentibus, & futuris, & in quaestionibus pendentibus, & futuris.

Declaratio Statuti pro mulieribus nuptis extra Iurisdictionem Mediolani.

MCCCLXXXVI. die xiiij. Maij, decima Indictione. In Camera Palatij Iustitiae, seu credentiae prouisionū Cōmunis Mediolani. Congregato ibidē Consilio Sapientis Legumdoctoris Domini Vicarij, ac Prudentum Virorum Dominorum duodecim prouisionum Communis Mediolani, & certorum Communis Mediolani numero xxvj. additorum dictis Dominis Vicario, & duodecim Illustris Principis, & Magnifici, & Excelsi Domini Mediolani &c. Comitis Virtutum, Imperialis Vicarij generalis pro infrascripto negotio peragendo, facto scrutinio inter ipsos D. Vicarium, & XII. antedictos virum Statutum Communis Mediolani disponens, quod mulier nupta extra iurisdictionem Domini Potestatis, & Communis Mediolani in bonis paternis succedere non possit, debeat ex toto aboleri pro meliori, attenta iuris communis dispositione, atque bona aequitate, vel moderari cum clausula continente, quod si contigat mulierem nuptam extra iurisdictionem dicti Domini Potestatis, & Communis Mediolani succedere in aliquibus bonis immobilibus positis in Iurisdictione praedicta, dicta mulier tenetur ipsa bona infra annum vendere alicui supposito dictae Iurisdictioni praedicti Domini Potestatis, & Communis Mediolani, & facta de praedictis inter eos diligenti discussione, factum fuit subsequens inter ipsos omnes partitum, quo facto, obtentum fuit pro maiori parte, quod pro euidenti vtilitate, & communi bono totius Ciuitatis Mediolani, & eius ciuium dictum Statutum nullatenus abolendum, neq; moderandum sit, immo in eius solita roboris firmitate permanere.

Quod forenses possint accipere in solutum de bonis eorum debitorum, sed quòd ipsa bona debeant vendere infra annum.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoniam persaepè contingit, quod aliqui ciues, & districtuales alicuius Ciuitatis nostrae sibi habentes ex ciuibus, & districtualibus alterius Ciuitatis nostrae aliquos obligatos diù priuati debitis suis manent, eo quia debitores non sint in pecunia soluendo faciliter, nec possint creditores accipere de debitorū bonis immobilibus in solutum, tanquam non Subditi iurisdictioni, de qua debitores existunt, hoc inhibentibus decretis nostris, ac Statutis; & alijs ordinamentis. Disposuimus de remedio prouidere, per quod ipsi nostri ciues, & districtuales ab eorum debitoribus citius satisfactionem consequi possint: Quo circa, tenore praesentium, ex certa scientia, volumus, statuimus, & mandamus,

mus, quod cuicunque ciui, & districtuali cuiusuis Ciuitatis nostræ liceat modo iuridico in solutum accipere de bonis immobilibus cuiuscunque debitoris, seu ciuis, & districtualis alicuius alterius Ciuitatis nostræ, vsque ad quantitatem crediti, & è conuerso possit debitor creditori eidem bona in solutum dare, vsque ad quantitatem debiti tutè, & impunè. Intendentes tamen, & volentes, quod ipse talis creditor, siue creditores, qui de prædictis bonis in solutum acceperit, seu acceperint, vt præfertur, teneatur, & debeat, siue teneantur, & debeant ipsa bona per eum, seu eos in solutum accepta infra annum vnum à die qua ipsa bona in solutum accepisset, seu accepissent in antea computandum vendidisse, & alienasse alicui ciui, seu districtuali illius Ciuitatis, in qua, vel super cuius Territorio situata essent bona prædicta, & hoc non obstantibus aliquibus Decretis, Statutis, Prouisionibus, & Ordinamentis in contrarium, quibus, quo ad præmissa, præsentium serie derogamus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Datum Mediolani die tertio Iulij MCCCLXXXVI. Indictione nona.

Qualiter concessum est creditoribus accipere in solutum de bonis debitorum suorum alienæ Iurisdictionis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cuiusdam decreti super bonis immobilibus accipiendis in solutum per creditores, ciues, & districtuales alicuius nostræ Ciuitatis à debitoribus, ciuibus, & districtualibus alicuius alterius nostræ Ciuitatis editi per nos nuper his insertum vobis copiam destinamus. Volentes, quod ipsum nostrum decretum in Ciuitate, & Comitatu nostris Mediolani, obseruetis, & inuiolabiliter obseruari faciatis. Idem in volumine aliorum nostrorum Decretorum, & Statutorum Ciuitatis prædictæ inseri, & registrari ad perpetuam rei memoriam faciendo. Dat. Mediolani die quarto Iulij MCCCLXXXVI. Iacobinus. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani præsenti, & futuris. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoniam persæpè contingit, quod aliqui Ciues, & districtuales alicuius Ciuitatis nostræ sibi habentes ex ciuibus, & districtualibus alterius Ciuitatis nostræ aliquos obligatos diù priuati debitis suis manent, eo quia debitoribus non sint in pecunia soluendi faciliter, nec possint creditores accipere de debitorum bonis immobilibus in solutum, tanquam non subditi Iurisdictioni, de qua debitores existunt, hoc inhibentibus Decretis nostris, ac Statutis, & alijs ordinamentis, disposuimus de remedio prouidere, per quod ipsi nostri Ciues, & districtuales ab eorum debitoribus citiùs satisfactionem consequi possint. Quocirca, tenore præsentium, ex certa scientia, volumus, statuimus, & mandamus, quod cuicunque ciui, & districtuali cuiusuis Ciuitatis nostræ liceat modo iuridico in solutum accipere de bonis immobilibus cuiuscunque debitoris, seu ciuis, & districtualis alicuius alterius Ciuitatis nostræ, vsq; ad quantitatem crediti, & è conuerso possit debitor creditori eidem bona in solutum dare, vsque ad quantitatem debiti tutè, & impunè. Intendentes tamen, & volentes, quod ipse talis creditor, siue creditores, qui de prædictis bonis in solutum acceperit, seu acceperint, vt præfertur, teneatur, & debeat, siue teneantur, & debeant ipsa bona per eum, seu eos in solutum accepta infra annum vnum à die qua ipsa bona in solutum accepisset, seu accepissent in antea computandum vendidisse, & alienasse alicui ciui, seu districtuali illius

Ciuitatis,

Ciuitatis, in qua, vel super cuius territorio situata essent bona prædicta. Et hoc non obstantibus aliquibus Decretis, Statutis, Prouisionibus, & Ordinamentis in contrarium, quibus, quo ad præmissa, præsentium serie derogamus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die tertio Iulij MCCCLXXXVI. Indictione nona.

Decretum de Blado non conducendo contra vetita.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod decretum nostrum præsentibus introclusum super vetitis Bladorum statìm per omnia loca solita, tàm Ciuitatis nostræ Mediolani, quàm districtus, & Episcopatus eiusdem, præconis voce, publicè diuulgari, & in volumine decretorum nostrorum inseri, ipsiusq; copiam clara, & legibili transcripta littera ad scalas, siue portas Palatij dictæ nostræ Ciuitatis, vnde nullus eam mouere præsumat, affigi (vt ad omnium vestræ suppositorum iurisdictioni pleniorem deducatur notitiã) faciatis, omnem apponentes diligentiam, & studium curiosum, vt ipsum nostrum decretum ad plenum, & inuiolabiliter obseruetur, indignationem nostram, si secùs factum fuerit incursuri, & de ipsius receptione nos per vestras confestìm reddatis certiores litteras. Dat. Mediolani die decimo octauo mensis Iulij MCCCLXXXVI. Gasparinus. A tergo. Egregio viro Domino Potestati, & Referendarijs nostris Mediolani.

Tenor decreti.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes prouidere ne in nostro Territorio valeat (quod absit) fames, seu carestia peruenire. Memorantes, quod aliàs multarum grauibus incommodis, & horrendis cladibus contigerunt. Tenore præsentium prouidemus, & tali lege nostra mandamus, quod nulla persona, tàm terrigena, quàm forensis cuiuscunq; status, sexus, gradus, & conditionis existat, audeat, vel præsumat de aliquibus Terris, vel Territorijs nostris, nec per aliquas Terras, aut Territoria nobis suppositas, vel supposita extra Dominium, & Territorium nostrum conducere, vel portare, aut conduci, vel portari facere, nec conducentibus, aut portantibus præbere auxilium, consiliũ, vel fauorem portandi aliquod furmentum, bladum, seu legumina alicuius maneriei, nec farinam, nisi cum litteris nostris sigillo nostro sigillatis, & bullatino nostro secreto munitis, sub pœna, & in pœna perdendi furmentum, bladum, legumina, seu farinam, quæ sic portarentur, aut conducerentur, necnon bestias, plaustra, naues, & qualibet instrumenta super quibus, & in quibus ipsa furmentum, bladum, legumina, seu farina portarentur, aut conducerentur, necnon sub pœna, & in pœna floren. decem pro quolibet modio Mediolanensi. Quorum omnium duæ partes applicentur Cameræ nostræ, & alia tertia pars perueniat in inuentores, seu denuntiatores, vel accusatores si probetur verum esse, quod in denunciatione, vel accusis continetur. Itẽ, quod de vno ex districtibus nostris, vel per vnum nostrum districtum ad alium nostrum districtum nemo cuiuscunque status, seu conditionis existat, audeat, vel præsumat portare, seu conducere, aut portari, vel conduci facere, nec portantibus, aut conducentibus præbere auxilium, consilium, vel fauorem portandi frumentum, legumina, seu bladum alicuius maneriei, aut farinam, nisi cum litteris nostris vt supra, sub pœna, & in pœna amittendi furmentum, legumina, seu bladum, aut farinam, quæ sic portarentur, aut conducerentur, necnon bestias, plaustra, naues, & quælibet instrumenta cum quibus, & super quibus portarentur prædicta, seu aliquod

prædictorum

prædictorum, sub pœna, & in pœna floren. quinque pro modio Mediolanense. Quorum omnium duæ partes applicentur vtsupra, & etiam tertia pars vtsupra. Item, quod de loco, seu Terra alicuius nostri districtus ad locum, seu Terram aliquàm eiusdem nostri districtus, nemo cuiuscunque conditionis, & status existat, audeat, vel præsumat conducere, vel portare, seu conduci, vel portari facere furmentum, legumina, bladum alicuius maneriei, seu farinam, sine licentia, & bulletino Potestatis, aut Vicarij illius Terræ, vel loci vnde portarent, vel conducerent, sub pœna, & in pœna perdendi furmentum, legumina, bladum, aut farinam, quæ sic conducerentur, necnon bestias, plaustra, naues, & instrumenta quæcunque super quibus, & cum quibus prædicta portarentur, & seu conducerentur; quorum omnium duæ partes vtsupra applicentur; & etiam tertia pars vtsupra; sit tamen licitum cuicunque deferre, conducere, seu portare volenti de loco, vel Terra subditis alicui Ciuitati ad ipsam Ciuitatem per iter rectum, & vsitatum, tàm per terram, quàm per aquam liberè, & impunè conducere, deferre, seu portare frumentum, seu legumina, bladum, ac farinam.

Item licitum sit Molendinarijs impunè portare, seu conducere ad molendina, in quibus macinant causa macinandi furmentum, ac bladum, ac à molendinis reportandi, seu reconducendi farinam macinatam, dum tamen portent de die, & per vias vsitatas, & de locis in quibus non sit suspicio manifesta de fraude, & de locis, in quibus, & de quibus sit verisimiliter eos macinare, & dummodò furmentum, & bladum vltra octo dies. computato tempore portationis, & deportationis tenere non possint, aliàs incurrant pœnas supra contentas, vt supra expressum est. Et idem seruetur in personis portantibus ad molendina, & reportantibus à molendinis ad domos habitationis suæ; intelligendo, quod possint portare ad molendina modium vnum pro persona, sine aliqua bulleta, & à modio vno supra ad mensuram Mediolanen. supra haberi debeat licentiam cū bulletino vno Potestatis, vel Vicarij, quem sibi concedere teneatur, absque vlla præstatione pecuniæ, seu alterius rei, & liberè.

Item, quod nulla persona, tàm terrigena, quàm forensis audeat, vel præsumat emere, vel acquirere quocunque titulo in districtu alicuius nostræ Ciuitatis, vel Terræ furmentum, bladum, legumina, vel farinam pro suo vsu, & suæ familiæ animo, & intentione incanepandi, nisi illud ducat, vel duci faciat intra Ciuitatem illam in cuius districtu emerit, vel acquisiuerit, aut intra Ciuitatem nostram Mediolani, vel Papiæ infra vnum mensem à die emptionis, vel acquisitionis computan. sub pœna perdendi dictum furmentum, bladum, legumina, vel farinam, & soldos centum Imper. pro quolibet modio Mediolanen., quæ pœna perueniat vtsupra, & quod quilibet taliter emens, vel acquirens vtsupra, vel qui de cætero emeret, vel acquireret teneatur, & debeat infra tertiam diem à die emptionis, vel acquisitionis computan. notificare, & in scriptis dare Potestati, vel Rectori Ciuitatis, aut Potestati, vel Vicario illius Terræ, in cuius Territorio dicta talis emptio, vel acquisitio facta fuerit totam illam quantitatem bladi, leguminum, vel farinæ emptæ, vel acquisitæ vtsupra cum die, & mense ipsius acquisitionis, seu emptionis, & nomen venditoris, & similiter teneatur in scriptis dare, & notificare vtsupra, quilibet qui hinc retro à duobus mensibus citra emisset, vel acquisisset vtsupra infra tertiam diem à die publicationis præsentis decreti computan., sub pœna perdendi ipsum bladum, & legumina, & farinam. Et quod dictus Potestas, vel Vicarius, cui prædicta notificata fuerint, teneatur illi describi facere in vno libro per Not. sui offitij sub pœna flor. decē auri pro qualibet vice qua omiserit, vel negligens fuerit in prædictis. Item, quod nemo forensis cuiuscunque conditionis, & status existat non habitans in territorio nostro audeat, vel præsu-

mat

mat emere, merceari, vel subtrahere, aut quocunque titulo, vel modo acquirere aliquam quantitatem bladi, leguminum, vel farinæ in aliqua parte territorij nostri, sub pœna amittendi dictum bladum, legumina, & farinam, & eius pretium, & sub pœna floren. vigintiquinque pro quolibet modio dicti bladi, leguminum, & farinæ taliter empti, vel acquisiti vt supra, quæ pœna applicetur vt supra, & vltra standi in carceribus per annum vnum.

Item, quod nemo cuiuscunque conditionis audeat, vel præsumat furmentum, bladum, legumina, seu farinam, quod, & quæ esset oneratum in naui, vel super plaustris, bestijs, vel alijs instrumentis emere, vel quocunque titulo acquirere, nec vendere, nec vendi facere, nisi super platea Communis illius nostræ Ciuitatis, vel Terræ ad quam conduci debuerit in pœna, & sub pœna perdendi furmentum, bladum, legumina, vel farinam, & soldos centum Imper. pro quolibet modio Mediolanen., quæ pœna perueniat vt supra, saluo quod reuenditores, & alij soliti incanepare bladum non possint emere, nec emi facere aliquod bladum etiam in platea ante horam nonæ, sub pœna prædicta, vt bonæ personæ possint per se, & eorum familijs habere bladum, & se fulcire blado.

Item, quod nemo cuiuscunque conditionis existat, præsumat intra, vel extra Ciuitatem, vel Terram emere, vel quocunque titulo acquirere de blado, seu furmento, quod per impositionem debetur conduci, seu portari intra Ciuitatem, vel Terram sub pœna perdendi furmentum, & bladum, & soldos centum Imper. pro quolibet modio Mediolanen., Immo Offitiales victualium teneantur scribere super quodam libro totum bladum hoc modo, vlz. de quo loco bladum conducitur, & quantitatem, & qualitatem ipsius bladi, & ad domum cuius gubernetur cum confessione semper illius, qui dictum bladum gubernare debet in domo sua. Quod quidem bladum impositionis vendi, nec emi possit, nisi transacto mense Octobris, sub pœna amissionis illius bladi, quod emeretur, seu venderetur.

Item, quod Molinarij existentes ad confinia territoriorum nostrorum teneantur, & debeant infra mensem in manibus illius Potestatis, siue Vicarij, super cuius iurisdictione erunt, seu sunt molendina sua, siue quæ tenent præstare securitatem de floren. quinquaginta pro quolibet Molendino existente ad confinia vts., quod non portabunt, nec portari facient bladum aliquod extra districtum illius nostræ Ciuitatis seu Terræ in quo præsens nostrū decretum publicatum fuerit, sub pœna amissionis bladi, & floren. decem pro quolibet modio, cuius quidem pœnæ duæ partes perueniant vt supra, & etiam tertia pars vt supra.

Item, quod quilibet possit accusare, & denuntiare quoslibet committentes contra formam præsentis nostri decreti, & quod accusatores, seu denuntiatores producantur coram Potestate, & Referendario illius nostræ Ciuitatis, vel Terræ in qua, vel cuius territorium aliquid commissum fuerit contra præsens nostrum decretum, & credatur accusatori, seu denuntiatori cum eius sacramento, & vno teste fidedigno, quodque prædicti Potestas, & Referendarius possint super prædictis, & quolibet prædictorum, ac teneantur, & debeant procedere summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iuditij, etiam iuris ordine non seruato, omnique solennitate omissa, & poni facere possint ad torturam quoslibet inculpatos de prædictis, vel aliquo prædictorum cum inditijs, & sine inditijs, inspecta qualitate facti, & conditione personarum, & repertos culpabiles punire, & condemnare secundum formam præsentis nostri decreti.

Item, quod præsens nostrum decretum obseruetur, aliquibus decretis, vel prouisionibus in cōtrariū factis nequaquam obstantibus. Decernentes insuper ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, præsens nostrum decretum vires, & effectum, ac plenam roboris firmitatem obtinere, & sortiri debere statim postquam

fuerit

fuerit publicatum ulla alia delatione legali nullatenus expectata. Cæterum declaramus, & volumus, quod non sit aliqua persona, quæ audeat, vel præsumat de aliquibus Terris, vel Territorijs nostris extra Territorium nostrum conducere, vel portare, aut conduci, vel portari facere bladum, seu legumina alicuius maneriei, nec etiam farinam, sub pœna furcarum, quo facto ipsam pœnam incurrat.

Item, quod quilibet de omnibus nostris Terris, & earum Territorijs possit conducere, & conduci facere ad Ciuitatem nostram Mediolani, excepto de Ciuitate nostra Papia, & eius Territorio, & ad dictam Ciuitatem nostram Papia, excepto de ipsa nostra Ciuitate Mediolani, & eius Territorio bladum, & legumina cuiuslibet maneriei impunè. Solutis tamen datijs, & pedagijs ordinatis, & seruatis ordinibus nostris vlz. quòd conducere volentes dicta blada, vel legumina ad ipsas nostras Ciuitates Mediolani, vel Papiæ teneantur, & debeant accipere licentiam ab illo Offitiale sub cuius iurisdictione dictum bladum, vel legumina leuabuntur, qui Offitiales dictam licentiam eisdem facere teneantur, absque solutione alicuius pecuniæ, & dictum bladum, vel legumina conducere per stratas rectas cum dicta licentia, & ipsa consignare cum fuerint Mediolani, vel Papiæ Potestati, vel illi Offitiali, qui ad hoc deputatus erit, ac etiam ab ipso Potestate, vel Offitiale accipere litteras de consignatione dicti bladi, vel leguminum, quæ littera eisdem fiant absque alicuius pecuniæ solutione, & quæ præsententur prædicto Offitiali sub cuius iurisdictione, vt præmittitur, dictum bladum, vel legumina leuabuntur, & qui dictam concesserit licentiam.

Quod Mercatores, & alij absentati possint repatriare, & quod condemnationes cancellentur, & quod repatriantes sint exempti ab oneribus, vsque ad certum tempus.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Pro parte Vicarij, & duodecim prouisionum Communis nostræ Ciuitatis Mediolani litteras admisimus cum eis tribus capitulis introscrtis, & cupientes, quod nostra Ciuitas Mediolani, ciuium, & incolarum concipiat augmentum, vt per consequens ei secundior status arrideat, prædictis Vicario, & duodecim, ac toti Communi nostro Mediolani liberaliter super dictarum litterarum, & capitulorum continentia duximus complacendum. Responsionesque nostras singulariter fecimus capitulis ipsis, prout in fine cuiuslibet eorundem, quorum, ac litterarum prædictarum tenores inferius describuntur est distinctè notatum. Litterarum forma talis est.

ILL. Princeps, ac Magnif. & Excelse Dñe. Quia scimus oculos Vestra clementiæ continuò peruigiles esse, & intentos circa suorum subditorũ amplificationem, & statum bonum, maxime Ciuium Vestrorũ Mediolani. Animaduertentes temporibus retroactis, quamplures Mercatores, Artistas, & bonos Ciues se absentasse à dicta vestra Ciuitate propter tantas intolerabiles grauitates tunc vigentes, quas sustinere ipsis erat impossibile, & qui tales multis artificijs, & ingenijs insigniti alienas patrias, & prouincias faciunt reflorere, capitula præsentibus inclusa duximus cũ omni humili reuerentia Dominationi Vestra Magnificæ reuelare, & proculdubiò, scientes eandẽ Celsitudinẽ affectare, quæ cedant ad vtilitatem memoratæ suæ Ciuitatis, & populi sui augmentationem, audemus supplicare, quod super continentia ipsorum capitulorum oculos apponentes solita piæ clementia, benignæ misericordia, dignemini dispensare, prout Dominatio Vestra melius duxerit prouidendum. Dat. Mediolani die xiij. Iunij MCCCLXXXVI. *fideles seruitores Vestri Vicarius, & duodecim prouisionum Communis Vestri Mediolani.*

Mediolani. A tergo Illustri Principi, ac Magnifico, & Excelso Domino Domino Mediolani &c. Comiti Virtutum, Imperiali Vicario generali. Capitulorum verò prædictorum, & remissionum nostrarum infertus est tenor vlz. Primo. Ad hoc, vt mercatores, artistæ, & Ciues Mediolani à Kalendis mensis Ianuarij anni cursi MCCCLXXXV. retro absentati causam habeant repatriandi, prouideatur; quod habeant spatium duorum annorum possendi tutè accedere, stare, & pro libito redire, absque eo, quod realiter, & personaliter aliqualiter valeant conueniri per quemuis pro aliquo debito publico, nec priuato facto cum creditoribus suis, si debitores sunt, & nihilominus post dictos annos duos non possint conueniri personaliter sl3 tantum realiter. Responsio nostra. Prædicti capituli continentia nobis placet, & contenti sumus; quod debeat locum habere, vsque ad illam clausulam, & nihilominus, quam clausulam tolent. Volumus itaque quod absentati, qui redibunt, elapsis annis duobus à die, qua redierint sint, & remaneant in illis statu, & gradu quantum ad factum debitorum publicorum, & priuatorum, in quibus erant alij ciues, & mercatores nostri Mediolani. Secundo. Si aliqui ipsorum in pecunia pro maleficio condemnati debitores dicerentur, quod ipsæ omnes condemnationes prædictæ cancellentur. Responsio nostra. Sumus contenti, ac volumus, quod condemnationes prædictæ cancellentur omnino, dummodo condemnati pacem habeant cum offensis, vel proximioribus parentibus offensorum, dictis offensis non extantibus, & condemnationes ipsæ non sint executæ. Id est, quod bona condemnatorum non sint apprehensa. Tertiò. Quod tales ciues redeuntes, per annos decem ab oneribus realibus, & personalibus reddantur exempti. Responsio nostra. Placet nobis, & volumus, quod prædicti ciues repatriantes esse debeant immunes, & exempti per annos quinque, dumtaxat à die eorum reditus computan. ab omnibus oneribus realibus, & personalibus (pedagijs, & datijs ordinarijs exceptatis). Mandantes Domino Potestati nostro Mediolani, ac quibuscunque alijs nostris, & dicti Communis Officialibus præsentibus, & futuris ad quos spectat, vel spectare quoquomodo poterit in futurum, quatenus antedictas responsiones nostras prout iacent, obseruent inuiolabiliter, & faciant obseruari. Nolumus propterea, nec nostræ intentionis existit, quod vigore præsentium Mercatores, qui fugerunt, & condemnati sunt pro maleficio, & fuga repatriare possint, quia redundaret minus magnum damnum Mercatoribus, nam si concederetur prædictis Mercatoribus, quod pro maleficio, & fuga condemnati sunt, & fugerunt, quod repatriare possint, malum præberetur exemplum alijs mercatoribus, pro maleficio, & fuga se absentare cum ære alieno, sub spe repatriare possendi.

Hanc autem litterarum nostrarum paginam ad comitatiuos, quemadmodum ad ciues nostros Mediolani, ita extendi volumus, & præsentium tenore iubemus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xxvij. Iulij MCCCLXXXVI. nona Indictione. Iacobinus signauit.

Quod non recipiatur probatio contra personas vulneratas decedentes, sed processus remittatur Domino.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Duorum nostrorum decretorum copias per quorum alterum mandamus, quòd postquam aliquæ percussæ, seu vulneratæ personæ ex percussionibus, seu vulneribus sunt defunctæ, ad absolutionem percussorum, seu vulneratorum, nec ad aliam, præterquam vltimi supplitij condemnationem faciendam de eis procedi non possit; per alterum verò quòd remitti non possint condemnationes,

siue

siue pœnæ debentes in terrarum nostrarum communia peruenire sine nostri licentia speciali, tibi mittimus his inclusas, volentes, quod effectualiter ipsa nostra decreta seruando, eadem in volumine aliorum nostrorum decretorum, & Statutorum Ciuitatis nostræ Mediolani inseri facias, & registrari. Dat. Mediolani die vltimo Iulij Millesimo trecentesimo octuagesimo sexto. Iacobinus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani præsenti, & futuris.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cum persępe contingat, quod aliqui vulnerant, seu percutiunt personas, & post dicta vulnera, seu percussiones dictæ vulneratæ, seu percussæ personæ sępè decedunt. Nobisque intelligi datum sit, quod inferentes huiusmodi vulnera, seu percussiones Medicos plerumque, aliasque personas in testes adducunt ex quibus probare satagunt, immo quandoque probant, quod quamquam ipsæ tales personæ vulneratæ, vel percussæ ex ipsis vulneribus, vel percussionibus migrauerint, alia sunt, quàm causa dictorum vulnerum, vel percussionum defunctæ, sic pœnam vitare debitam satagentes. Quamobrem Potestates, & Rectores nostri pœnas vltimi supplitij, quibus percussores, & sauciatores prædicti puniendi exinde venirent, in condemnationes pecuniarias, vel condemnationes alias sæpè vertunt; ad hoc, vt cuicunque secundum sua merita, & demerita iustitiæ debitum ministretur, & vt similibus subdolis, & iniustis probationibus obuietur, & vt delicta impunita non remaneant, nec inulta, immo pœna debita puniantur. Cupientes super hoc, prout iuri, & iustitiæ, nostroque honori conuenit prouidere. Præsentium serie volumus, iubemus, statuimus, ac mandamus, quod nullus Potestas, Capitaneus, Vicarius, & Rector, nec Officialis alicuius nostræ Ciuitatis, vel Terræ postquam vulneratæ personæ, seu percussæ decesserint possit, nec debeat, sub aliquo prætextu, vel colore ad absolutionem percussorum, vel vulneratorum, nec ad vllam condemnationem pecuniariam, vel aliam condemnationem, præterquam vltimi supplitij de eis faciendam procedere, donec superinde nobis notitiam fecerit, & processum nobis in scriptis ordinatè transmiserit, & nos sibi nostrum intentum duxerimus declarandum. Mandantes quibuscunque Potestatibus, Capitaneis, Vicarijs, Rectoribus, & Officialibus nostris præsentibus, & futuris, quatenus sub pœna indignationis nostræ præsens nostrum decretum inuiolabiliter obseruent, illudq; in volumine aliorum Statutorum, & decretorum nostrorum faciant registrari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die vltimo Iulij MCCCLXXXVI., nona Indict.

Quod certæ condemnationes non possint remitti, absque licentia.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Vt hij, qui pro malè actis, & sceleste commissis condemnati sunt, eò maiùs argumentum asumant, & alijs præstent manus suas ab illicitis, & enormibus retrahendi, quo difficiliorem in condemnationum remissionibus viam cernent. Harum serie volumus, statuimus, decernimus, & iubemus, quod aliquæ condemnationes, siue pœnæ, quæ in Communia Terrarum nostrarum ex quacunque causa peruenire debeant, absque nostri speciali mandato remitti non possint. Mandantes expressè quibuscunque Potestatibus, Vicarijs, Rectoribus, & Officialibus nostris præsentibus, & futuris, quatenus huiusmodi nostrum decretum inuiolabiliter obseruent, illudq; in volumine aliorum nostrorum decretorum faciant registrari. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die vltimo Iulij MCCCLXXXVI., nona Indictione.

De

De pœna impetrantium beneficia, absque licentia Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Aliàs per Ciuitates, & Terras nostras per modum decreti scripsisse recolimus, quod nulla persona super Territorio nostro moram trahens deberet, absq; nostri conscientia, vel licentia, dignitatem, vel beneficium aliquod impetrare, nunc autem sentientes, quòd, dicto nostro decreto nequaquam obstante, nonnullæ, ac variæ personæ beneficia, & dignitates impetrant vlla à nobis licentia non obtenta, volumus, & tibi mandamus, quatenus proclamationes aliàs super hoc emanatas iterari facias, & quòd talem circa huiusmodi decretum nostrum diligentiam habeas, quòd nullus ad possessionem alicuius dignitatis, seu beneficij, quam, seu quod absque nostri licentia impetrare præsumpserit admittatur, quodq; præsumptuosos huiusmodi impetratores, & beneficia per ipsos impetrata nobis properè intimes, eosdem impetratores faciens personaliter detinere, nõ relaxandos, absque nostra licentia speciali. Dat. Mediolani die tertio Augusti MCCCLXXXVI. Iacobinus signauit. A tergo Egregio Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

De Ciuibus eligendis ad essendum cum Syndicatoribus.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. In certis capitulis exhibitis nobis pro parte Communis nostri Cremonæ erat capitulum vnum continentiæ subsequentis vlz. Primò supplicatur præfato Domino, quod dignetur decernere, & mandare, quod Ciues duo, vel tres Ciuitatis Cremonæ adsint cum Syndicatoribus, qui mittuntur ad Syndicandũ Officiales dictæ Ciuitatis, secundum quod à tempore dominij obtenti de Ciuitate Cremonæ prædicta retrofieri consueuit, & quod dicti Syndicatores dimittant in forma autentica processus absolutionum, & condemnationum Syndicatuum prædictorum, vt copia haberi possit per illos ad quos spectabit, vt æquum est. Nam vsque modo dicti Syndicatores omiserunt relaxare in dicta Ciuitate condemnationes Syndicatuum ipsorum, quod cessit, & cedit in graue damnum personarum ad quas spectauerunt. Quæ personæ pro maiori parte disponunt potius perdere sui debitum, quam sequi Syndicatores Mediolanum, vel Papiam, & alibi hinc inde pro eorum debito consequendo. Et sic Officiales de eorum malè gestis transeunt impuniti, quod non creditur fore de intentione Dominationis prælibatæ. Quocirca, serie præsentium, concedimus Ciuibus memoratæ Ciuitatis nostræ Cremonæ, quatenus constituere possint, & eligere dum contigerit per successiua tempora tres Ciues, qui ad hoc sufficientes, & idonei videantur eisdem vlz. vnum pro qualibet squadra trium squadrarum, qui electi possint cum Syndicatoribus nostris esse ad audiendum, & examinandum quicquid fuerit expediens circa Syndicatus fiendos in ipsa Ciuitate per Syndicatores prædictos. Ita tamen, quod non nominentur, nec nominari debeant in inquisitionibus, processibus, & sententijs fiendis per Syndicatores prædictos. Immo ijdem Sindicatores inquisitiones, & processus faciant sub suo nomine tantùm, ferantque sententias condemnatorias, vel absolutorias sub dicto eorum nomine, & non sub nomine ipsorum trium, vt præmittitur electorum, quemadmodum iuri, & honori nostro eis Syndicatoribus videbitur conuenire. Decernendo, & mandando, quod Syndicatores prædicti teneantur, & debeant dimittere in forma autentica processus, seu sententias, vel absolutiones per eos fiendas modo quo supra Cremonensibus ciuibus ante-

K dictis,

dictis, dum tamen ipsi ciues eligendi de absoluendo, vel condemnando se non intromittant, nec bailiam habeant aliquam. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli impressione muniri. Datum Mediolani die secundo Septembris MCCCLXXXVI., xv. Indictione.

Quod habentes ius super bonis, quæ tenentur per Cameram, seu per Commania, compareant, & dent in scriptis infra certum tempus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod in iurisdictione per nos tibi commissa publicè facias proclamari, & diuulgari decretum, quod tibi mittimus præsentibus introclusum, sic quod ad omnem dictæ tuæ iurisdictionis notitiam valeat peruenire. Dat. Mediolani die tertio Septembris MCCCLXXXVI. Comolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Tenore præsentium ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, volumus, edicimus, decernimus, & mandamus, quod si est aliqua persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas cuiusuis status, conditionis, vel preheminentiæ existat, volens dicere se habere, aut habens, vel habere prætendens aliquod dominium, vel quasi, siue ius hypothecæ, vel aliud ius quocunque nomine censeatur in, aut super aliquibus bonis, vel rebus immobilibus, quæ teneantur, seu tenta sint per Cameram nostram, seu nostro nomine, seu per aliquam aliam personam habentem datum, vel causam à nobis, vel à Camera nostra, teneatur, & debeat comparere, & compareat infra tres menses continuos proximè futuros à die publicationis præsentis decreti in antea computandos, si præsens fuerit vlz. in Territorio nostræ Dominationi supposito, si vero absens fuerit extra Territorium nostrum, aut mulier vidua, pupillus minor viginti annis, vel alia persona sub alterius cura existens, vel indigens curatore, tunc teneatur, & debeat comparere, & compareat infra sex menses continuos à die præsentis decreti in antea computandos coram Commissarijs nostris super restitutionibus deputatis, seu deputandis, & ibidem coram eis teneatur, & debeat dare in scriptis ius quod habet, vel habere prætendit in, aut super ipsis bonis, vel rebus. Notum cuilibet facientes, quod si infra terminos prædictos præsentibus, & absentibus, & alijs, vt præmittitur præfixos singula singulis congruè referendo non comparuerint, & in scriptis non dederint vtsupra, ipsi tali non comparenti, & in scriptis non danti, vt præfertur, nulla deinceps audientia præbebitur, & eidem silentium perpetuum imponetur, decernentes ex nunc, prout ex tunc ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis etiam absolutè ipsos non comparentes, & in scriptis non dantes vtsupra nullum ius habere, nec prætendere posse in, & super bonis, & rebus prædictis. Si verò aliqua persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas infra dictos terminos singula singulis congruè referendo comparuerit, & in scriptis dederit, vt prædictum est. Teneatur, & debeat talis comparens, & in scriptis dans vtsupra, ostendisse, probasse, & docuisse per omne genus probationum de omni suo iure coram dictis Commissarijs infra duos menses post dictos primos immediatè sequentes, & continuos, quo termino elapso aliquæ probationes qualesuis fuerint nullatenus admittantur, nec admitti possint quouismodo, ad ipsas tamen probationes audiendas, necnon ad totum processum proinde fiendum citari volumus, & requiri Officiales nostros, vel aliquem eorum super nostris possessionibus deputatos, qui iura nostra, & Cameræ

mere nostræ legitimè defendant, & allegent, & allegari faciant prout fuerit opportunum; hoc enim decernimus, & pro lege, ac decreto nostro intendimus inuiolabiliter obseruari, ne huiusmodi causæ restitutionis in infinitum extendantur, & vt ius suum vnicuique tribuatur. In quorum &c.

Additio facta decreto de portatione armorum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quandam additionem per modum decreti, quam fecimus nostro decreto super armorum delatione aliàs ordinato tibi mittimus introclusam, volentes, quod ipsam additionem obserues sicut iacet, facien. eandem in aliorum nostrorum decretorum volumine, & post dictum aliud nostrum decretum super portatione armorum editum registrari; faciendo prædictam additionem per totam iurisdictionem tuam publicè diuulgari. Dat. Mediolani xxiiij. Septembris MCCCLXXXVI. Iacobinus signauit.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis: Recolentes in decreto nostro edito super delatione armorum de mense Aprilis proxime præterito insertum fore quoddam capitulum continentiæ subsequentis, vlz.

Item, quod Mercatores, ac Ciues Ciuitatum nostrarū ac terrerios Terrarum nostrarum habentium merum, & mixtum Imperium; quibus eundo ad vias suas de vna Terra ad aliam pro eorum mercimonijs, vel negotijs liceat arma portare, vlz. spatam, & cutellam tantùm, dummodo ipsa arma deponant statim cum applicuerint, & hospitati fuerint in aliqua Ciuitate, Castro, vel vt supra.

Circa cuius capituli intellectum, per nonnullos audiuimus dubitari, præcipuè an Rusticis, & Agricolis, ipsius capituli vigore, liceat arma portare, eundo ad campos, prata, pascua, vineas, vel nemora, aut in eis agriculturæ causa, vel aliter persistendo, & licet sanè intelligentibus capitulum prædictum satis clarè disponat in prædictis. Nihilominus huiusmodi dubia clariùs tollere cupientes, edicimus, decernimus, & mandamus, quòd personis illis, & in casibus illis, de quibus in dicto capitulo fit mentio, dumtaxat, & non alijs, nec aliter ipsius capituli vigore liceat arma portare, prout in capitulo ipso continetur. Rusticis verò, & Agricolis eundo ad campos, prata, pascua, vineas, vel nemora, aut in eis aliqualiter persistendo non liceat arma ferre quoquomodo; saluo quod instrumenta ferrea apta illis operationibus, quas facere voluerint, eundo vt supra, portare possint, & non alia arma, nec aliter.

Concedentes insuper quibuscunque Rectoribus, & Officialibus nostris merum, & mixtum Imperium habentibus, eisdemque mandamus quatenus si cognouerint aliquos in iurisdictione sibi commissa, qui reputentur homines malæ conditionis, & famæ, & maximè rixosos, vel solitos maleficia perpetrare possint, & debeant ipsis talibus penitùs inhibere ne arma ferre possint vllomodo etiam in casibus præmissis ex forma dicti nostri decreti, sub pœnis in ipso decreto contentis. Volentes, & mandantes Consulibus Terrarum, & Villarum, quatenus quoscunque habitatores Terrarum, & Villarum, quarum Consules erunt arma ferentes contra formam dicti nostri decreti in Terris, vel Villis, vel eorum Territorijs, in quibus Consules erunt, teneantur, & debeant infra octauam diem denuntiare, & notificare Potestati, Rectori, seu Officiali, ad quem spectat, seu spectabit cognitio de prædictis, sub pœna librarum decem tertiol. cuilibet Consuli omittenti denuntiare & notificare vt supra, inhibentes quoque, ac prohibentes expressè quibuscunque Potestatibus, Capitaneis, Vicarijs, & Officialibus nostris, quod nullatenus

audeant, nec præsumant, nec etiam possint alicui cuiusuis conditionis, & status existat licentiam concedere arma ferendi contra formam dicti nostri decreti, nec super ipso aliqualiter dispensare, & si quæ licentiæ per dictos Officiales nostros, vel eorum aliquē cuiusuis concessæ reperirentur vt supra, eas cassamus, & totaliter annullamus, & pro cassis, & nullis haberi decernimus, & mandamus. Præterea ne ex libertate vni data, reliqui opprimi possint, edicimus, & iubemus, quod si quis ex illis, quibus vigore dicti nostri decreti permittitur arma portare aliquem aggressus fuerit, vel offenderit ex ijs, quibus armorum delatio totaliter inhibetur, ille talis non solùm puniatur pœna limitata in Statutis Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, vt hactenus quando cunctis licebat arma deferre, sed inspecta personarum conditione ipsorum locorum vltra pœnam Statuti veniat arbitrio Potestatis, vel Rectoris, in cuius iurisdictione tale quid omissum fuerit pœna arbitraria puniendus. In quorum &c.

De ordine seruando circa Officium bulletarum.

NOS Dominus Mediolani &c. Virtutum Comes, Imperialis Vicarius generalis. Certum ordinem editum super Officio bulletarum nostræ Ciuitatis Mediolani, mittimus vobis præsentibus introclusum, volentes, quod tu Potestas facias dictum ordinem, prout iacet ad litteram in locis publicis, & consuetis, tuæque iurisdict. suppositis publicè diuulgari, sic quod ad omnem notitiam valeat peruenire, vobis autem Officialibus nostris bulletarum damus semper secretius in mandatis, quod ipsum ordinem ad contestum, prout sonat littera de cætero inuiolabiliter obseruetis. Dat. Mediolani die xxvj. Septembris MCCCLXXXVI. Gasparinus. A tergo Egregio Viro Potestati, & Officialibus nostris bulletarum Mediolani.

Ordo bulletarum Mediolani seruandus.

IN primis, quod nulla persona cuiuscunque status, & cōditionis existat morā trahens in Ciuitate, vel Suburbijs Mediolani supposita Dominationi Illustris Principis, & Magnifici Domini Domini Comitis Virtutum &c. audeat, vel præsumat aliquem, seu aliquas litteras, seu breuia, vel scripturas destinare ad aliquas alias partes extra Territorium præfati Illustris, & Magnifici Domini nostri Comitis Virtutum, nisi prima fuerint marcata, & bullatæ marco, & bullo Officij bulletarum Mediolani, sub pœna floren. vigintiquinque applicandorum Cameræ præfati Domini, & plus, & minus inspecta facti, & conditione personæ. In quam quidem pœnam possint, & debeant, sicut superius continetur Potestas, & Officialis bulletarum Mediolani condemnare contrafacientes tàm huic capitulo, quàm alijs capitulis infrascriptis, seu alteri ipsorum capitulorum, & teneatur dictus Officialis bulletarum notificare Domino Potestati ipsos tales huic ordinationi contrafacientes.

Item, quod nulla persona cuiuscunque conditionis, & status existat habitans in Ciuitate Mediolani audeat, vel præsumat recipere ab aliqua persona, siue sit ciuis, siue sit forensis aliquas litteras, seu litterā, vel breuia, & scripturas, quæ dirigātur, vel portatæ sint ab aliquibus partibus non suppositis præfato Domino nostro, nisi ipsa littera, seu litteræ, vel breuia fuerint bullatæ, & marcatæ, & bullata, & marcata marco, & bullo prædictis, sub pœna suprascripta totiens quotiens contrafecerint.

Item, quod nulla persona cuiuscunque conditionis, & status existat, audeat, vel

præsumat

præsumat portare, seu portari facere aliquam litteram, seu litteras, vel breuia, & scripturas in ipsam Ciuitatem, nisi ipsam litteram, seu litteras, vel breuia primo præsentauerit prædicto Officiali, seu Officialibus suis antequam ipsam, seu ipsas dederit, seu ostendiderit alicui alij personæ sub suprascripta pœna totiens quotiens contrafecerit &c. non obstante, quod ad alias Ciuitates, & Terras fuerint bullatæ, & marcatæ; teneatur tamen Officialis ipsas tales litteras, vel scripturas bullatas, siue marcatas in aliqua ex Terris præfati Domini restituere nuntio ipsas deferenti, absque eo, quod ipsas aperiat, saluo quod in omni casu suspicionis ipsas aperire possit, prout suæ discretioni videbitur.

Item, quod nullus terrigena, vel forensis, vel aliqua alia persona habitans in Ciuitate Mediolani, vel suburbijs Mediolani, quoquo modo audeat, vel præsumat exire è Diœcesi ipsius Ciuitatis, absque licentia, & bulleta dicti Officialis, sub pœna prædicta, & quod nulla persona cuiuscunque conditionis, & status existat, audeat, vel præsumat accipere aliquam bulletam fraudolosam pro aliqua persona, nec sub alio nomine, quam sub proprio nomine illius per quam ipsam accipere, debuerit, & pro illamet persona, & quod nulla persona mittat, nec mittere debeat ad accipiendum aliquam bulletam per se fraudolosam, & quod nulla persona audeat recedere de Diœcesi Mediolani prædicta cum bulleta aliqua, & licentia, quæ non sit data sibi sub suo proprio nomine per Officialem prædictum, vel alium Officialem, sub pœna prædicta floren. vigintiquinque, & plus, & minus, vel aliter, secundum, quod videbitur dictis Potestati, & Officiali bulletarum Mediolani.

Item, quod omnes, & singuli ciues habitantes in Ciuitate Mediolani non audeant, nec præsumant modo aliquo, vel ingenio hospitare in eorum domibus, vel hospitationibus aliquos forenses, nisi prius præsentati fuerint ad bulletas, & acceperint bulletinum hospitandi in hospitio, vel ad domum alicuius alterius personæ, sub pœna prædicta totiens quotiens contrafecerit, quam bulletam dictus Officialis dare teneatur, & debeat eisdem iuramento beneplacitum suum cum nomine, & cognomine eorum, & vnde venit, & quo vadit, & intelligatur esse forensis quælibet persona forasteria, quæ non sit de Ciuitate Mediolani, vel de Corporibus Sanctis.

Item, quod nullus hospes habitans in Ciuitate Mediolani, vel eius Burgis, nec Suburbijs, nec etiam aliqua alia persona, siue sit forasteria, siue terrigena, siue stipendiaria audeat, nec præsumat aliquos homines venientes de aliquo districtu Mediolani hospitare, nisi modo, & forma contenta in proximo præcedenti capitulo, sub pœna prædicta.

Item, quod aliqua persona habitans in Burgis, nec Suburbijs, nec in Mediolano recipere debeat, nec moram facere permittat aliquem venientem de alieno districtu, nec reponi penès se, nec in suis domibus aliquid, quod super se habeat, nisi prius talis præsentatus fuerit ad Officium bulletarum, & acceperit bulletam hospitandi modo, & forma suprascriptis, sub pœna prædicta, saluo quod si contigerit venire in sero cum portæ fuerint clausæ in dictis Burgis, tunc hospites in Burgis habitantes possint illos recipere illa nocte, dummodo ipsos præsentet mane sequenti Conestabilibus Portarum, qui Conestabiles prædictos tales præsentent dicto Officiali eodem mane, sub pœna prædicta.

Item, quod hospites, & hospitatrices Ciuitatis Mediolani teneantur, & debeant dare ad Officium bulletarum Mediolani inscriptis quolibet sero omnes homines habitantes in eorum hospitijs, scribentes nomina, & cognomina eorum, & vnde veniunt, & quo velint ire, & illi de hospitijs Burgorum quolibet mane portent inscriptis eos, qui nocte præcedenti in eorum hospitijs hospitati fuerint, sub pœna

 prædicta,

prædicta, scribendo eorum nomina, & cognomina, & vnde veniunt, & quo ire volunt.

Item, quod omnes hospites, & hospitatrices Ciuitatis, & Diœcesis Mediolani teneantur, & debeant tenere insigniam foris ad eorum hospitia, & quod non audeant, nec præsumant aliquem hospitari in eorum hospitijs, nec dare alicui cibum, nec potum, nisi prius habuerit foris illam insigniam, quam tenore debuerit, sub pœna prædicta.

Item, quod Conestabiles Portarum Ciuitatis Mediolani, non permittant intrare Ciuitatem Mediolani aliquem venientem de partibus non subditis Illustri Domino nostro, quin præsentetur ad Offitium bulletarum, sub pœna prædicta, alijs autem forensibus vlz., qui non sint de Ciuitate, nec districtu Mediolani venientibus de extra dictu districtu Mediolani ad dictam Ciuitatem Mediolani dicant solùm dicti Conestabiles, quod se præsentet ad dictum Officium bulletarum, quia propter magnum concursum præfati Illustris Domini nostri confluentium Mediolanum difficile minus esset etiam consignare venientes à terris suppositis dominio Illust. Domini nostri præfati..

Item, quod dicti Conestabiles non permittant aliquem forensem exire dictam Ciuitatem Mediolani, absque bulleta dicti Officij bulletarum, sub pœna prædicta.

Item, quod non sit aliqua persona cuiuscunque status, & conditionis existat, tàm terreria, quàm prædicta Diœcesis Mediolani, quam foresteria veniens ab aliquibus partibus non suppositis dominio Illustris Domini nostri, quæ audeat, vel præsumat modo aliquo venire ad Ciuitatem Mediolani, & in ipsam intrare, quin primo præsentetur ad Officium bulletarum, & teneatur notificare Conestabili Portarum quando venient sicut venirent de alieno Territorio Mediolanum, & se præsentari facere non obstante, quod per aliquos dies steterint in districtu Mediolani, sub pœna prædicta.

Item, quod non sit aliqua persona, tam terreria, & Diœcesis Mediolani prædicto, quam foresteria cuiuscunque conditionis, & status existat veniens de partibus non subditis Illustri Domino nostro ad Ciuitatem Mediolani, quæ audeat, vel præsumat intrare Ciuitatem Mediolani, nisi prius fecerit notitiam Conestabili Portæ per quam intrare contigerit vnde venit, & quod statim antequam descendat ab equo, & antequam intret domum aliquam teneatur, & debeat statim se consignare, seu consignari facere ad dictum Officium bulletarum Mediolani, & dicto Officiali præsentari omnes litteras, scripturas, & breuia, & orationes, quæ dirigantur, vel portata sint à partibus non suppositis dominio præfati Domini, sub pœna prædicta.

Item, quod non sit aliqua persona terreria, & dictæ Diœcesis Mediolani, nec forasteria veniens de aliquo districtu, quæ audeat, nec præsumat dicere, seu portare aliquam ambasciatam, vel aliquid nouum in scriptis, nec oretenus alicui personæ intra Ciuitatem Mediolani, nec intra Corpora Sanctorum contra Statum, vel honorem præfati Domini, nisi prius de talibus ambasciatis, siue nouis notitiam fecerit dicto Officiali bulletarum, sub pœna prædicta.

De pœna impetrantium priuilegia Papalia, siue Imperialia, absq; licentia Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mandamus tibi quatenus decretum præsentibus introclusum, quòd nullus, sit qui velit, audeat, vel præsumat aliquod priuilegium cuiusuis maneriei existat, siue Papale, siue Imperiale, quomodolibet impetrare sine nostri licentia

centia &c. obseruando, & obseruari pro Statuto, vel Lege municipali inuiolabiliter faciendo, illud publicari facias in locis publicis, & consuetis tuæ iurisdictionis, ac describi in volumine Statutorum Ciuitatis nostræ Mediolani ad perpetuam rei memoriam. Datum Mediolani die xxvj. Septembris MCCCLXXXVI. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti, sic sequitur in hac forma.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cum sæpè contingat præsertim importunitate petentium, quod diuersarum manerierum priuilegia, tàm Papalia, quàm Imperialia concedantur in præiudicium, & graue damnum iurium Subditorum nostrorum, & per quæ ipsi iniustè non sine magnis eorum incommodis, & sumptuosis laboribus litigiosis inditiorum anfractibus implicantur. Proinde volentes super hoc de salubri remedio prouidere, maximè ne ipsi Subditi nostri virtute talium priuilegiorum indebitè, & iniustè suis remaneant bonis, rebus, & iuribus spoliati, seu per litigia ducti opprimantur, & vexentur, ac indebitis frustrentur laboribus, & expensis. Tenore præsentium ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis præsenti nostri lege, & decreto statuimus, sancimus, decernimus, & mandamus, quod nulla persona habitans sub nostro dominio cuiusuis status, gradus, conditionis, & dignitatis existat, siue Secularis, siue Ecclesiastica audeat, vel præsumat per se, aut per alium, aut per rectum, aut per indirectum, ire, vel mittere ad impetrandum in quauis ex Curijs Domini Papæ, seu Domini Imperatoris, siue alicuius alterius Magistratus aliquod priuilegium cuiusuis maneriei, vel formæ sine nostri speciali licentia, vel mandato, sub pœna, & in pœna haueris, & personæ nostro arbitrio iniungenda cuilibet contra hanc nostram intentionem, & mentem ire quomodolibet præsumenti. Decernentes ex nunc, prout ex tunc quicquid taliter obtentum, & impetratum fuerit per aliquam personam cuiusuis status, & conditionis, vt præfertur, existat, non valere, nec tenere, nec esse alicuius efficaciæ, vel momenti. Mandantes insuper quibuscunque Rectoribus, & Officialibus nostris, ac Iusdicentibus quatenus talia Priuilegia aliqualiter nõ admittant, nec ipsorum vigore aliquid faciant, vel exequantur ad requisitionem, vel petitionem alicuius talis personæ, vel alterius quouismodo, vel ingenio, sub pœna superius memorata. Mandantes quoque, quod qualibet persona, sit quæ velit, ad cuius manus peruenerit aliquod ex priuilegijs antedictis, illud statim teneatur, & debeat consignare Officiali nostro illius Terræ, vbi fuerit, & in qua tale Priuilegium ad manus eius contigerit peruenire, sub pœna prædicta.

Decretum super abbreuiatione causarum ciuilium vigens in quibuscunque Ciuitatibus, & Terris Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus tibi copiam decreti nostri super litibus abbreuiandis præsentibus alligatum, volentes, & tibi mandantes quatenus dictum nostrum decretum pro lege municipali, & Statuto obseruando, & obseruari inuiolabiliter faciendo illud in locis consuetis tuæ iurisdictionis facias publicè diuulgari, ac inseri, & describi in volumine Statutorum Ciuitatis nostræ Mediolani ad perpetuam rei memoriam, ex nunc, prout ex tunc decretum de commissionibus in tres bonos viros fiendis hactenus obseruatum ex certa scientia, tàm in iurisdictione tua prædicta, quàm alibi vbicunque vigeat penitùs reuocantes. Dat. Mediolani die secundo Octobris MCCCLXXXVI. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor

Tenor decreti dictis litteris inclusi sic sequitur.

NOS Ioannes Galeaz Vicecomes, Comes Virtutum, Dominus Mediolani, Imperialis Vicarius generalis. Volentes dispendia litium, ea qua possumus solertia coarctare, & Subditorũ nostrorum indemnitatibus, ac commodis prouidere, necnon cautelas, & fraudes malignantium refrænare, & vt vnicuique debitum iustitiæ ministretur præsenti nostro decreto ex certa scientia duximus statuendum, quod omnes, & singulæ lites, quæstiones, causæ, & controuersiæ ciuiles, seu quæ ciuiliter agitentur, & de cætero moueri contigerint coram quocunque Iusdicente, Magistratu, vel Assessore seculari ordinario, vel delegato Ciuitatum, & Terrarum, seu locorum nostro dominio subiectorum per, & inter quascunque personas seculares, Communia, Collegia, vel Vniuersitates, vel inter aliquam singularem personam, & Communitatem, vel Vniuersitatem quouis modo, & ex quauis causa, cognoscantur, decidantur, & fine debito terminentur iuridicè, & seruatis Statutis, Decretis, & Ordinibus nostris, ac Statutis illius Ciuitatis, loci, vel Terræ vbi dicta, quæstio mota fuerit huic nostro decreto non obuiantibus, necnon reiectis cauilationibus, & friuolis exceptionibus quibuscunque per illum Iusdicentem ordinarium, vel delegatum, Magistratum, vel Assessorem, coram quo ipsa lis, quæstio, causa, vel controuersia mota fuerit, & hoc infra terminos super hoc inferius limitatos, & declaratos, sub pœna Iusdicenti ordinario, vel delegato, Magistratui, vel Assessori, coram quo ipsa lis, quæstio, causa, vel controuersia agitabitur omittenti ipsam quæstionem, litem, causam, seu controuersiam terminare infra terminos inferius limitatos, & similiter cuilibet Commissario, & Consultori omittenti dare consilium suum in scriptis infra terminos inferius limitatos florenorum centum auri applicandorum Cameræ nostræ, & refitiendi expensas litis vtrique parti, qui termini cognoscendi, & terminandi ipsas lites, quæstiones, causas, & controuersias, & in eis procedendi hoc ordine limitentur, & limitati esse intelligantur, videlicet. Quod instantia causæ principalis non duret, nec durare possit, nec debeat vltra tempus, & spatium dierum quadraginta vtilium à die litis inceptæ computandos, quæ incepta intelligatur petitione porrecta, & in actis dimissa, & parti legitimè notificata, vbi per viam libelli, vel petitionis proceditur, qui libellus, vel petitio qualiscumque sit, dummodo sit tolerabilis admittatur, & admissa esse intelligatur ipso iure, & tollerabilis esse intelligatur si contineat personam Actoris, & rei quantitatem, rem, seu res, quæ petuntur, & causam petitionis, & à die contradictionis, comparitionis, oppositionis, seu querelæ notificata parti, vbi per viam contradictionis, comparitionis, oppositionis, seu querelæ proceditur.

Instantia verò causæ appellationis interponendæ semel tantùm per vtramque partem non duret, nec durare possit, nec debeat vlz. prima causa appellationis vltra tempus, & spatium viginti dierum vtilium, secunda verò causa appellationis non duret, nec durare possit, nec debeat vltra tempus, & spatium viginti quinque dierum vtilium. Ita, quod omnibus computatis vlz.; tàm temporibus instantiæ causæ principalis, quàm vtriusque causæ appellationis terminus octuaginta quinque dierum vtilium saluis temporibus deputatis ad appellandum vigore præsentis decreti nullatenus excedatur, nec excedi possit, nec etiam dilatari, seu prorogari quoquomodo, sub pœna prædicta.

Vtque termini deliberandi, & respondendi petitioni, & probandi, & reprobandi, & alia faciendi in litibus, quæstionibus, causis, & controuersijs

antedictis

antedictis diuidantur, & ordine congruo limitentur, & ne productiones iurium, & probationes cautelosè, & in fraudem vsque prope finem litis differantur. Volumus, decernimus, & mandamus, quod statim petitione porrecta, & in actis dimissa in causa principali, & parti notificata vt supra statutus sit, & esse intelligatur ipso iure terminus vnius diei vtilis immediatè sequentis reo deliberandi, & respondendi dictæ petitioni, quo termino elapso, siue responderit, siue non habeatur lis pro contestata, & elapso dicto termino vnius diei vtilis, vel contradictione facta, & parti notificata, vbi per viam contradictionis, comparitionis, vel querelæ proceditur statim statutus sit, & esse intelligatur vtrique parti vlz. actori, & reo terminus quindecim dierũ vtiliũ excipiendi, opponẽdi, petendi, & probandi per omne genus probationũ, ac producendi, & ostendendi quicquid dictæ partes, & qualibet earum voluerint in dicta causa, ipsoque termino elapso statim quæcunque agitata, producta, & ostensa in dicto termino probatorio intelligantur, & sint ipso iure publicata, ita quod de eis fiat copia si fuerit requisita, & quod quibuscunq; positionibus, quæ fieri contingent in quacunque causa teneatur pars respondere infra terminum sibi per Iudicem assignandum clarè, & apertè affirmando, vel negando de scientia, vel credulitate, sine vlla conditione, additione, vel protestatione. Alioquin responsio aliter facta, pro non facta habeatur, & immediatè post ipsum terminum statutus sit, & esse intelligatur, vtrique parti terminus decem dierum vtilium reprobandi, & impugnandi quæcunque producta, probata, & ostensa in dicto termino probatorio, & si aliqua partiũ in ipso termino reprobatorio produxerit capitula, vel articulos tendentia ad reprobandum probata, & producta per alteram partium in primo termino probatorio, tunc liceat illi parti contra quam producta fuerint, & cuilibet alteri cui intersit coadiuuare, & corroborare per legitimas probationes probata, & producta in dicto primo termino, quo termino reprobatorio elapso, quæcunque producta agitata, & ostensa in ipso termino intelligantur, & sint ipso iure publicata, & de ipsis fiat copia vt supra.

Statuentes quoque, quod omnes exceptiones, replicationes, & triplicationes, dilatoriæ, declinatoriæ, perhemptoriæ, & cæteræ cuiuscunque generis sint, de quibus non sit cognitum, & decisum inter partes, sint saluæ vtrique parti in fine litis tempore disputationis, ne ob hoc processus causæ differatur, quæ quidem exceptiones, dilatoriæ, & declinatoriæ, & similes reiectæ intelligantur, si de ipsis in sententia, vel pronuntiatione ferenda super causa principali non fuerit facta mentio.

Deinde Iusdicens, Magistratus, vel Assessor ordinarius, vel etiam delegatus coram quo dicta lis, quæstio, causa, vel controuersia vertetur, teneatur, & debeat infra duos dies vtiles immediatè sequentes post dictum terminum reprobatorium ad requisitionem dictarum partium, vel alterius earum committere ipsam litem, causam, quæstionem, seu controuersiam vni Iurisperito de confidentibus vtriusque partis eligen., & si aliqua pars recusaret dare, vel contumax esset in dando confidentes suos, & toe, quod vnus concordetur, tunc dictus Iudex, Magistratus, vel Assessor committere debeat dictam litem, quæstionem, vel controuersiam vni ex confidentibus partis producentis confidentes suos, & non contumacis vt supra, & quod deinceps dentur solummodo confidentes, & non suspecti in qualibet causa residentes in Ciuitate, vel Terra, in qua quæstio vertetur si in ea erit copia Iurisperitorum, & si non, tunc dentur de aliis residentibus in vna ex Ciuitatibus proximioribus illi Ciuitati, vel Terra, in qua quæstio agitabitur.

Qui Commissarius ipsam commissionem omnibus, iuris remedijs, statim acceptare cogatur, & iurare ad Sancta Dei Euangelia tactis scripturis, quod rectè, & iustè consulet in causa sibi commissa, Deum semper prae oculis habendo, eiusq; tremendum Iudicium expectando, quod sacramentum scribatur in actis causa, vel de eo fiat publicum instrumentum, nec possit assumi vltra dictum Commissarium, nec sibi dare debeat aliquis alius socius ad examinandum dictam quaestionem, nec ad consulendum super ea, nisi fuerit de ambarum partium voluntate, ne partes vltra debitum vexentur laboribus, & expensis.

Postea verò dictae partes statim compareant coram dicto Commissario, & producant coram eo processus, & omnia acta agitata, & producta in lite, & causa praedicta infra talem terminum, quod dicto Commissario post ipsorum productionem restent ad minus dies octo ad deliberandum, & consulendum super dicta causa, sub poena librarum vigintiquinque tertiolorum parti omittenti producere vt supra, & plus, & minus arbitrio Iusdicentis.

Quibus visis, & diligenter examinatis per dictum Commissarium, & auditis allegationibus, quae coram eo fieri voluerint per partes, & earum Aduocatos teneatur, & debeat dictus Commissarius praesentare, vel praesentari facere consilium suum in scriptis eius manu propria subscriptum super quaestione sibi commissa ad bancum dicti Iusdicentis, Magistratus, vel Assessoris vt supra coram quo quaestio praedicta vertetur ante finem dicti termini quadraginta dierum vtilium, de qua praesentatione fiat subscriptio dicto consilio manu Notarij causae per quem, & qua die praesentatum fuerit, & idem fiat in actis causae praedictae. Ita quod dictus Iusdicens, Magistratus, vel Assessor iuxtà formam dicti consilij possit, teneatur, ac debeat suam diffinitiuam sententiam proferre, & publicare super quaestione praedicta infra terminum praedictum, qua pronunciatio, & publicatio facta esse intelligatur ipso iure si Iudex causa omiserit proferre, & publicare vt supra.

Possit tamen dictus Iusdicens, Magistratus, vel Assessor dictam quaestionem cognoscere, decidere, & terminare infra dictum terminum per se tantùm, & absque aliquo Commissario eligendo, si fuerit de partium voluntate, quo casu iurare teneatur, & in actis scribatur prout supra in sacramento Commissarij continetur mutatis mutandis, & quod dictus Iusdicens nullum possit recipere salarium, seu emolumentum, sub poena quatrupli, de quo possit, & debeat etiam syndicari.

Lata verò dicta sententia diffinitiua, vel facta dicta terminatione, vel diffinitione, possit pars, quae succubuerit, & quilibet alius, cui de iure liceat appellare, vel nullam dicere infra terminum quatuor dierum continuorum à die lata sententiae, & non vltra ab ipsa sententia, vel diffinitione, seu terminatione appellare, vel nullam dicere ad vnum ex Iudicibus appellationum huic Officio deputatum, vel deputandum. Saluo tamen, quod in causis, & casibus specialibus, in quibus prohibita sit appellatio, vel nullitas à iure communi, vel ex forma Statutorum, vel prouisionum illius Ciuitatis, loci, vel Terrae, in qua dicta lis, quaestio, causa, vel controuersia fuerit agitata, non liceat appellare, & idem disponatur ad nullitatem, nec etiam ad aliquem Iudicem appellationum, qui fuerit Aduocatus, vel Commissarius in causa super qua lata fuerit sententia, à qua fuerit appellatum, nec qui sit Agnatus, vel Affinis partis appellantis.

Volumus tamen, quod per hoc praesens decretum derogetur, & derogatum esse intelligatur Statutis Ciuitatum, & Terrarum nostrarum tollentibus in totum remedia, appellationis, nullitatis, querelationis, & restitutionis.

Quae

Quà appellatione, vel nullitate interposita procedatur & in ipsa causa appellationis, vel nullitatis coram dicto Iudice ad quem fuerit appellatum hoc ordine vz., quod statim post ipsam appellationem, vel nullitatem propositam, & interpositam die iuridica immediatè sequenti teneatur appellans, vel nullam dicens coram Iudice ad quem appellauerit petitionem suam in scriptis porrigere, & parti notificare personaliter, vel ad domum, quæ petitio qualiscunque sit, dummodo tollerabilis sit admittatur, & admissa esse intelligatur ipso iure, & nulla litis contestatio exigatur, & iurare coram Iudice ad quem appellauerit, se non dolo, nec calumnia, sed credens iustam fouere causam appellasse, vel nullam dixisse, ac satisdare de restituendo alteri parti omnia damna, interesse, & expen. litis prædictæ, quæ passa fuerit, & quæ taxata fuerint per Iudicem dictæ causæ, si ipse appellans, vel nullam dicens succubuerit in dicta causa appellationis, vel nullitatis, vel si ipsam appellationem, vel nullitatem non fuerit prosecutus, usque ad finem, alioquin ipsi appellationi renunciasse intelligatur, & prima sententia firma maneat, & executioni mandetur.

Postquo statim, & sine vllo internallo statutus sit, & esse intelligatur appellanti, vel nullam dicenti, & appellato, vel contra quem, vel quos nulla dicitur terminus octo dierum vtilium probandi, producendi, ostendendi, & opponendi, tàm super nullitate, quàm iniquitate dictæ sententiæ, & alijs ad ipsam causam pertinentibus, quicquid ipsæ partes, & quælibet earum voluerint, ipsoque termino finito statìm omnia agitata, producta, & ostensa in ipso termino intelligantur, & sint ipso iure publicata, & de eis vtrique parti fiat copia si fuerit requisita.

Sucoesiuè verò statìm statutus sit, & esse intelligatur ipso iure, vtrique parti terminus sex dierum vtilium reprobandi, & impugnandi, & excludendi quæcunque agitata, producta, & ostensa in dicto termino primo. Et si aliquà partium in ipso termino reprobatorio produxerit articulos, vel capitula tendentia ad reprobandum probata, & producta per alteram partem in primo termino probatorio, quæ capitula, & articuli produci debeant per tres dies ante finem dicti termini reprobatorij parte præsente, vel legitimè ad hoc citata, & sibi de ipsis capitulis, & articulis copia dimissa personaliter, vel ad domum, & post produci non possint, nec admitti, tunc liceat illi parti contra quam producta fuerint, & cuilibet alteri, cuius intersit coadiuuare, & corroborare per legitimas probationes probata, & producta in dicto primo termino, quo termino reprobatorio elapso, quælibet agitata, producta, & ostensa in dicto termino intelligantur, & sint ipso iure publicata, & de eis fiat copia vtsupra, & quod omnes exceptiones sint saluæ in fine, & reiectæ intelligantur vtsupra prout in ordine principalis causæ superius continetur.

Postea verò teneatur dictus Iusdicens ordinarius, vel delegatus vtsupra, coram quo ipsa causa appellationis, vel nullitatis versa erit infra vnam diem vtilem post dictum terminum reprobatorium immediatè sequentem ad requisitionem dictarum partium, vel alterius earum dictam causam appellationis, vel nullitatis cõmittere vni Iurisperito de confidentibus partium eligendo &c. prout supra in ordine principalis causæ continetur.

Qui Commissarius post ipsam commissionem, statìm cogatur omnibus iuris remedijs acceptare, & iurare, prout in ordine principalis causæ continetur, nec possit associari, nec alius vltra ipsum Commissarium electum vtsupra, assumi vllo modo, nisi fuerit de ambarum partium voluntate, coram quo Commissario dictæ partes compareant, & producant processus, & omnia acta dictæ causæ appellationis, nullitatis, & iura sua.

Qui

Qui Commissarius visis, & diligenter examinatis prædictis, & partium allegationibus auditis, teneatur, & debeat præsentari facere consilium suum in scriptis eius propria manu subscriptum ad bancum dicti Iudicis, coram quo dicta causa appellationis, & nullitatis versa erit ante finem dicti termini vigniti dierum vtilium ipsi causæ limitati, de qua præsentatione fiat subscriptio dicto consilio manu Notarij causæ per quem, & qua die præsentatum fuerit, & idem fiat in actis dictæ causæ. Ita quod dictus Iudex dictæ causæ appellationis, vel nullitatis possit, ac teneatur, & debeat in dicto termino iuxta formam dicti consilij suam diffinitiuam sententiam proferre, & publicare super causa prædicta, quæ pronunciatio, & publicatio facta esse intelligatur ipso iure, si Iudex causæ omiserit proferre, & publicare vtsupra, & quod dictus Iudex appellationis, vel nullitatis possit interesse examinationi dictæ causæ, & nihilominus consilium Commissarij sequi teneatur.

Possit etiam dictus Iudex causæ appellationis, vel nullitatis, si fuerit de partium voluntate, ipsam causam per se tantùm, absque aliquo Commissario eligendo cognoscere, decidere, & terminare iuxta terminum antedictum, qui eo casu iurare teneatur proutsupra in sacramento Commissarij continetur, mutatis mutandis.

Postquam verò lata fuerit dicta sententia in dicta causa appellationis, vel nullitatis in quantùm, & quatenùs confirmata fuerit prima sententia lata in causa principali non liceat amplius prouocare, nec appellare à dicta sententia, nec nulla dici, nec eidem aliqualiter contrairi, nec contra eam quicquid excipi, vel opponi &c. prout lata fuerit executioni mandetur omnibus iuris remedijs.

Si verò per dictam sententiam latam in dicta causa appellationis, vel nullitatis fuerit dicta prima sententia annullata, vel reuocata, aut aliter reformata particulariter, vel in totum, tunc liceat succumbenti in causa appellationis, vel nullitatis, & cuilibet alteri, cui liceat de iure appellare, vel nullã dicere infra terminũ quatuor dierum continuorum à die latæ sententiæ, & non vltra à dicta tali sententia appellare, & nullam dicere ad vnum alium ex Iudicibus appellationum huic officio deputatum, vel deputandum &c. prout in prima causa appellationis esset expressum, in qua causa appellationis procedatur, & intelligantur esse termini limitati in omnibus, & per omnia prout in prima causa appellationis superius est expressum, mutatis mutandis, & congrua congruis referendo. Ita tamen, quod hoc semper intellecto, quod dicta causa secundæ appellationis infra restum dicti termini octuaginta quinque dierum vtilium omnibus instantijs, tàm principalis causæ, quàm appellationis limitati vtsupra, saluis temporibus deputatis ad appellandum vigore præsentis decreti decidantur, & fine debito terminentur, nec dictum terminum excedat vllo modo, sub pœna prædicta vtsupra, quæ sententia omnibus iuris remedijs, prout lata fuerit, executioni mandetur.

Decernentes quoque præsens nostrum decretum etiam locum habere, & seruari debere in quibuscunque quæstionibus, & causis pendentibus, & in cæteris de cætero inchoandis, firmis tamen manentibus actis actitatis, & productis in dictis causis pendentibus.

Item, quod omnes, & singuli Commissarij, Consultores, & Iusdicentes teneantur, & debeant eorum consilia, & sententias dare, & proferre in scriptis clarè, & apertè, ac sine vlla conditione, vel alteratione, & in ipsis consilijs, & sententijs declarare, & taxare expensas litis, damna, & interesse in casibus, in quibus pars in ipsis expensis, damno, vel interesse de iure veniat condemnanda, sub pœna floren. centum auri cuilibet Consultori, vel Iusdicenti,

Iusdicenti, contrafacienti, vel omittenti facere proutsupra, Cameræ nostræ applicandorum.

Verumtamen, nisi fuerit de partium voluntate, ordo præsentis decreti, & disposita in eo non vendicent sibi locum in quæstionibus datiorum slz. in eis pacta datiariorum, & Decreta nostra; necnon Statuta super ipsis edita volumus inuiolabiliter obseruari, nec etiam in causis, quæstionibus, seu controuersijs motis, vel mouendis occasione exclamationum, quæ fiunt pro bonis vendendis ad cridas, vel accipiendis in solutum slz. in ipsis seruari volumus prouisiones super ijs specialiter editas, & terminos statutos in eis, nec etiam in causis Mercatorum, quæ vertuntur coram Consulibus Mercatorum inter Mercatores, & ex causa mercatantiæ, slz. in ipsis seruetur Statuta ipsorū Mercatorum per nos confirmata; nec etiam in causis in quibus procedi potest breuiori via, quàm via præsentis decreti temporibus appellationum minimè computatis per formam aliquorum nostrorum Decretorum, aut Statutorum illius Ciuitatis, vel Terræ, in qua huiusmodi causæ agitabuntur, slz. in eis seruentur Statuta, & decreta prædicta, vt breuius terminentur, ne partes expensis, & protelationibus litium minime aggrauentur, nec etiam in compromissis factis, & fiendis in amicos communes de partium voluntate, aut ex dispositione alicuius nostri Decreti, vel Statuti.

Præterea edicimus, & ordinamus, quod si de cætero contingat aliquam litem, quæstionem, causam, seu controuersiam moueri contra absentem in longinquis partibus, vel extra Territorium illius Ciuitatis, vel Terræ, in qua quæstio agitatur, Iusdicens teneatur dare, & assignare tali absenti vtsupra, citato, vel citando facta prius fide summatim, prout Iusdicenti videbitur de tali absentia terminum competentem ad comparendum per se, vel legitimum procuratorem, vlz. singulos dies pro singulis viginti miliaribus pro eundo, & redeundo totidem, & vltra arbitrio Iudicis, dummodo arbitrium Iusdicentis non excedat vltra terminum vnius mensis continui, quo termino elapso, & non ante incipiant currere tempora præsentis nostri decreti.

Item, quod si aliqua partium voluerit producere in causa aliquos testes absentes, vel instrumenta, quæ essent extra territoria, Iusdicens tunc (nominatis prius dictis testibus, & instrumentis, quibus semèl nominatis nihil addi possit, & facta fides summatim de huiusmodi absentia, & carentia instrumentorum extra territorium existentium Iudici litis, prout sibi videbitur, & parte iurante ad Sancta Dei Euangelia corporaliter tactis scripturis, quod hoc nonfacit, nec fieri petit dolo, nec calumnia, nec in fraudem, nec animo protelandi litem, sed putans ipsis testibus, & instrumentis indigere ad probationem iuris sui) eo casu assignetur sibi per Iudicem litis terminus competens secundum distantiam locorum, & negotij qualitatem, infra quem dicti testes recipi, & examinari possint debita forma iuris, eorumque dicta Iudici litis solenniter præsentari, & ipsa instrumenta produci, & in eo termino assignando vtsupra, possit etiam altera pars ostendere, & probare de iure suo quicquid voluerit quo termino pendente non currant tempora huius nostri decreti, nisi termini statuti ad probandum quo ad testes, & alias probationes præsentes.

Item, quod si deinceps contingat vllam quæstionem, causam, litem, seu controuersiam moueri alicui pupillo, vel minori, furioso, vel mentecapto, aut simili personæ Tutore, vel Curatore carenti. Ne talis persona remaneat indefensa, nec ius suum pereat propter carentiam legitimi defensoris, teneatur, & debeat agere volens contra aliquem ex prædictis præsens citari, & moueri facere

aliquos ex proximioribus eius agnatis, vel attinentibus, & qui erunt præsentes, & si non adesſent aliqui ex proximioribus amicis, & vicinis eiuſdem, vna cũ eis, vel ſaltẽ eis præſentibus, aut legitimè citatis inſtare, & requirere corã Iudice competenti, quod ipſi contra quem ipſam litem mouere voluerit detur, & decernatur per dictum Iudicem cum ſolemnitatibus opportunis Tutor, vel Curator idoneus ſecundum conditionem perſonæ, cui decernendus erit generalis, vel ſaltem ſpecialis ad litem prædictam cum quo poſsit iudicium inchoari, & qui iura illius, cui dabitur defendere debeat, qui Iudex teneatur infra triginta dies continuos à die requiſitionis ſibi factæ computandos prouidere eidem de idoneo Tutore, vel Curatore vtſupra, & ad dictam tutelam, ſeu curam, ſeu defenſionem ſubeundam teneatur compellere illos agnatos, cognatos, vel affines, prout ipſi Iudici videbitur, cum cautionibus, obligationibus, ſacramentis de cætero, & iuris ſolennitatibus opportunis, ſub pœna librarum quinquaginta tertiolorum, Cameræ noſtræ applicandorum.

Si quis autem Iuſdicens, Magiſtratus, vel Aſſeſsor à ſe ipſo, abſque conſilio alterius, protulerit aliquam ſententiam iniquam, & iniuſtam in totum, vel in parte, aut aliquis Commiſsarius, vel Conſultor iniquum, vel iniuſtum conſilium dederit in totum, vel pro parte, quo iniquitas, vel iniuſtitia conſtet ex actis, & productis in causa ſuper qua dicta ſententia lata fuerit, vel dictum conſilium datum, vel aliter legitimè detegatur, ſi ſcienter, & dolosè hoc fecerit incurrat in pœnam pro vno denario quatuor quantitatis, ſeu extimationis rei, de qua fuerit quæſtio, applican. pro medietate Cameræ noſtræ, & pro alia medietate damnum paſso, & vlterius priuetur omni officio, & beneficio aduocandi, iudicandi, & conſulendi, & quolibet priuilegio, & beneficio ſui Collegij in perpetuum. Si verò per imperitiam, vel ignorantiã, tunc teneatur reficere parti ex hoc læſæ damnum, cũ expenſis per ipſam partem paſsis ſecundum, quod Iudici æquum, & iuſtum videbitur, quarum quidem pœnarum, de quibus ſupra fit mentio, necnon pœnæ impoſitæ non terminantibus quæſtiones in terminis limitatis cognitores, & executores eſſe debeant illi quos ſuper hoc duxerimus deputandos coram quibus quilibet volens querelari de prædictis teneatur querelam ſuam in ſcriptis producere infra ſexaginta dies immediatè ſequentes poſt dictum terminum octuaginta quinque dierum vtilium omnibus inſtantijs limitatum, quo termino elapſo non audiatur.

Qui cognitores, & executores tàm circa cognitionem, & executionem dictarum pœnarum, & cuiuslibet earum procedere teneantur ſummariè, & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſolaque veritate inſpecta, & omnibus iuris remedijs, prout expediens fuerit, & eis videbitur conuenire, & nihilominus ſi quis conqueri voluerit de aliquo Iudice, vel Commiſsario, quod ſententiam iniquam, vel iniuſtam tulerit, aut conſilium iniquum, vel iniuſtum dederit, hæc etiam ſignificare poſsit in ſcriptis infra terminum antedictum, quia bene ſibi ius fieri faciemus contra prædictos.

Volumus inſuper, quod in cauſa omnes, & ſinguli teſtes producendi per aliquã partium cogantur indilatè per Iudicem litis realiter, & perſonaliter, & omnibus iuris remedijs ad iurandum, & veritatis teſtimonium perhibendum in dicta cauſa, ſub pœna cuilibet teſti inobedienti librarum quinquaginta tertiolorum, & plus, & minus arbitrio Iuſdicentis inſpecta qualitate facti, & conditione perſonarum, cuius quidem pœnæ medietas Cameræ noſtræ applicetur, & alia medietas parti ipſum teſtem producere volenti, quæ pœna ſtatìm per Iudicem litis exigatur.

Notarij autem deputati ad examinandum, & recipiendum testes, statim postquam electi fuerint, teneantur, & debeant iurare coram Iusdicente coram quo causa agitabatur ad Sancta Dei Euangelia, tactis scripturis, quod testes producendos bene, & diligenter examinabunt, & interrogabunt, eorumque dicta, & testimonia fideliter recipient, & scribent, vel scribi facient pro vtraque parte bona fide, & sine fraude, omni dolo cessante, eruendo ab ipsis testibus veritatem eius, quod sciuerint de negotio super quo producti fuerint cum interrogationibus debitis, & non superfluis, nec cauilosis, & non deuiando vllo modo à tramite veritatis, & iustitiæ, & quod seruabunt Statuta super prædictis edita, & quod non propalabunt, nec manifestabunt vllo modo directè, vel indirectè verbo, nutu, vel ostensione dicta testium alicui partium, nec alteri personæ, sed ea tenebunt, & teneri facient secreta, donec fuerint publicata, sub pœna floren. vigintiquinque auri Cameræ nostræ applicandorum vltra pœnas à iure limitatas.

Item, quod qualibet partium, quæ in iudicio produxerit aliqua instrumenta, acta, vel scripturas, teneatur, & debeat non obstante productione semel facta, quandocunque ad instantiam partis, & cuius interfit ea, vel eas reprobare volentis, & iurantis se non dolo, nec calumnia causa hoc petere ipsa instrumenta, acta, vel scripturas, quibus alias vsa fuerit iterum, & denouo producere, & in actis dimittere, & etiam parti recipienti vel supra copiam facere, & ad hoc rogatur, & cogi possit per quemcumque Iusdicentem omnibus iuris remedijs etiam per personalem detentionem.

Decernentes, & mandantes prædicta omnia, & singula debere sane intelligi secundum bonam, & rectam intentionem nostram, quibuscumque cauillationibus circumspectis, ac pro lege, & decreto nostro inuiolabiliter obseruari, & publicè diuulgari, & in voluminibus aliorum nostrorum decretorum, & Statutorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum inseri, & describi, non obstantibus aliquibus Legibus, Decretis, Ordinibus, Statutis, seu prouisionibus nostris, vel Ciuitatum, & Terrarum nostro dominio subiectarum, vel alicuius earum, nec aliquibus alijs Constitutionibus, vel iuribus omnibus, vel municipalibus huic nostro decreto obuiantibus, vel derogantibus quocunque modo, quibus in quantum obuient, vel derogent dumtaxat, expressum, & ex certa scientia derogamus. Nobis tamen reseruata potestate ad arbitrium nostri mutandi, corrigendi, addendi, declarandi interpretandi, minuendi, dimittendi, & quoquo modo disponendi, prout nobis videbitur expedire. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die secundo Octobris MCCCLXXXVI. decima Indictione.

Quod committentes percussiones cum armis puniantur, tàm pro portatione armorum, quàm ex percussione facta.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum est, quod nullus cuiusuis status, & conditionis existat, audeat arma portare de die, vel de nocte sub nostro Dominio, sub pœna amittendi arma, & soluendi florenos decem auri si de die arma portauerit; si vero de nocte florenos viginti. Nunc autem quæri solet, & in dubium reuocari: vtrum si quis percusserit cum armis condemnari debeat secundum formam dicti nostri decreti, àn Statutorum Ciuitatis nostræ Mediolani, àn secundum formam vtrorumque, quo circa mentem nostram iuxta passum istum expressiùs de

clarantes: dicimus, quod semper fuit nostræ intentionis, & est, quòd si aliquis percusserit aliquem cum armis secundùm formam ipsorum Decreti, & Statutorum simùl, & semèl debeat condemnari, & sic volumus, quod inuiolabiliter debeat obseruari. Dat. Mediolani die quarto Octobris MCCCLXXXVI. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod decretum de prohibitis captionibus habeat locum solummodo inter Subditos Domini, & non inter Forenses.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia forenses personæ dominio nostro non subditæ forsitàn prætendere vellent, quòd super Territorio nostro pro aliquibus debitis priuatis, quæ haberent cum Subditis nostris personaliter detineri non possint vigore nostri decreti continentis, quod nullus posit pro priuatis debitis detineri, certis casibus exceptatis. Declaramus, volumus, & præsentium tenore mandamus, quatenus prædictum nostrum decretum obseruetur, & locum habeat inter Subditos nostros dumtaxat, nec eius beneficio, & concessione debeant gaudere forenses personæ nostræ non subditæ ditioni. Hanc autem intentionem nostram firmiter obserues, faciens præsentes litteras diuulgari per totam Iurisdictionem tibi commissam, & in aliorum decretorum nostrorum volumine registrari. Dat. Mediolani die vj. Octobris MCCCLXXXVI. Iacobinus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod Potestas, seu alius superior Magistratus teneatur cogere in qualibet causa appellationis partes ad dandum suos confidentes.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum nostrum de Iudicibus constituendis in causis appellationum mittimus tibi his inclusum, volentes, & tibi mandantes, quatenus ipsum nostrum Decretum pro Lege, & Statuto obseruando, & inuiolabiliter obseruari faciendo in locis publicis, & consuetis iurisdictionis tibi commissæ illud facias publicè diuulgari, ac in Statutis Communis nostri Mediolani ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die quarto Nouembris MCCCLXXXVI. Comolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti sic sequitur.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes in causis appellationum Iudices constituere, præsenti decreto statuimus, quod appellans à quacunque sententia cuiusuis Iudicis, vel Iusdicentis Ciuitatis, vel Terræ nostræ teneatur petere Iudicem appellationum à Potestate Mediolani, vel alio Superiori Magistratu Ciuitatis, vel Terræ illius, vbi primo quæstio sit commissa, seu terminata, qui Potestas, vel Magistratus statim teneatur, & debeat omnibus iuris remedijs partes cogere inter quas dicta quæstio agitatur ad dandum confidentes eorum in quæstione præfata, & reperto partium confidenti iuridico teneatur non tamquam Potestas, vel Iusdicens, sed tamquam delegatus noster in hac parte specialiter constitutus causam ipsius appellationis, & nullitatis committere audiendam, examinandam, & fine debito terminandam, & si altera partium non comparuerit ad dandum confidentes suos in scriptis infra tempus à Iudice statutum, vel comparuerit, & similiter non dederit, tunc liceat suprascripto Potestati, seu Magistratui committere quæstionem prædictam alteri ex confidentibus

partis comparentis. Dantes confidenti prædicto auctoritatem, & omnimodam Iurisdictionem, quam haberet si foret à nobis ad hoc specialiter delegatus, quod decretum nostrum in appellationibus, tàm interpositis, quàm interponendis locum habere decernimus.

Quod nullus Subditus Domini possit occasione alicuius priuilegij declinare, nec eximere forum illius Rectoris, vbi sunt bona, quæ velint consequi.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus tibi quoddam nostrum decretum editum per nos nuper præsentibus inclusum, volentes, & tibi mandantes, quatenus ipsum nostrum decretum pro lege, & Statuto obseruando, & obseruari faciendo in Iurisdictione per nos tibi commissa facias publicè diuulgari, & proclamari, necnon ad perpetuam rei memoriam in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani describi, & inseri. Dat. Mediolani die quintodecimo Nouembris MCCCLXXXVI. Comolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Obuiare nonnullorum fraudibus cupientes, qui in suorum præiudicium creditorum, Magistratuum, & Iusdicentium nostrorum forum declinare conantur, præsentium tenore decernimus, & mandamus; quod nullus cuiuscunque conditionis, gradus, ordinis, status, aut præeminentiæ existat debitor alicuius Ciuis, aut Subditi nostri, seu quoquomodo tenens, aut possidens de bonis cuiusuis Ciuis, aut Subditi nostri prædicti, possit occasione alicuius ordinis, dignitatis, aut status, vel priuilegij de nouo acquisiti, vel acquirendi postquam debitor fuerit, aut bona tenere, vel possidere cæperit, vt præfertur dictorum Magistratuum, vel Iusdicentium forum, & Iurisdictionem quacunque causa, vel ingenio declinare, & ab eis se eximere, sed ita coram Magistratibus, & Iusdicentibus prædictis respondere teneatur, & eisdem subijciatur in omnibus, & per omnia, quo ad debita contracta, & bona prædicta quemadmodum ante acquisitionem dicti ordinis, dignitatis, status, aut priuilegij tenebatur respondere, & subiectus erat, quibuscunq; Lege, Statuto, aut Decretis nostris in contrarium non obstantibus.

Quod carcerati existen. in carceribus Communis Mediolani, mittantur in scriptis Domino per dies quindecim ante Festum Natiuitatis, & Paschatis Maioris, necnon Beatæ Virginis Mariæ mensis Augusti.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, & tibi mandamus quatenus de cætero singulo anno per dies quindecim ante quodlibet festum Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, Paschatis Maioris, & Beatæ Virginis Mariæ mensis Augusti, tu, ac omnes, & singuli tui successores nobis in scriptis mittere debeatis nomina, & cognomina carceratorum existentium tunc in carceribus Communis nostri Mediolani, cũ causis propter quas, & tẽporibus quibus erunt in dictis carceribus; declarãdo etiam si condemnati pacem habebunt cum offensis, an ne, & hoc sub pœna floren. viginti quinque auri tibi, & ipsis tuis successoribus irremissibiliter auferenda, & nostræ Cameræ applicandorum. Mandantes insuper tibi quatenus has nostras litteras ad perpetuam rei memoriam describi facias in volumine

ne Statutorum ipsius nostri Communis Mediolani,& in sacramento præstando per Potestates ipsius Communis nostri Mediolani. Dat. Mediolani quarto Ianuarij MCCCLXXXVII. Comolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Ordo Domini super debitoribus Cameræ Domini in concludendo rationes dictorum debitorum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes de remedio prouidere, per quod illi, qui sunt, & apparent diuersimodè debitores Cameræ nostræ, vbi,& in quantum sint potentes ad soluendum solutionem debitam faciant, & qui reperiantur impotentes de parte, vel de toto gratiam à nobis, & misericordiam consequantur secundum indigentiam, & exigentiam sui status. Item etiam, vt rationes eorum, qui ex vna parte debitores apparent super libris Cameræ nostræ, & ab alia creditores sine debito concludantur, vt cessent extorsiones carceratorum executorum, quibus dietim ipsæ executiones committuntur, & sine sumptu debitorum, ordinamus introclusa capitula, quorum executionem commisimus Dominis Magistris Intratarum nostrarum, & Referendarijs Curiæ nostræ, mandantes vobis quatenus ipsa capitula, & cuiuslibet eorum continentiam, & tenorem publicari, & publicè diuulgari facere debeatis, adeò quod ad notitiam perueniant, tàm ciuium, quàm districtualium Ciuitatis nostræ Mediolani, eorum præcipuè, quos ipsa capitula tangunt ad prouidentiam agendorum. Dat. Mediolani die xxiij. Ianuarij MCCCLXXXVII. Luchottus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati, & Referendarijs nostris Mediolani.

Tenor capitulorum.

PRimo, quod Magistri Intratarum, & Referendarij Curiæ nostræ, diligenter videant, & examinent omnes debitores Cameræ nostræ, tàm occasione condemnationum, quàm datiorum, seu alia quauis ratione, vel causa.

Item, quod videant, & diligenter examinent, si ex dictis debitoribus sint aliqui potentes ad soluendum debitum ipsum insolidum, & ipsos dent in scriptis Officialibus deputatis ad exactionem debitorum Cameræ nostræ per modum, quod Camera ipsa suum debitum consequatur, & nos infestationem non habeamus supplicationum, quæ nobis sæpissimè exhibentur pro remissione debitorum ipsorum.

Item in casu, quod debitores ipsi non sint in totum potentes ad soluendum prædictum debitum, volumus, quod habeant ipsi Magistri, & Referendarij informationem de facultatibus ipsorum debitorum, & cum eis componant sicut melius poterunt, & eis videbitur expedire, scribendo nobis de compositione ipsa particulariter, & distinctè sicut occurret de tempore in tempus, vt proinde mandare possimus quid fieri voluerimus in prædictis.

Item si Magistri ipsi, & Referendarij habuerint veridicam informationem, quod aliqui ex ipsis debitoribus sint omnino impotentes ad soluendum, ipsos ponant per se in vna scripta sicut dictum occurret eos posse habere informationem de prædictis, & subsequenter rescribant vt supra. Cum hac tamen additione, quod non rescribant de aliquibus omnino ad soluendum impotentibus occasione debiti condemnationum factarum ad Cameram nostram, nisi solum de ijs, qui condemnati sunt ea occasione dumtaxat à Kalen. Ianuarij anni

anni MCCCLXXXV. retro, saluo si essent carcerati hoc faciant referibendo qualitatem delicti pro quo carcerati fuerunt, & quanto tempore stetterunt in carceribus.

Item, quod prædicti Magistri Intratarum, & Referendarij faciant de hoc fieri notitiam sicut expediet, & præcipuè super illis capitulis compositionis, & etiam impotentiæ ad soluendum, vt homines habeant causam accedendi ad ipsos ea occasione.

Item cum aliqui sint, & appareant ex vna parte debitores, & ab alia creditores ex diuersis causis super libris debitorum nostrorum, volumus, quod omnes illi, qui habent aliquas rationes concludere, quæ propter aliquas differentias, vel debita conclusæ non sint, compareant coram dictis Magistris, & Referendarijs nostris allegaturi, & docturi de iuribus suis. Qui quidem Magistri, & Referendarij super ipsarum rationum conclusione prouidebunt sicut dignum, & conueniens erit. Et si quid obstabit ipsarum rationum conclusioni, obstacula scribant nobis ijdem Magistri, & Referendarij pro oui juris, & mandaturis eis nostram intentionem super ipsis.

Quod nullus audeat facere alienationem de aliquo Castro, siue Fortalitio in aliquam personam sine licentia Domini, siue Consilij Domini Ciuitatis, in cuius Territorio erit dictum Castrum, siue Fortalitium.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum, quod nuper condi fecimus, quod nulla persona vendere audeat, seu datum facere in aliquam personam de aliquo Castro, Fortalitia, vel loco forti, mittimus tibi ijs inclusam, volentes, & tibi mandantes, quatenus illud pro lege municipali, & decreto nostro seruando, & seruari inuiolabiliter faciendo facias ipsum decretum in locis consuetis iurisdictionis per nos tibi commissæ publicè diuulgari, ac in volumine aliorum nostrorum decretorum ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die quinto Februarij MCCCLXXXVII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Tenore præsentium statuimus, edicimus, & mandamus, quod non sit aliqua persona cuiuscunque conditionis existat, quæ audeat, vel præsumat vendere, seu datum, vel alienationem facere in aliquam personam cuiuscunque status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis existat de aliquo Castro, Fortalitio, vel loco forti positus in aliqua parte sub dominio nostro, sine nostra licentia, necnon deliberatione, ac consensu Consilij generalis illius Ciuitatis, seu Terræ in cuius territorio, Diœcesi, vel districtu fuerint huiusmodi Fortalitia, siue Castri, & si contra prædicta factum fuerit puniatur emptor, & venditor in libris quingentis Imper., & vlterius perdat venditor pretium, & emptor rem emptam. Quæ quidem pœnæ ipso facto perueniant, & ad nostram Cameram deuoluantur, & teneatur Potestas noster illius Ciuitatis, vel loci in cuius territorio, districtu, vel Diœcesi prædicta fuerint punire illos, qui contra hoc nostrum decretum præsumpserint aliqualiter faciendum. In quorum testimonium &c.

Quod

Quod fiat ius summarium per Iusdicentem Mediolani in quibuslibet causis, tàm ciuilibus, quàm criminalibus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum vnum fecimus nuper condi, quod vobis per exemplum mittimus præsentibus introclusum, mandantes vobis quatenus obseruantes hanc nostram intentionem, & obseruare ab alijs facientes de dicto nostro decreto in locis opportunis proclamationem fieri debitam faciatis, ac illud inseri, & describi in volumine Statutorum Ciuitatis nostræ Mediolani, ad perpetuam rei memoriam. Dat. Mediolani die xviij. Februarij MCCCLXXXVII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti inclusi sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia nostra semper hoc fuit, & est præcipua, & vniuersalis intentio nostrorum subditorum vtilitates, & commoda, summo studio procurare. Inde est, quod pro ipsorum nostrorum Subditorum abbreuiandis damnosis laboribus, & expensis harum serie, & præsentium tenore edicimus, decernimus, & mandamus, quatenus in omnibus, & singulis quæstionibus, causis, litibus, & controuersijs ciuilibus, ac etiam criminalibus ciuiliter motis, & quæ mouentur, seu moueri contigerit inter aliquas personas Ciuitatis, & districtus nostri Mediolani per quoscunque Iusdicentes, Magistratus, & Assessores fiat, & fieri debeat ius summarium, & expeditum cessantibus cauillationibus, & friuolis exceptionibus quibuscunque quantò magis fieri poterit cum honore nostro, hoc tamen addito, vel adiecto, quod per hoc nostrum decretum nostræ intentionis non est, quod Statutis Mercatorum dictæ nostræ Ciuitatis aliquid innouetur. In quorum &c.

Quod non possit appellari ab aliqua sententia criminali criminaliter mota.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mandamus tibi præsentis nostrum decretum ijs interclusum, quod nullus à sententijs criminalibus latis valeat appellare pro lege, & decreto nostro seruando, & seruari de cætero faciendo facias in locis consuetis Iurisdictionis tibi commissæ publicè diuulgari, & in volumine aliorum nostrorum decretorum ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die xxj. Februarij MCCCLXXXVII. Gasparinus. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cum propter appellationes quas sæpiùs à sententijs latis in causis criminalibus interponi contingit delinquentium pœnæ calumniosis machinationibus suspendantur, & plurimù lædantur iura Fiscalia, præsentium tenore de nostræ plenitudine potestatis statuimus, & mandamus, quod à nulla sententia in causa criminali criminaliter mota possit per aliquem appellari, aut appellatio aliqua etiam ad nos quouismodo interponi, quam appellationem si fuerit interpositam ex nunc decernimus irritam, & inanem. Volentes dictam sententiam ita per omnia executioni mandari, ac si dicta appellatio interposita non fuisset, aliquibus Legibus, Statutis, Prouisionibus, vel Decretis in contrarium latis non obstantibus etiam si de eis fieri debuisset mentio specialis. In quorum &c.

Quod non

Quod non emantur, nec vendantur fœminæ, & contra Lenones, & Matronas prostibulorum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mandamus tibi quatenus decretum nostrum præsentibus inuolutum super arcendis Lenonibus, & tollendis inconuenientijs Meretricum publicarum seruando, & seruari inuiolabiliter faciendo, illud facias in locis consuetis Iurisdictionis tibi commissæ publicè diuulgari, & in volumine aliorum nostrorum Decretorum ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die xxvij. Aprilis MCCCLXXXVII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Viro Poteslati nostro Mediolani. Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Attediati iamdiù querelis innumeris, quod nonnullæ personæ omnino vilissimæ de vituperoso, & abominabili corporum vulgatarum Meretricum quæstu vitam suā satagunt, tàm turpiter, quàm miserabiliter prorogare. Nonnunquam sibi propterea venditiones mulierum, ac prostitutiones earum artæ lenocinia procurantes, & proinde volentes prædictis, & alijs dependentibus ab eisdem nefandis actibus, prout omninò congruit, prouidere, præsenti nostro decreto edicimus, decernimus, & mandamus.

Primò, quod nulla persona audeat, vel præsumat emere, vel quouismodo acquirere, seu sibi concedi facere, vel procurare, quod aliqua mulier ducatur ad prostibulum, vel quod prostituatur, nec etiam vendere, vel quouismodo concedere, aut procurare, quod aliqua mulier ducatur ad prostibulum, vel prostituatur, nec superindè aliquam obligationem, promissionem, sacramentum, aut contractum facere, sub pœna capitis, & quod qualibet promissio, obligatio, venditio, alienatio, sacramentum, vel contractum proinde facti, vel fiendi sint nullius valoris, aut momenti, & de ipsis, & eorum occasione non fiat ius per aliquem Iusdicentem, vel Officialem, sed pro infectis penitùs habeantur.

Item, quod nulla persona cuiuscunque status, gradus, vel conditionis existat, audeat, vel præsumat tenere in prostibulo aliquam mulierem, nec ab ipsa more lenocinij aliquid accipere, sub pœna librarum quinquaginta tertiolorum, & è conuerso, quod nulla Meretrix prostibularia debeat tenere aliquem Lenonem, sub pœna prædicta, & vltra, & quod quilibet possit accusare, & denuntiare Officiali super prædictis deputando omnes, & singulos Lenones, & Meretrices facientes contra prædicta, & habebit medietatem suprascriptæ pœnæ, & vltra per annum vnum banniatur de Ciuitate, & Comitatu Mediolani.

Item, quod nullus audeat, vel præsumat tenere pro eius Concubina, vel Amasia aliquam mulierem facientem publicè quæstum corporis sui in prostibulo Mediolani, nec alibi, nec cum ipsa in domo, nec tamquam de eius familia habitare, sub pœna prædicta.

Item, quod illi de quibus est notorium, quod huiusmodi nefandam artem Lenocinij exercent statìm cōpellantur de Ciuitate, & Comitatu Mediolani recedere.

Item, quod dictus Potestas Mediolani teneatur saltem bis in anno facere fieri de prædictis proclamationes, & diligentes inquisitiones, & punire delinquentes in prædictis.

Item, quod Antiani Parochiarum Ciuitatis, & Suburbiorū Mediolani teneantur notificare dicto Domino Potestati omnes contrafacientes in eorum Parochijs infra tres dies ex quo verisimile fuerit eos habuisse pro prædictis notitiam, sub pœna librarum decem tertiolorum, & intelligatur ipsos habuisse

se notitiam postquam de prædictis fuerit publica vox, & fama in eorum Parochijs.

Item, quod Dominus Potestas Mediolani teneatur, & debeat prædicta omnia, & singula executioni mandare, & super prædictis procedere, punire, & condemnare summariè, de plano, sine strepitu, & figura iuditij, omnique iuris, & Statutorũ solennitate omissa, etiam diebus feriatis, & non feriatis.

Item, quod nulla persona possit post tertium sonum campanæ cum Meretricibus stare in dicto prostibulo, sub pœna librarum quinque tertiolorum, nec cum dictis Meretricibus hospitari in hospitio della Balestra, seu alla Seria, nec in alijs Tabernis ibi vicinis, & propinquis, in quibus locis prædicti Lenones dictas Meretrices nocturno tempore ducunt, & tenent, & hoc sub pœna prædicta.

Item, quod dicti hospites non audeant, vel præsumant quoquo modo receptare, seu in domo tenere post tertium sonum campanæ aliquam Meretricem, seu Lenonem, sub pœna librarum decem tertiolorum.

Item, quod Matrona dicti prostibuli non audeant, nec præsumant quouismodo receptare, nec in earum domibus tenere de die, vel de nocte aliquem Lenonem dictarum Meretricum, sub pœna librarum xxv. tertiolorum. Insuper, quod ipsa Matrona teneantur, & debeant denuntiare illi Officiali, cui spectat omnes, & singulos, qui essent Lenones Meretricum, quas tenerent in domo, & omnes, & singulas Meretrices, quæ haberent dictos Lenones, seu conuersarentur cum ipsis, & hoc sub pœna librarum xxv. tertiolorum.

Item, quod si per aliquam personam foret accusata aliqua Meretrix, seu Leno, & probaretur præfatam Meretricem, seu Lenonem contra prædictos ordines aliquid fecisse, quod illa Matrona, quæ habebit dictam Meretricem in domo cadat in dictam pœnam librarum vigintiquinque tertiolorum.

Quod non possit appellari à sententijs, seu arbitramentis factis per arbitros.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoddam decretum per nos nuper editum per exemplum mittimus tibi præsentibus inclusum, mandantes tibi quatenus ipsius continentia in iurisdictione per nos tibi commissa publicari facias sic quod ad notitiam personarum dictæ tuæ Iurisdictioni suppositarum peruenire possit, & illud in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani describi, & inseri pro lege deinceps inuiolabiliter obseruandum. Dat. Mediolani die primo Maij MCCCLXXXVII. Franciscolus. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Extinguere cupientes perplexitatum materias inter nonnullos ex Subditis nostris pullulantes verum vlz. à sententijs ferendis per arbitros, vel arbitratores, seu amicabiles compositores per partes voluntariè, & amicabiliter assumptos liceat appellari iuxta formam decreti nostri editi super ordinibus causarum MCCCLXXXVI. die xj. Aprilis, an non liceat appellari secundum formam, & tenorem dicti decreti, slz. solummodo circa dictorum arbitramentorum obseruationem, vel infirmationem debeant iura municipalia Ciuitatum, & Terrarum nostro dominio subiectarum, & ipsis deficientibus forma, & ordo iuris communis obseruari. Ea propter huiusmodi dubium tollere volentes, statuimus, decernimus, & mandamus, quatenus à sententijs, & arbitramentis ferendis per arbitros, & arbitratores, seu amicabiles compositores, non liceat aliter appellari, prouocari, infringi, vel aliter contrairi, nisi

nisi eatenus quatenus, & eis modo, & forma, quibus concessum esse reperiatur à iuribus municipalibus illius Ciuitatis, Terrae, vel Iurisdictionis, in quibus, seu quorum Territorio ipsa pracepta, & arbitramenta facta fuerint, & in eorum defectum, quatenus, & quomodo iura communia concedunt, idemque seruetur in omnibus, & per omnia in sententijs, & arbitramentis latis antè tempus vltimi decreti per nos editi super ordine causarum, & publicati MCCCLXXXVI. die quarto Octobris, à quibus non extiterit appellatum secundum formam, & tenorem dicti decreti editi MCCCLXXXVI. die xj. Aprilis decreto nostro de quo supra fit mentio, cui in hac parte ex certa scientia, & de nostrae plenitudine potestatis derogamus aliqualiter non obstante. In quorum testimonium praesentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die primo Maij MCCCLXXXVII., decima Indictione.

Quod nullus Subditus Domini stet in seruitijs Domini Veronensis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Audientes, quod nonnulli ex Ciuibus, & Subditis nostris ad hunc sunt ad stipendia, & aliter in seruitijs Domini Veronensis hostis nostri, decernimus, & præsentium tenore declaramus, quod non sit aliquis Ciuis, vel Subditus noster cuiuscis conditionis existat, qui audeat, vel præsumat in aliquibus seruitijs, nec in Terris, & locis eidem Domino Veronensi suppositis à Kalen. Iunij prox. fut. in antea sub colore, vel prætextu aliquo residere, nec qui ad seruitia præfati Domini Veronensis se in posterum conferre sine expressa licentia nostra, sub pœna æris, & personarum. Statuentes ex nunc, quod si quis contraire præsumpserit vitam perdat, & eius bona nostræ Cameræ totaliter applicentur, quod quidem decretum nostrum inseri volumus in volumine Decretorum nostrorum, Statutorumque Communis nostri Mediolani, & in locis consuetis Ciuitatis nostræ Mediolani, eiusque Comitatus ne ignorantia prætendi possit diuulgari volumus publicari voce præconis. Dat. Papiæ die sexto Maij MCCCLXXXVII. Pasquinus. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod Syndicatores non recipiant pro eorum salario aliquid ab aliquibus Communibus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cupientes quantò plus possumus Communia, & Subditos nostros ab expensis alleuiare, ordinauimus, quod Cōmunia, & Subditi nostri aliqualiter non grauentur per Syndicatores nostros, occasione Syndicatuū per eos fiendorū de Potestatibus, Capitaneis, Vicarijs, & Officialibus nostris, slz., quod ipsi Syndicatores nostri eorū prouisiones à Camera nostra habeant, & percipiant à Kalen. mensis Iunij prox. futur. in antea, & de ipsis prouisionibus contenti omnino remaneant. Et propterea volumus, & tibi mandamus quatenus statim ordines des cum effectu, quod Ciues, & districtuales nostri Mediolani occasione Syndicatuum prædictorum, vt præfertur fiendorum per Syndicatores nostros expensam aliquam à dictis Kalendis Iunij prox. fut. in antea nullatenus supportet. Decernentes, & volentes, quod de prædictis quibuscunque Officialibus iurisdictionis per nos tibi cōmissæ notitiam fieri, necnon ad perpetuam rei memoriam præsentes inuiolabiliter obseruari, & in volumine Statutorum

tutorum Communis nostri Mediolani describi facias, & registrari. Dat. Mediolani die xvij. Maij MCCCLXXXVII. Franciscolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Concessio facta per Dominum possendi ire venatum cum Accipitribus, & Leporarijs in certis partibus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus tibi his inclusum ordinem per nos editum, quod quilibet possit venare cum Accipitribus, & Leporarijs infra confinia, prout videbitis in eo contineri. Volentes, & tibi mandantes quatenus ipsum iuxta ipsius continentiam in locis consuetis Ciuitatis nostræ Mediolani publicè diuulgari facias. Dat. Papiæ xvij. Iunij MCCCLXXXVII. Pasquinus. A tergo Nobili Viro Potestati nostro Mediolani.

Ordo Domini.

PRimo vult, quod quilibet possit ire venatum cum Accipitribus, & Leporarijs vlz. de Porta Cumana Mediolani ad locum de Niguarda per stratam, qua itur rectè ad locum de Niguarda à mane parte, & à Niguarda ad Capsinas de Biccoca, & à dictis Capsinis ad locum de Segrano, & à dicto loco Segrani, vsque quo diuiduntur strata de Balzamo, & de Cinisello ad illam de Modoetia scilicet versus Mediolanum tantùm, & à strata Modoetiæ versus Lambrum, vsque ad locum de Sexto, & non vltra.

De oneribus sustinendis per habentes possessiones in diuersis Iurisdictionibus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam decreti per recolendæ memoriæ Reuerendum Patrem quondam Dominos Ioannem Archiepiscopum, & Luchinum fratres Vicecomes &c. mittimus tibi præsentibus introclusam, volentes, & tibi mandantes quatenus ipsum decretum pro lege municipali seruando, & seruari inuiolabiliter faciendo facias illud in locis consuetis Iurisdictionis tibi commissæ publicè diuulgari, & in volumine aliorum nostrorum Decretorũ, & Statutorũ Communis nostri Mediolani ad perpetuam rei memoriam inser, & describi. Dat. Mediolani die xviiij. Iulij MCCCLXXXVII. & istud decretum locum habere volumus quando fiet nouum æstimum, & quando factum fuerit in Iurisdictione tua. Dat. vt supra. Gasparinus. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

NOS Ioannes *Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Luchinus fratres Vicecomes Mediolani, Laudæ &c. Domini generales. Cum multæ lamentationes, & querelæ quotidiè fiant per Ciues, vel habitatores Ciuitatis, vel Comitatus Mediolani, habentes eorum possessiones, tam in alienis districtibus, quàm in districtu Mediolani, & maximè per nostros Ciues, & districtuales Mediolani habentes possessiones super Territorio Laudæ, & è conuerso contingere posset de alijs ciuibus, & districtualibus aliarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum habentibus terras, & possessiones in districtu Mediolani, & in alijs nostris Terris, quàm in illa vnde ciues sunt, vel districtuales. Ideircò ad tollendas omnes quæstiones, quæ super hoc possent oriri illis de causis, vel dependentibus, seu*

connexis ab eis deliberatione habita cum Vicarijs nostris, quibus mandamus ipsum negotium examinandum, & quid sit fiendum in prædictis pro pacifico statu, & quiete nostrorum subiectorum, & ne aliquis indebitè aggrauetur pro bono æquitatis, & Iustitiæ. Volentes nullum plus debito aggrauari; sed teneri, & soluere, vt debet, æquitate maxime considerata, ac etiam quod hactenus in similibus est seruatum, cum scriptum sit, quod in rebus nouis constituendis euidens debet esse vtilitas, ne recedatur ab eo iure, quod diù æquum visum est. Volumus, edicimus, & mandamus, quod omnes Ciues, & habitatores Ciuitatis, & Comitatus Mediolani, & aliarum Ciuitatum, & districtuum nostro dominio subiectorum habentes possessiones in eisdem Ciuitatibus, vel earum territorijs vnde sunt oriundi, vel originarij, vel Ciues, vel habitatores, & habitantes continuè in eis tempore Hyemali, vel qui in futurum continuè habitabunt, licet habeant possessiones in alienis districtibus, vbi non sunt Ciues, habitatores, vel originarij, teneantur, & debeant soluere taleas, fodra, & alia onera eis imposita, & imponenda de cætero in ea Ciuitate, vel loco vnde sunt Ciues, habitatores, vel originarij continuè habitantes, etiam pro possessionibus, quas habent in alienis districtibus. Et pro eis ab alijs in quorum territorio sunt positæ non grauentur. Verùm si aliquis ex Ciuibus, vel habitatoribus originarijs Ciuitatis, vel Comitatus Mediolani, vel alterius Ciuitatis, vel territorij non habitans in eisdem Ciuitate, vel territorio vnde Ciuis est, vel originarius habeat vniuersas possessiones, & bona in alia Ciuitate, vel territorio vbi habitat, ita quod nihil habeat in ea Ciuitate, vel districtu vnde Ciuis est, vel originarius, tunc, & eo casu ille talis Ciuis teneatur, & debeat prædicta onera sustinere in ea Ciuitate, vel loco vbi habitat tempore Hyemali, & habet possessiones suas. Si verò aliquis Ciuis Mediolani, vel eius Comitatus, vel alius alterius Ciuitatis, vel districtus habitauerit continuè in alia Ciuitate, & districtu, quàm ibi vbi originaliter Ciuis est & in vtraque Ciuitate, vel loco possessiones, & bona habeat, tunc sustinere debeat onera prædicta ei imposita, vel imponenda in vtraq; Ciuitate, vel loco pro ea parte tantùm possessionum, & bonorum, quæ habet in qualibet dictarum Ciuitatum, & territoriorum, tàm vnde est originaliter Ciuis, quàm vbi habitauerit. Si verò habitaret in alia Ciuitate, Terra, vel loco, quàm vnde est oriundus, & haberet terras, vel possessiones in ea Ciuitate, vel loco tantùm vnde est oriundus, tunc pro eis possessionibus, & terris soluere teneatur in loco sui originis, & prædicta locum habeant, tàm in causis pendentibus, quàm futuris. In cuius nostri decreti testimonium has patentes conscribi, & registrari iussimus, nostrorumq; sigillorum munimine roborari. Dat. Mediolani die octauo Iunij anno Dominicæ Natiuitatis Millesimo trecentesimo quadragesimo quinto tertiadecimæ Indictionis.

De modo applicandi bona malefactorum Cameræ Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoddam decretum per nos nuper editum per exemplum tibi mittimus his inclusum. Mandantes tibi, quatenùs ipsius continentiam in iurisdictione per nos tibi commissa publicari facias, sic quod ad notitiam personarum dictæ tuæ iurisdictioni suppositarum peruenire possit, & illud in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani describi, & inseri pro lege deinceps inuiolabiliter obseruandum. Dat. Mediolani die primo Septembris MCCCLXXXVII. Franciscolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Considerantes, quod pœnæ aliæ graues, aliæ grauiores maleficiis pro eorum qualitatibus imponuntur, & hoc ad finem, quod audacia malorum, quorum infinitus est numerus, ab illicitis refrænetur; quare volentes quantum possumus obuiare ne infrascripta maleficia committantur, & prouidere, quod si commissa fuerint animaduersione debita puniantur. Tenore præsentium edicimus, decernimus, & mandamus, quod quicunque commiserit homicidium, assassinamentum, robariam, incendium, aut raptum virginum mulierum, siue committi fecerit, & per contumaciam condemnatus fuerit ad mortem ex aliquo criminum prædictorum bona ipsius Cameræ nostræ publicentur, & ipso iure publicata, & incorporata à die commissi criminis intelligantur, iure tamen legitimè ascendentium, & descendentium reseruato. In quo nullum intendimus ex præsenti nostro decreto fieri præiudicium; quorum executionem ad obuiandum fraudibus, & extorsionibus Mediolani perpetratis, tàm in nostræ Cameræ præfatæ, quàm nostrorum non modicum præiudicium Subditorum fieri volumus in hunc modum vlz. Quod Potestas, seu Rector illius Ciuitatis, vel Terræ in cuius districtu fuerit crimen commissum teneatur, & debeat postquam notitia commissi criminis ad ipsum peruenerit infra duos dies mittere Collateralem suum, siue Notarium Maleficiorum, si Notarius forensis ibi fuerit ad maleficia deputatus, ad scribendum bona illius, quod inculpabitur de crimine prædicto. Cum quo Collaterali, siue Notario forensi teneatur Referendarius, vel eius Locumtenens illius Ciuitatis, vel loci, si ibi tunc fuerit, Notarium suum mittere. Qui Collateralis, seu Notarius forensis, & Notarius Referendarij in præsentia Consulis, siue Antiani, & duorum bonorum hominum Contratæ, seu Parochiæ, vbi bona dicti inculpati esse contingant (si fuerit in Ciuitate, & si fuerit in Villa, vel Castro, in præsentia Consulis, siue Antiani, & duorum bonorum hominum illius villæ, vel Castri, vbi fuerint bona prædicta) debeant quilibet per se scribere, & notare omnia bona mobilia, & immobilia inculpati prædicti, & ea consignare Antianis, siue Consulibus, & bonis viris prælibatis, & hoc vbi bona illa sint in Iurisdictione illa in qua crimen commissum sit. Si verò fuerint in alia iurisdictione, tunc debeat dictus Potestas, siue Rector infra dictos dies duos scribere Potestati, siue Rectori, & Referendario Iurisdictioni prædictæ, vt faciant prædictam descriptionem, quam, modo supradicto, infra alios duos proximos dies ad faciendum mittere teneantur, quā descriptionem idē Potestas, vel Rector, & Referendarius mittere debeant infra octo dies postquam facta fuerit Mediolanum Officialibus possessionum nostrarum; teneatur insuper, & debeat dictus Potestas, siue Rector post condemnationem per contumaciam factam de aliquo criminum prædictorum, si bona fuerint in iurisdictione sibi commissa infra duos dies facere proclamari, tàm per Ciuitatem, vel Terram in locis publicis consuetis, quàm extra in locis, vbi dicta bona esse contingant, quod quilibet, qui prætendat se creditorem talis condemnati teneatur infra vnum mensem à die cridæ factæ comparere coram dicto Potestate, vel Rectore, & in scriptis producere omne, & totum id, quod habere prætendit à dicto condemnato, & in eius bonis, & hoc si fuerit intra Iurisdictionem illius Ciuitatis, vel Terræ in qua condemnatio facta fuerit; si verò fuerit extra Iurisdictionem prædictam, in Terris tamen dominij nostri, tunc statuatur sibi terminus trium mensium ad comparendum vt supra; si autem fuerit extra Terras dominij nostri, tunc præfigatur spatium sex mensium ad comparitionem prædictam, quem terminum sex mensium locum habere decernimus etiam

in pupillis, furiosis, & viduis, ac mulieribus prætendentibus iura dotalia; quibus terminis elapsis, singula singulis referendo, nulla admittatur productio iurium contra bona talis, vt præmittitur, condemnati; si autem bona prædicta fuerint extra Iurisdictionem prædicti Potestatis, vel Rectoris, tunc teneatur, & debeat infra duos dies prædictos scribere Potestati, siue Rectori illius loci in quo fuerint bona condemnati prædicti, quod fieri faciant cridam prædictam sicut superius continetur, & ille Potestas, siue Rector, cui mandatum fuerit, infra alios duos dies eandem cridam fieri facere teneatur; si quē autē comparere contingat producentem aliqua iura in bonis condemnati prædicti coram dicto Potestate, vel Rectore: volumus prædictum Referendarium interesse omnibus productionibus iurium præfatorum, & Aduocatos habere pro Camera nostra prædicta, qui diligenter iura ipsius Cameræ defendant, ne fraus aliqua committatur, & si comparuerit quemquam per calumniam manifestam aliquid indebitè petens in bonis condemnati prædicti, volumus ipsum in quadruplum eius, quod peteret condemnari. Volumus insuper, quod Potestas, siue Rector prædictus teneatur, & debeat examinasse, & expediuisse infra duos menses à die primæ comparitionis computandos omnem processum, quem fieri contingeret occasione aliquorum iurium, quæ producerentur contra bona condemnati prædicti, & infra dictos duos menses ijs quos reperierit ius habere in bonis prædictis, vel veros esse creditores condemnati prædicti. Quæ bona si in solutum dari contingat, volumus æstimari per æstimatores illius Ciuitatis, vel loci in quo fuerit Potestas, vel Rector prædictus, adiunctis eisdem æstimatoribus duobus bonis Viris per dictos Potestatem, & Referendarium eligendis, qui delato eis sacramento iurent se fideliter æstimare, & quod Referendarius antedictus sit, & esse debeat præsens æstimationi, quæ fiet, & fieri continget per dictos æstimatores, habendo tàm bonam, & diligentem aduertentiam, quod in facto æstimatio huiusmodi nulla fraus valeat quoquo modo committi. Factis autem satisdationibus prædictis, teneantur dicti Potestas, siue Rector, & Referendarius notificare Officialibus possessionum prædictarum omnia illa, quæ fuerint restituta, vel in solutum data de bonis supra descriptis, vt residuum ponatur ad rationem Cameræ prædictæ, at si, nullo comparente infra terminum dictæ cridæ, aut comparente sine legitimis iuribus contra bona prædicta, nihil fuerit restitutum, aut in solutum datum, præfati Potestas, siue Rector, & Referendarius notificare debeant Officialibus prænominatis, quod de dictis bonis descriptis nulla fuerint relaxata, post quas notificationes, & non ante, volumus præfatos Officiales facere describi in libris Cameræ nostræ præfatæ bona illa, quæ penès ipsam Cameram remanserint publicata. Si autem Potestas, siue Rector, & Referendarius prædicti omnia, & singula supradicta facere, & executioni mandare neglexerint, quemlibet eorum in salario vnius mensis nostræ Cameræ applicando præsenti decreto mulctamus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die primo Septembris 1387. Vndecima Indictione.

Quod Subditi Laici non valeant conueniri, nisi sub Iudicibus Laicis, & è conuerso.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus vobis introclusum exemplum cuiusdam decreti, quod fecimus super eo, quod Clerici sub Iudicibus Ecclesiasticis, & Laici sub Iudicibus Laicis

Laicis tantùm valeant conueniri. Volentes, quod ipsum decretum nostrum diuulgari, & practicari faciatis per totam Iurisdictionem vobis commissam, & inseri in volumine Statutorum, & aliorum decretorum nostrorum ibidem existentium. Dat. Mediolani die quartodecimo Aprilis MCCCLXXXVIII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani præsenti, & futuris.

Tenor decreti talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Prouidere volentes, quod Subditi nostri laici ex eo, quod extra Iurisdictionem eorum trahantur per Ecclesiasticas personas ad litigandum non frustrentur laboribus, & expensis, prout iam, vt sensimus, sunt frustrati; per præsentes decernimus, edicimus, & mandamus, quatenùs ipsi Subditi nostri Laici non valeant conueniri, nisi sub eorũ Iudicibus Laicis, quodq; non queant ad aliud forum trahi, & è conuerso Clerici dominij nostri non possint, nisi sub eorum Iudicibus Ecclesiasticis conueniri, neq; ad aliud trahi forum. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xiiij. Aprilis MCCCLXXXVIII. Indictione vndecima.

Quod furiosi, & mentecapti custodiantur per parentes, vel carcerentur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Abhorrentes mirùm in modũ temerarios actus amentium, qui, vt frequenter accepimus cum querela, concitati furijs in Subditos nostros nonnunquam fæuiunt, nunc istum, nunc illum, prout furor arma ministrat, afficientes varijs incommodis, iniurijs, & feritis. Et eatenùs prouidere volentes, quemadmodum alias ordinauimus, & prout nostri est debiti, & honoris, quod huiusmodi mentecapti non possint ad prædictorum nostrorum Subditorum offensas, & damna manus suas violentas extendere, hoc nostro decreto edicimus, decernimus, & mandamus, quatenùs per Potestates, & Vicarios Ciuitatum, & Terrarum nostrarum fiat diligens inquisitio si in iurisdictione eis commissa sunt aliqui furiosi, insani, & mentecapti, & si sint, vel fuerint eorum scriptis nominibus interpellari faciant parentes ipsorum, fratres, consanguineos, vel agnatos, seu quos proximiores habuerint si velint ipsos insensatos custodire, & tenere inclusos, an ne, & vbi velint, mandent eisdem, quod tàm diligenter hoc faciant, quod lædere, aut offendere nullum possint. In casu vero quo non, vel sint talis conditionis ipsi furiosi, quod neminem habeant ad quem ipsorum cura, vel custodia pertineat, volumus, quod faciant eos carceribus mancipari. Iniungentes illis ad quos spectat, quod debitis alimonijs eis debeant prouidere. Si verò ipsi mentecapti non habeant bona propria, seu parentes, fratres, cognatos, vel agnatos ad quos spectaret prouisio alimentorum ipsorum mentecaptorum, faciant eisdem eleemosynis prouidere sicut alijs personis pauperibus carceratis. Cæterùm, quia hoc pluries mandasse recolimus, quod vsque huc obseruatum esse non comperimus: notificamus ipsis Potestatibus, & Vicarijs, quod quandocunque senserimus in dicta eorum iurisdictione tales insanos discurrere, & quempiam damnis, vel offensis, aut iniurijs lacessere condemnabimus, & ex nunc, prout ex tunc condemnauimus in floren. centum nostræ Cameræ applicandorum, & hoc totiens quotiens contra factum fuerit in prædictis. In quorum testimonium præsentes fieri

fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xxviij. Aprilis MCCCLXXXVIII. Indictione vndecima.

Quod decretum factum de conuentione Clericorum, sub Clericis, & econuerso, non habeat locum in quæstionibus motis ante publicationem dicti decreti.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quandam declarationem, quam permodum decreti fecimus super decreto nostro nupercõdito pro Clericis sub Clericis, & Laicis sub Laicis couueniendis, vobis dirigimus inuolutam. Mandantes vobis, quatenus ipsam nostram declarationem per loca iurisdictionis vestræ diuulgari faciatis, ac inseri in volumine aliorum Decretorum nostrorum ibidem existentium. Dat. Mediolani die duodecimo Maij MCCCLXXXVIII. Iacobinus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Hæsitari per nonnullos sentientes, si Decretum nostrum de conuentione Clericorum, sub Clericis, & Laicorum sub Laicis nuper conditum debeat in quæstionibus motis, & incohatis ante publicationem ipsius locum habere, vel non, & tollere volentes hæsitationem, & ambiguitatem huiusmodi: præsentium serie declaramus, & decernimus, quod idem nostrum decretum se extendere, & locum habere non debeat in quæstionibus ante publicationem eius quo supra motis, & inceptis. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani vndecimo Maij MCCCLXXXVIII.

Quod aliquis non possit habere officium à Domino, nisi elapso anno.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia dietim maior fit concursus personarum à nobis officia exposcentium, & non possumus omnibus ipsis officijs complacere. Tenore præsentium, ad hoc, vt omnibus alijs, qui officia non habuerunt alternatim, sicut cupimus, queamus de ipsis eisdem prouidere. Mandamus, & decernimus, quod illi, qui ab vnó anno citrà steterunt in nostris officijs, & præsentialiter sunt, non possint, vsque ad lapsum alterius anni à nobis officia obtinere, Capitaneos tamen Ciuitatum, Referendarios, Officiales banchi stipendiariorum in hoc ordine minime computamus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xij. Maij MCCCLXXXVIII. Indictione vndecima.

Quod nullus habens parentes in aliqua Ciuitate possit ibi esse Potestas, Vicarius, Iudex Maleficiorum, Assessor, vel Collateralis.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ne Subditis nostris, quos nobis cordi inest æqua sub lance iustitiæ gubernari, querelas vllas, quibus aures nostræ persæpè ad hactenus pulsæ sunt de Potestatibus, seu Rectoribus Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, eo quod interuenientibus aliquibus parentibus, quos in ipsis nostris Ciuitatibus ha-

bent à iuris cale deuiet odio, vel amore nobis à modo materia præbeatur. Harum continentia decernimus, edicimus, & iubemus, quod nullus de cætero possit præesse regimini alicuius Ciuitatum, & Terrarum nostrarum habentium merum, & mixtum Imperium, in qua habeat ascendentes, vel descendentes in quouis gradu, similiter transuersali, seu Collaterales agnominis, vel cognominis, vsque ad quartum gradum inclusiuè secundum iura ciuilia, computandum, etiam socerum, socrum, filiosque eorum &c. & hoc idem intelligimus de Vicarijs, Iudicibus Maleficiorum, Assessoribus, & Collateralibus ipsius Potestatis. In quorum testimoniũ præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xviij. Maij MCCCLXXXVIII.

Quod Potestates, & alÿ Officiales non habeant salarium pro eo tempore, quo stabunt absentes à suis officijs vltra viginti dies in anno.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ferentes molestiam, quod Potestates, Vicarij, & Officiales Ciuitatum nostrarum ab officijs sibi commissis vltra debitum stent absentes cum incommoditate Subditorum nostrorum, condidimus ordinem, & decretum tenoris præsentibus introclusi, quod volumus habere locum, tàm in personis vestrorum Potestatis, & Referendarij, quàm aliorum Officialium nostræ Ciuitatis Mediolani, & tàm præsentium, quàm futurorum, & ne nemo possit ignorantiam prætendere, volumus, vt ipsum decretum intimetis Communibus, & hominibus Terrarum suppositarum Ciuitati nostræ prædictæ habentium Vicarios, vel Rectores, illudque ad æternam rei memoriam faciatis inseri, & describi in volumine Statutorum dictæ nostræ Ciuitatis obseruandum pro lege deinceps. Dat. Mediolani die xxiij. Maij MCCCLXXXVIII. Luchotus signauit. A tergo Egregio Militi, prudentique Viro Domino Potestati, & Referendario, necnon duodecim prouisionũ, ac Syndico Cõmunis nostræ Ciuitatis Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoniam Officiales, & Vicarij Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, plerumque licentias vltra debitum postulant absentandi se ab offitijs sibi commissis, non sine incommoditate Subditorum nostrorum. Tenore præsentis nostri decreti, statuimus, decernimus, ordinamus, volumus, & mandamus, & sic inuiolabiliter obseruari præcipimus, & iubemus, quod si de cætero aliqui ex Potestatibus, Vicarijs, & Officialibus nostris, ipsam licentiam obtinebunt vltra spatium viginti dierum in anno ab inde supra pro illis diebus, quibus absentes fuerint suum salarium non recipiant, quinimmo applicetur ipsum salarium suum pro tempore suæ absentiæ vltra dictos viginti dies in anno dumtaxat Cameræ nostræ. Datum Mediolani die vigesimo Maij Millesimo trecentesimo octuagesimo octauo.

Contra capientes Columbos, & tenentes retes.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Vt capientes pipiones fraudolenter, quod nobis valdè odiosum est causam habeant ab ipsorum captione se abstinendi, condidimus decretum introclusi tenoris. Mandantes vobis, quatenùs illud per quælibet consueta loca sup-

posita

posita Iurisdictioni vestræ faciatis publicari, sic, quod ad notitiam quorumlibet valeat peruenire, deinde ipsum in volumine Statutorum Communis Mediolani registrari pro lege, & decreto inuiolabiliter obseruandum. Rescribendo nobis de receptione præsentium. Dat. Mediolani die xxvij. Iunij 1388. Franciscolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad multiplices querimonias tollendum, quæ dietim nobis per Nobiles, & plurimos alios Subditos nostros habentes columbaria exhibentur, proeo, quod nonnulli columbos in graue damnum, & dispendium ipsorum Nobilium, & Subditorum nostrorum ceperunt, & quotidie capere nituntur, pro eorum indemnitate prouidere volentes de opportuno remedio, & talia committentes debita pœna puniri, vt de cætero ab huiusmodi columborum captione materiam habeant se penitùs abstinendi. Tenore præsentium decernimus, edicimus, volumus, & mandamus, quatenùs in territorio nostro non sit aliqua persona cuiusuis status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis existat, quæ audeat, vel præsumat capere Pipiones de retia duarum alarum, siue alia retia, laqueos, grates, vel aliqua ingenia fraudolenta quouismodo, sub pœna floren. vigintiquinque auri pro quolibet paito Pipionum, & qualibet vice soluendorum infra dies decem à die condemnationis fiendæ proximè subsequentes, quos si non soluerit prædicta pœna soluatur, & solui debeat per quatuor ex proximioribus Communibus illi loco in quo captio Pipionum ipsorum, seu Columborum facta fuerit, & quod dicta Communia occasione dicta pœnæ habeant actionem recuperandi denarios taliter exbursatos realiter, & personaliter contra reum; & quilibet possit accusare, & credatur suo sacramento si habuerit Columbarium, & si non habuerit Columbarium cum vno teste fidedigno, vel cùm sacramento si fuerit publica vox, & fama, & habeat tertiam partem pecuniæ prædictæ, alia tertia pars perueniat ad Cameram nostram, & alia in illum, cui damnum fuerit illatum.

Item, quod reus teneatur restituere damnum passo iuxta eius sacramentum, & si non habuerit ad soluendum Communia proximiora prædicta ad illud teneantur vt supra, & habeant erga reum ipsum illam actionem realem, & personalem, quæ supra dicta est de pœna floren. vigintiquinque auri.

Item, quod nullus teneat retia duarum alarum, neque retia, quæ copertoriæ appellantur in eorum, nec aliorum domibus, nisi primò bonam, & idoneam præstiterit securitatem in manibus Potestatis, vel Rectoris, in cuius Iurisdictione morabitur de non capiendo Pipiones, seu Columbos vt supra, sub pœna floren. vigintiquinque auri, & quilibet possit accusare, & credatur sibi cum sacramento, & vno teste fidedigno, vel cum sacramento si fuerit publica vox, & fama, vel si reperta fuerint retia prædicta, & habeat medietatem prædictæ condemnationis, & alia medietas perueniat Cameræ nostræ. In quam pœnam cadant, & cecidisse intelligantur omnes, & singuli, quibus retia prædicta reperta erunt, & qui securitatem ipsam non præstiterunt;

Item, quod Communia proximiora teneantur denuntiare ipsos tenentes retia prædicta illi Potestati, Vicario, vel Officiali, sub cuius Iurisdictione erit habens retia ipsa, sub pœna floren. vigintiquinque auri applicandorum Cameræ nostræ, & quod Potestates, Vicarij, vel Officiales in hoc habeant bonam aduertentiam, taliter, quod si ipsi Potestates, Vicarij, vel Officiales ipsa retia

reperierint

reperierint habeant medietatem dictæ condemnationis soluendæ per illos, qui securitatem non præstiterunt, vt præfertur. Decernentes, quod omnes aliæ pœnæ per Statuta, seu Decreta imposita pro prædictis, in quibus maxime pœna sanguinis ingeritur. per hoc præsens decretum nostrum interdicantur, & sint sublatæ. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die vigesimo septimo Iunij MCCCLXXXVIII., vndecima Indictione.

Quod nullus audeat furare aliquem Canem alicuius maneriei alicuius personæ.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Præsentibus insertum vobis mittimus decretum per nos editum contra illos qui furantur, & abducunt Canes &c. Quare mandamus vobis, quatenus ipsum decretum obseruando, & obseruari faciendo faciatis in locis publicis, & consuetis diuulgari, & proclamari, necnon illud idem in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die sexto mensis Iulij MCCCLXXXVIII. Franciscolus. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cupientes quantò plus possumus plurimis obuiare inconuenientijs, quæ quotidiè sequuntur pro canibus, qui accipiuntur, furantur, & abducuntur. Tenore præsentium edicimus, decernimus, & iubemus, quod nulla persona cuiuscunque status, & conditionis existat, audeat furare, vel furari facere, vel alio modo accipere aliquem leporarium, brachum, vel alicuius maneriei canem alicuius alterius personæ, sub pœna floren. vigintiquinque pro quolibet cane, cuius tertia pars applicetur Cameræ nostræ, alia tertia pars accusatori, & alia tertia pars Potestati, vel Officiali, qui fuerit executor dictæ condemnationis, & quod quilibet in cuius domo, vel cui inuentus fuerit talis canis intelligatur ipsum fuisse furatum, & incidat in dictam pœnam, nisi præsentauerit illum, qui sibi dictum canem dederit sufficientem, & idoneum ad soluendum dictam pœnam. Præterea nullus audeat conducere aliquem canem extra Ciuitates, & territoria dominio nostro subiectas, & subiecta, sine licentia, & bulleta Officialis bulletarum nostrarum in qualibet Ciuitate, & in Ciuitate Papiæ, sine licentia Antonioli Criuelli Magistri Caciarum nostrarum, sub pœna floren. decem auri pro quolibet cane, cuius medietas applicetur Cameræ nostræ, & alia medietas illi, qui inuenerit dictum canem conduci sine bulleta, & Officialis teneatur, & debeat in bulleta scribere dictos canes, pilum, seu taebas ipsorum, quas bulletas conducentes dictos canes portare debeant secum de vna Ciuitate ad aliam, & ipsas ad portas, & in omnibus passibus ostendere, & si inuenti fuerint sine bulleta suprascripta, incidant in dictam pœnam. Omnes verò alias pœnas limitatas super hac materia per Statuta, seu Decreta Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, si qua sunt, non intendimus locum habere in prædictis, sed eas esse interdictas, & sublatas. In quorū testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Datum Mediolani die sexto Iulij MCCCLXXXVIII., vndecima Indictione.

Quod

Quod bona apprehensa nomine Cameræ Domini possint exigi infra annum vnum per illos cuius erant ipsa bona, seu eorum hæredes.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum nostrum nouiter editum super apprehensionibus, & alienationibus bonorum immobilium debitorum Cameræ nostræ vobis per exemplum mittimus introclusum. Mandantes vobis, quatenùs illud ad litteram, prout iacet obseruetis, & per quoscunque inuiolabiliter obseruari faciatis, & vt de ipso quisquam scientiam,& notitiam habere valeat, faciatis illicò de ipso fieri publicas, & opportunas proclamationes ad loca Ciuitatis, & Comitatus nostrorum Mediolani, vbi,& in quibus solent, & debent fieri proclamationes, ac illud in volumine Statutorum ipsius nostræ Ciuitatis inseri, & registrari, & de receptione præsentium, & proclamationis certos reddatis per vestras litteras Magistros Intratarum nostrarum, & Referendarios Curiæ nostræ. Dat. Mediolani die octauo Iulij MCCCLXXXVIII. Luchorus,& Montenarius signauerunt. A tergo Egregio Militi Domino Porestari, & Referendario nostræ Ciuitatis Mediolani, necnon Sapien. Viro Domino Vicario, & duodecim prouisionum nostris ibidem.

Tenor decreti.

NOS Galeaz Vicecomes, Comes virtutum Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Cum sæpè contingat, vt debitores Cameræ nostræ pretextu bonorum per Offitiales nostros nomine Cameræ nostræ multa bona extitertut apprehensa, quorum occasione postmodum recepimus, & recipimus lamentellas à pretendentibus ipsa bona sibi, & non ipsis debitoribus nostris iure Dominij, vel quasi, vel hypothecæ, seu alijs varijs, & diuersis iuribus, atq; modis pertinere de iure. Cūq; etiam ipsimet nostri debitores fructus, & redditus, seu prouentus bonorum nostri nomine pro eorum debitis apprehensorum in credito, & ad extinctionem eorum debitorum sæpisumè allegauerunt computandos, quorum causa multæ altercationes, & dubia pullulauerunt. Ea propter ad huiusmodi tædia, & controuersias amputanda, & amputandas, ac volentes peruigili studio inter nos, ac debitores eosdem iustitiæ fontem ministrari, quodam modo eligentes etiam quamplurimum spectabilium, consilio habito diligenti, hoc nostro præsenti decreto in perpetuum valituro super prædictis duximus prouidendum. Statuentes, atq; mandantes, vt in prædictis, & eorum occasione ordo inferius pro lege perpetua inuiolabiliter obseruetur, & in voluminibus Statutorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum inseratur.

Inprimis volumus, quod si contingat de cætero aliqua bona apprehendi nomine Cameræ nostræ, vel alicuius nostri Communis pro aliquo debito dictæ Cameræ nostræ, vel Communis, quod possint ipsa bona exigi, & recuperari per illos, quorum occasione ipsa talia bona apprehendi contigerit, necnon per eorum hæredes, ac etiam per habentes ius, causam, vel datum ab ipsis, & hoc infra annum vnum proximè fut. à die quo suprascripta bona scripta fuerint in libris offitij negotiorum gestorum dictæ nostræ Cameræ ipsis soluentibus dictæ nostræ Cameræ, seu Communi, vel Offitialibus nostris super hoc deputatis, vel deputandis totum illud debitum, cuius occasione ipsa bona fuerint apprehensa. Scientes, quod si infra tempus suprascriptum bona ipsa non exigentur, seu non recuperabuntur intentionis nostræ est, & volumus quod ipsa bona liberè permaneant ipsi Cameræ nostræ absq; eo, quod de fructibus, & redditibus percipiendis ex dictis bonis, elapso

anno,

anno, possit aliquo tempore quicquam imputari, seu compensari in credito dictæ nostræ Cameræ, seu Communis per illos, quorum dici posset fuisse dicta bona, vel per eorũ hæredes, vel habentes ius, datũ, vel causam ab eosdem. Volentes, ac etiã decernentes de nostræ plenitudine potestatis; quod quantum ad computationem fructuum, & reddituum tantùm faciendam, vel non faciendam proinde habeatur, ac si bona ipsa Cameræ nostræ essent per debitores, vel per Iudicem solenniter in solutum data.

Item volumus vtsupra, quod negotiorum gestores possessionum Cameræ nostræ infra mensem vnum proximè futurum à die quo apprehensa, & descripta fuerint in libris eorum officij aliqua bona teneantur, & debeant facere publicè proclamari, & diuulgari ad scalas palatij Cõmunis Mediolani, & in locis, & Terris, & ad plateas locorum, & Terrarum, in quorum territorio erunt ipsa bona, quòd bona talis debitoris Cameræ nostræ, seu Communis iacentia in tali parte, & tali Parochia si fuerint in Ciuitate, & si fuerint in Commitatu in tali loco sunt apprehensa per Offitiales nostros, & descripta ad Cameram offitij possessionum nostrarum pro tali debito, & tali de causa, & quod si est aliqua persona cuiuscunq; status, & conditionis existat, quæ habeat, vel habere prætendat ius dominij, vel quasi, vel etiam hypothecæ, vel aliquod aliud ius in bonis ipsis vtsupra apprehensis, vel parte ipsorum teneatur, & debeat comparere, & in scriptis dare illud suum tale ius, quod habebit, seu habere prætendat in ipsis bonis, vel parte eorum coram ipsis negotiorum gestoribus nostris infra tres menses, si sunt præsentes, & maiores, & si sunt absentes, minores, vel viduæ infra sex menses proxime fut. à die dictæ proclamationis fiendæ vtsupra, & quod ipsi vna cum Vicario Prouisionum, & Referendario nostris facient eis summarie, & expeditè, & absq; vllo litigio Iustitiæ complimentum. Scientes, quod elapso dicto termino contra non comparentes vtsupra intelligantur esse, & sint incorporata in patrimonio nostro, ac si ipsa bona essent Cameræ nostræ solenniter in solutum data, vel per debitores, vel per Iudicem ad quem de iure hoc spectaret. Seruatis tamen prius, & adimpletis ijs, quæ continentur in capitulo penultimo huius decreti, & hoc vsq; ad concurrentem quantitatem eius, quod habere debuerit Camera nostra. Decernentes etiam prædicta de nostra potestatis plenitudine valere, & roboris firmitatem obtinere, & locum habere in bonis apprehensis, & quæ apprehendi contigerit tantùm in Ciuitate, Comitatu Mediolani. Si verò fuerint bona apprehensa, seu quæ apprehendi contigerit in aliquibus alijs nostris Ciuitatibus, Terris, Locis, Castris, Villis, Capsinis, vel Molandinis, aut ipsorum territorijs, vel districtibus, aut iurisdictionibus nostro dominio suppositis, vbi, & in quibus sunt Potestas, & Referendarius, tunc, & eo casu fiat proclamatio in locis debitis, & consuetis, modo, quatenus singula singulis, & congrua, congruis referendo ex parte Potestatis, & Referendarij talis iurisdictionis, & si fuerit Potestas tantùm, & non Referendarius, fiat crida, & proclamatio ex parte Potestatis tantùm, & si non fuerit Potestas, seu Vicarius, aut alius Rector, vel Offitialis, fiat crida ex parte ipsius Vicarij, aut Rectoris modo quo supra, facta tamen prius sibi notitia per negotiorum gestores, qui Offitiales recipiant omnes comparitiones quas fieri continget, easq; videant vtsupra, necnon omnia ipsorũ comparentium iura, omnemq; dationem in scriptis, quam facere voluerint, & super prædictis procedant, prout inferius declaratur in sequenti capitulo.

Itẽ volumus vtsupra, quod dicta proclamatio in scriptis figatur, & affixa dimittatur ad scalas Palatij Cõmunis Mediolani, & ad loca publica, & consueta aliarum Ciuitatum, seu locorum vbi dicta Crida facta fuerit, cuius vna copia mittatur,

tur Cameræ possessionum, & alia Vicario Prouisionum, & Referendario in Ciuitate Mediolani, & in alijs Ciuitatibus, & Terris, Potestati, Referendario, vel Officialibus deputatis, seu deputandis ad hoc, vt dicta Crida possit omnibus innotescere.

Item ad maiorem roboris firmitatem volumus vtsupra, quod si debitores, vel eorum heredes, aut habentes ius, causam, vel datum ab eis, necnon creditores eorum non comparuerint infra annum, vel comparuerint, & non soluerint, vel non habuerint meliora, & potiora iura, suprascripti Officiales, singula singulis, & congrua congruis referendo teneantur, & debeant dare, & dent in solutum bona sic apprehensa vsq; ad concurrentem quantitatem debiti Cameræ nostræ, & expensarum ea occasione factarum, seu negotiorum gestoribus super hoc deputatis, vel alteri eorum, facta prius per bonos viros super hoc eligendos per dictos Officiales æstimatione dictorũ bonorũ, ac etiam facta subhastatione dictorum bonorum publicè, & si dicta bona non essent tanti valoris, quantũ ascendat debitum Cameræ nostræ, quod reseruetur ius nostrũ, seu Cameræ nostræ pro residuo contra quoscunq; & si fuerint maioris valoris, superfluũ relaxare teneantur ijs ad quos spectat de iure. Quibus sic per actis per illos Officiales ad quos spectat, vel spectare poterit quomodolibet in futurũ, ponantur dicta bona in solutũ vtsupra data, & assignata iuxta debitum pro quo data fuerit in solutũ ad solidationẽ, & pro solidatione ipsius debiti, vsq; ad concurrentẽ dumtaxat quantitatẽ valimenti, & æstimationis ipsorũ bonorum sic æstimatorum, & in solutum datorum. Faciendo creditores ipsos debitores, & eorum fideiussores iuxtà debita sua, pro quibus bona eorum æstimabuntur, & dabuntur in solutum, vsque ad concurrentem quantitatem æstimationis pretij ipsorum, taliter quod pro ipsa quantitate æstimationis, & pretij ipsorum bonorum vtsupra æstimatorum, & datorum in solutum non possint ipsi debitores, nec eorum fideiussores, quorum fuerint ipsa bona aliquo tempore molestari, nec inquietari pro ipsis debitis, & hoc etiam ea intentione, quod ipsa bona sic æstimata, & in solutum data pleno iure sint, & esse intelligantur irreuocabiliter Cameræ nostræ, & absque eo, quod possit vllo tempore per ipsos debitores, vel habentes causam, vel datum ab eis, vel aliam etiam quamlibet personam aliquo modo, quæstio, colore, lis, causa, vel controuersia moueri super ipsis bonis, nec ipsorũ causa, nec dicta in solutũ datio aliquo modo infringi, vel annullari.

Item volumus vtsupra, quod per supranominatos Potestates nostros, Refferendarios, Vicarios, Rectores, & Officiales prædictarum nostrarum Ciuitatum, & Terrarum non possit procedi ad decisionem aliquarum causarum, quas exinde oriri continget, sed possint audire, & cognoscere, vsque ad conclusionem causarum, & concluso in dictis causis statim talis Rector illius Ciuitatis, vel Terræ coràm quo datum fuerit in scriptis, ac actitatum teneatur, & debeat omnem processum, qui exinde fiet mittere bene ordinatum in scriptis negotiorum gestoribus nostris antedictis, qui habito processu prædicto statim procurent, quod huiusmodi lites terminentur per illum, cui duxerimus illas lites committendas, quod decretum volumus habere locum etiam in bonis apprehensis à Kalendis mensis Aprilis anni MCCCLXXXVII. citrà congrua congruis referendo. Dat. Papiæ die xvj. Iunij. MCCCLXXXVIII.

Quod quilibet possit ire ad impetrandum beneficia simplicia, dummodo non excedant redditum floren. quinquaginta in anno.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Dispensare volentes super inhibitione de non eundo, nec mittendo ad Curiam

riam Romanam impetratum, volumus, quod proclamari publicè faciatis per loca quælibet supposita vestræ Iurisdictioni, quod quilibet ad dictam Curiam ire, & mittere valeat ad impetrandum. & impetrata obtinere possendum (dignitatibus, dumtaxat exceptis) quælibet alia simplicia beneficia vnum, &. plura, dummodo supra totum in anno non excedant de redditu floren. quantitatem quinquaginta auri liberè, & impunè, aliquibus nostris litteris, decretis, seu ordinamentis in contrarium nequaquam obstantibus, quibus quantum est, pro huiusmodi simplicibus beneficijs, & vsque ad dictam quantitatem floren. quinquaginta tantùm ascendentibus supra totum, vt præfertur, derogamus, & volumus esse derogatum. Dat. Mediolani die xx. Iulij MCCCLXXXVIII. Comolus. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

In quibus partibus est concessum venari apros cum canibus tantùm.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Mittimus vobis ordinem nostrum factum super venationibus ad Apros cum canibus tantùm, & in quibus locis, & partibus, volumus posse venari per exemplum his inclusum, Volentes, & vobis mandantes, quatenùs dictum ordinem diuulgari, & proclamari faciatis per loca consueta Ciuitatis nostræ Mediolani. Dat. Belzoiosij viij. Septembris MCCCLXXXVIII. Pasquinus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

DOminus vult, & contentatur, quod in infrascriptis locis possit venari ad Apros cum canibus tantùm, & non cum latijs, nec alio quouis modo, ingenio, & qui venauerit cum latijs, seu ingenio cadat in pœnam floren. triginta qualibet vice, & si contingat casus super aliquo Territorio dictorum locorum infrascriptorum fieri aliquas latiatas, seu tendere aliquos laqueos, taliolas, vel alia quæuis ingenia, Consules, & Commune illius loci, super quorum Territorio facti, tenditi, seu positi forent teneantur denuntiare coram illo Rectore, sub cuius iurisdictione erunt infra decem dies sub pœna floren. triginta dicto tali Communi negligenti, quarum quidem pœnarum tertiam partem peruenire vult ad Cameram suam, & numerari Thesaurario Caciarum suarum, aliam verò tertiam partem in illum Rectorem coram quo talis denuntia fuerit porrecta, & aliam tertiam partem in accusatorem videlicet.

Primò cum canibus tantùm liceat vnicuique posse venari in Valle Ticini tantùm iuxta Abbiate supra. Item in Buschis Vallis de Massate. Item in Buschis de Longagrana, & partium circumstantium.

Quod nullus audeat impetrare aliqua priuilegia, exemptiones, vel immunitates ab aliquo Principe, Barono, seu Domino.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis Mittimus vobis quoddam decretum præsentibus introclusum, quod nuper condi fecimus, prohibens, ne quis præsumat ire, vel mittere ad impetrandum ab aliquo Principe gratias, vel exemptiones, per quas derogetur Iurisdictionibus nostris. Volentes, quod illud obseruando, & obseruari faciendo faciatis in locis consuetis Iurisdictionis vestræ publicè diuulgari, & in volumine aliorum Decretorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani ad perpetuam

rei

rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die vigesimo primo mensis Septembris MCCCLXXXVIII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti introclusi talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cùm ex attributa nobis potestate, ac Imperiali auctoritate, qua fungimur in partibus Lombardiæ ad nos spectet de vniuerso territorio nobis commisso in dicta Prouincia, duce Deo, gerere bonam curam, & disponere de personis, bonis, & rebus in eo existentibus secundũ quod ad bonum statum, & conseruationem eorum omnium nobis visum fuerit salubriùs pertinere. Et nonnunquam per subditos ipsi nostro dominio impetratum iri contingat, siue à Principibus, siue à Baronibus, siue à Dominis cuiusuis status, præeminentiæ, iurisdictionis, & dignitatis existant vnius, vel plurium, siue ab Officialibus, siue ab aliqua Communitate nobis supposita immunitates, & priuilegia, quæ nostris, vel alicuius Ciuitatis, & Terris suppositis nobis, seu singularum personarum infra metas, & terminos territorij nostræ iurisdictioni commissi degentium habent iuribus, & iurisdictionibus derogare, quod quidem nobis displicet, & est graue. Idcircò volentes ad prædictis obuiandum de salubri, & opportuno remedio sicut nostra interest prouidere, tenore præsentium edicimus, decernimus, & mandamus, quod non sit aliqua persona cuiusuis status, sexus, gradus, præeminentiæ, seu dignitatis existat, quæ audeat, vel præsumat per se, vel per alium, aut per rectum, siue per indirectum ire, vel mittere ad impetrandum ab aliquo Principe, Barono, seu Domino cuiusuis status, præeminentiæ, iurisdictionis, & dignitatis sit, vt præmittitur, seu ab aliquo Officiali, vel à quauis Ciuitate, Vniuersitate, Communi, aut Collegio, gratias, exemptiones, immunitates, mera, & mixta Imperia, vel alia Priuilegia cuiusuis maneriei sint, per quæ communiter, vel diuisim, vel alio quouis modo dici, vel excogitari possit derogetur iuribus, & iurisdictionibus nostris, vel alicuius Ciuitatis, & Terræ, seu singularum personarum vnius, vel plurium infra metas, & terminos territorij nostræ gubernationi commissi degentium subiectarum nostræ Dominationi, vt præfertur, sine nostra conscientia, & speciali mandato, sub pœna, & in pœna haueris, & personæ arbitrio nostro infligenda cuilibet contra hanc nostram intentionem venire quomodolibet præsumenti. Decernentes ex nunc, prout ex tunc quicquid de prædictis obtentum fuerit, & taliter impetratum non valere, nec tenere, nec esse alicuius efficaciæ, vel momenti, sed prorsùs esse irritum, vacuum, & inane. Mandantes insuper quibuscunque Rectoribus, & Officialibus nostris, ac Iusdicen., quatenus tales gratias, exemptiones, & immunitates, mera, & mixta Imperia, vel alia Priuilegia aliqualiter non admittant, nec ipsarum vigore aliquid exequantur ad requisitionem, vel petitionem alicuius talis personæ, vel alterius cuiusuis status, sexus, gradus, præeminentiæ, seu dignitatis existat, sub pœna superius memorata. Iniungentes ipsis Officialibus nostris, Rectoribus, & Iusdicentibus antedictis, quatenùs si contingat huiusmodi gratias, & exemptiones, & immunitates, mera, & mixta Imperia, vel alia Priuilegia impetrata tempore primæ inhibitionis nostræ super hoc aliàs factæ anno MCCCLXXXVI. die xxij. mensis Septembris, Indictione decima ad eorum, & cuiuslibet eorum manus de cætero peruenire, ipsas gratias, exemptiones, immunitates, mera, & mixta Imperia, ac Priuilegia, nobis debeant

præsentare,

presentare, & tenore ipsius inhibitionis per omnia inuiolabiliter, & integraliter obseruare, & facere obseruari, sub pœna arbitrio auferenda. Decernentes quoque, quod si à die suprascripti data primi decreti nostri contra huiusmodi intentionem nostram aliquid gestum, vel factum, seu quomodolibet attemptatum fuerit, illud totaliter reuocetur. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xxj. mensis Septembris MCCCLXXXVIII. duodecima Indict.

Quod habentes aliqua Priuilegia, seu Litteras, per quæ velint ducere se exemptos ab oneribus, debeant portare ea in scriptis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Certificari cupientes, qui sunt illi Nobiles, atque Ciues, necnon & aliæ cuiuscunque status, habitus, conditionis, & gradus personæ Ciuitatis nostræ Mediolani, & Corporum Sanctorum eius, ac habitatores eorundem habentes, seu habere prætendentes immunitates, aut exemptiones ab oneribus, & per quæ, vel quos, ex quibus causis concessæ fuerunt, & quibus certis temporibus, mandamus vobis, quatenùs (non obstante, quod aliàs quædam ex ipsis immunitatibus productæ fuerint in exemplum coram Magistris Intratarum nostrarum, & Referendarijs Curiæ nostræ) iterũ de nouo proclamari publicè faciatis in dictis Ciuitate, & Corporibus Sanctis in locis, & contratis, in quibus tales, & persimiles cridæ fieri solent, quòd si est aliqua persona dictorum Ciuitatis, Corporum Sanctorum, vel Comitatus, vel eorum, seu alicuius ipsorum habitatrix, cuius velit sit status, habitus, & conditionis, quæ habeat, vel habere prætendat aliqua priuilegia, rescripta, litteras, concessiones, seu iura Papalia, Imperialia, vel per alios Principes, seu Dominos, vel per nos, aut Dominos præcessores nostros concessas, vel concessa, quorum priuilegiorum, concessionum, aut litterarum vigore prætendere, vel allegare velint sese exemptos, vel immunes esse à muneribus, vel oneribus aliquibus, ipsa priuilegia, concessiones, litteras, & rescripta, vel originalia tantùm, & eorum quodlibet præsentasse, & produxisse debeant coram dictis Magistris, & Referendarijs nostris per totum præsentem mensem Nouembris, perhemptoriè nuntiando, & declarando, seu nuntiari, & declarari faciendo per ipsam cridam, quod si non fuerint productæ, & præsentatæ, seu producta, & præsentata coràm prædictis Magistris, & Referendarijs nostris in termino iàm dicto non recipientur, nec admittentur ipsæ immunitates, seu exemptiones inde vltra, sed habebuntur, & reputabuntur, tanquam vacuæ, friuolæ, & inanes, ac effectus nullius, & momenti; & ex nunc, prout ex tunc, decernimus, & ordinamus ipsas immunitates, & exemptiones in termino non productas viribus, & efficacia vacuatas totaliter ipso iure, de qua quidem crida postquam facta fuerit præfatos nostros Magistros, & Referendarios certos reddatis per litteras vestras. Datum Mediolani die quarto Nouembris MCCCLXXXVIII. Nicolaus signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Militi Domino Potestati nostro Mediolani, necnon Prudenti Viro Referendario nostro ibidem.

Littera pro immunitate habentium duodecim filios.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Temporis instantia, datia nostræ Ciuitatis Cremonæ incantari requirit, pro anno proxime futuro cursuro MCCCLXXXVIIII. Quapropter manda-

mus

mus vobis,quatenùs statim visis præsentibus datia ipsa ad incantũ subhastetis cum modis, pactis, & tenoribus anno præsenti visitatis, saluo, & reseruato, quod in incantibus prædictis hoc expressè habentes immunitatem propter numerum liberorũ,qui quidem liberi si sint duodecim numero ad minus superuiuentes, in quorum numero non computentur nati ex filiabus habentium tales immunitates, seu descendentes ex linea fœminina, sint, & esse debeant exempti à muneribus, seu oneribus merè personalibus, & ab extraordinarijs dumtaxat; ad ordinaria verò, vt puta ad datia, & gabellas, & ad alia ordinaria teneantur,& astricti sint ipsis immunitatibus non obstantibus,in quibus quidem ordinarijs intelligantur collectæ,seu taleę, quæ veniunt Cameræ nostræ, hoc etiã &c. Dat. Mediolani vigesimoquinto Nouembris MCCCLXXXVIII. Signat. Nicolottus.

Quod non conducatur à Terris Domini ad Terras exemptas aliquod bladum, farinam, seu legumina.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod ad Terras exemptas existentes in districtu nostro Mediolani, nostri parte scribatis per litteras opportunas, quod non sit aliqua persona, quæ audeat, vel præsumat conducere, nec conduci facere, vel permutare à Terris nostris ad ipsas Terras exemptas aliquam bladi, farinæ, & leguminum quantitatem sine licentia Officialium nostrorum,& vlterius,quod nulla persona audeat ipsa victualia ad ipsas Terras taliter conducenda conducere, vel conduci facere ab ipsis Terris exemptis extra territorium nostrum, & hoc sub pœna amissionis exemptionum suarum, & vltra arbitrio nostro. Mandamus vobis prætérea,quatenùs nomina Terrarum exemptarum ad quas scripseritis, vt præfertur,in scriptis de singula in singulam transmittatis spectabilibus de Consilio nostro Mediolani existentibus. Dat.Mediolani die septimo Martij MCCCLXXXVIIII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Quod à Ciuitate Brixiæ possit conduci bladum ad Ciuitates Mediolani, & Papiæ, & de ordine seruando in conducendo dictum bladum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoniam scripsimus quibuscunque Potestatibus Ciuitatum, & Capitaneis districtuum earum, necnon Potestatibus,& Vicarijs Terrarum grossarum nostro dominio suppositarum in forma præsentibus inclusa, mandantes vobis quatenùs quotiens cuicunque contigerit præsentari vobis licentiam aliquam factam, seu concessam per aliquem prædictorum Potestatum, Capitaneorum, & Vicariorum nostrorum alicui personæ de conducendo aliquam quantitatem bladi ad Ciuitatem nostram Mediolani, & ille talis,qui dictam licentiam obtinuerit ipsam bladi quantitatem consignauerit in prædicta Ciuitate nostra Mediolani statim, & sine vlla dilatione, ac solutione pecuniæ, fieri faciatis litteram parte vestri directiuam illi Potestati, Vicario, vel Officiali, qui dictam licentiam sibi concesserit continentem, sicut ipse talis,qui licentiam ipsam obtinuit vtsupra, bladum in ipsa licentia contentum in ipsa Ciuitate nostra Mediolanī bene consignauit; talem in hoc ordine apponendo, quod conductores ipsorum bladorum propter hoc non habeant causam standi hic aliqualiter impediti, nec quod fraus aliqua sub huiusmodi specie minime com-

 mittatur

mittatur. Dat. Mediolani die viij. mensis Martij MCCCLXXXVIIII. Franciscolus signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor inclusæ talis est.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, & vobis expressè mandamus, quatenus ordinem apponatis, & proclamationes publicas fieri faciatis in Ciuitate nostra Brixiæ, ac quibuscunque alijs partibus Iurisdictionis vestræ, quod de eadem Ciuitate, ac toto districtu possint conduci, ad Ciuitates nostras Mediolani, & Papiæ bladum cuiuscunque maneriei, solutis datijs, & pedagijs ordinatis; cum hoc tamen ordine, quod quilibet volens conducere bladum ad Ciuitates nostras Mediolani, & Papiæ prædictas teneatur, & debeat accipere licentiam in scriptis à vobis, vel à Vicario illius Terræ, vel loci à qua, vel quo dictum bladum leuauerit de conducendo ipsam bladi quantitatem ad dictas Ciuitates Mediolani, & Papiæ, quam quidem licentiam vos, vel Vicarius dictæ Terræ, vel loci facere debeatis, & teneamini, sine solutione alicuius pecuniæ, & ille talis, qui conducendi dictum bladum licentiam obtinuerit, teneatur infra terminum competentem assignandum sibi per vos, vel Vicarium, qui eandem licentiam sibi concesserit, consignasse dictum bladum in Ciuitatibus Mediolani, & Papiæ prædictis, vel ipsarum altera, & reportasse litteras parte Potestatis Mediolani, & Papiæ prædictis, vel alterius earum de consignatione dicti bladi vobis, vel Vicario, à quo licentiam conducendi dictum bladum obtinuerit. Dat. Mediolani die xij. Februarij MCCCLXXXVIIII. In simili forma omnibus alijs Potestatibus Ciuitatum, & Capitaneis districtuum earum, necnon Potestatibus, & Vicarijs Terrarum grossarum nostro dominio suppositarum.

Quod personæ alterius territorij, quam de territorio Domini venientes habitatum ad territorium Domini sint exemptæ per annos quinque.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mandamus vobis quatenus in nostra Ciuitate Mediolani proclamari faciatis, quod quælibet persona alterius territorij veniens habitatum in territorio nostro sit, & esse debeat immunis, & exempta per annos quinque inchoandos die qua venerit habitatum iu dicto nostro territorio ab omnibus, & singulis oneribus realibus, & personalibus, atque mixtis impositis, & imponendis datijs dumtaxat exceptis. Datum Mediolani die decimo Martij MCCCLXXXVIIII. Comolus. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Quod alienigenæ non possint habere officium in dominio Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Nostræ intentionis non est, quod aliquis alienigena, vel forensis habitans, vel habitaturus in posterum Ciuitatibus, Terris, & Oppidis nostri dominij cuius principalis origo, vel prædecessorum suorum fuerit ab aliundè, quàm de territorio nostro præsentialiter subiecto, etiam si in nostris Ciuitatibus, & Terris annis sexaginta citrà fuisset ad ciuilitatem admissus possit, seu permittatur

tatur esse de numero Sapientum, Antianorum, seu Præsidentium negotijs illius Ciuitatis, Terræ, Oppidi, vel loci cuius incola fuerit, nec exercere, vel habere officium aliquod, quod spectare habeat, vel aliqualiter concernere negotia alicuius nostri Communis, nec etiam in ipso officio se intromittat quoquo modo. Et propterea mandamus vobis, quatenus huiusmodi intentionem nostrã publicari, & diuulgari faciatis in omnibus locis iurisdictionis per nos vobis commissæ, in quibus proclamationes fieri solent, & has litteras nostras registrari in volumine Statutorum dictæ vestræ iurisdictionis pro lege, & decreto inuiolabiliter obseruando. Dat. Mediolani die iij Aprilis MCCCLXXXVIIII. A tergo Sapienti Viro Potestati nostro Mediolani.

Contra sfrosantes salem.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum per nos nouiter editum contra sfrosantes salem in nostro dominio, mittimus vobis per copiam præsentibus introclusum. Volentes, quod per opportunas proclamationes inde fiendas in locis consuetis, & debitis illud diuulgari, & publicari statim faciatis facere in iurisdictione vobis commissa, sic quod ad cuiuslibet notitiam valeat peruenire, & nemo de eo causam habeat prætendere ignorantiam, faciatisque illud registrari in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani, ac cum omni efficacia seruetis & seruari faciatis, prout iacet ad litteram, de cuius præsentatione certos reddatis per litteras vestras Magistros Intratarum nostrarum, & Referendarios Curiæ nostræ. Dat. Mediolani die vigesimoquarto Aprilis MCCCLXXXVIIII. Ioannes. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

Nos Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Vt precludatur, & tollatur via, & materia sfrosatoribus sfrosandi salem in Terris, & territorijs nostro dominio suppositis, quod adeò nobis est molestum, quod pro tanta re molestius sentire non possemus, præsens nostrum duximus statuere decretum, quod in vniuersali dominio volumus cum effectu debere per quemlibet obseruari.

Primò, quod non sit aliqua persona alicuius status, gradus, conditionis, dignitatis, seu præeminentiæ, quæ audeat, nec præsumat portare, nec portari facere, conducere, nec conduci facere, nec portantibus, seu conducentibus præbere auxilium, consilium, vel fauorem per terram, nec per aquam salem alicuius maneriei de extra territorium nostrum in, ad, vel per ipsum nostrum territorium sine nostri licentia, quæ facta sit, & concessa per nos à Kalendis præsentis mensis citrà, & à modo in antea, & hoc sub pœna amissionis bestiarum, & instrumentorum cum quibus, & super quibus portaretur, seu conduceretur dictus sal, & vltra floren. decem pro quolibet stario Mediol. dicti salis, & pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit, & ictuum, seu tractorum decem curli, cuius quidem pœnæ, ac salis, bestiarum, & instrumentorum cum quibus, & super quibus vt præfertur, portaretur, seu conduceretur dictus sal medietas, sit inuentorum, hoc addito, & declarato, quod si ipsi tales accusatores, seu denuntiatores, vel inuentores caperent, & consignarent aliquem, seu aliquos ex prædictis

dictis portantibus, & conducentibus dictum salem coràm Officialibus nostris ad quos spectat, quod tunc, & eo casu dicti consignantes habeant, & habere debeant prædictas bestias, atque salem, & instrumenta iam dicta totaliter, absque aliqua portione de eis fienda præfatæ Cameræ nostræ, sed teneantur, & debeant ipsi tales consignatores dare, & præsentare ipsam talem salem Gulielmo de Blasono, seu Petro de Verona Officialibus super sale nostro, vel Officialibus, aut Nuntijs eorundem à quibus ipsi consignatores recipient, & habebunt de, & pro sale ipso debitam, & conuenientem solutionem.

Item, quod nullus Molinarius, seu Nauarolus, nec alia persona cuiusuis status, gradus, seu conditionis existat, audeat, vel præsumat transire Padum, nec alia flumina super aliqua sua, vel non sua naui aliquam personam portantem, seu conducentem aliquam salis sfrosati quantitatem de die, nec de nocte, sub pœnis contentis, & specificatis in suprascripto capitulo, & applican., & peruenien., vt in ipso proximò præcedenti capitulo latiùs continetur.

Item, quod nullus hospes, tabernarius, nec alia persona cuiusuis status, gradus, dignitatis, seu præeminentiæ existat, audeat, vel præsumat recipere, receptare, nec gubernare de die, nec de nocte in aliqua sua domo, habitatione, capsina, vel loco aliquam quantitatem salis sfrosati, sub pœna amittendi ipsam domum, habitationem, capsinam, seu locum in qua, seu quo receptatus, seu receptus, vel gubernatus esse reperiretur dictus sal, & vltra bona omnia existentia in ipsa tali domo, habitatione, capsina, seu loco, & si dicta domus, habitatio, capsina, seu locus non esset dicti receptantis, seu recipientis, vel gubernantis amittendi bona tantùm in ea tali domo, habitatione, capsina, vel loco existentia, & vltra soluendi pro pœna floren. decem pro quolibet stario dicti salis, & habendi vlterius ictus, seu tractus decem curli, cuius quidem pœnæ, ac salis medietas applicetur Cameræ nostræ supradictæ, & alia medietas sit, & perueniat in accusatores, seu denuntiatores.

Item, quod nullus Datiarius, vel non Datiarius, nec aliqua alia persona cuiusuis status, gradus, seu conditionis existat, audeat, vel præsumat emere, nec emi facere, nec etiam acquirere quouis modo, seu colore de sale prædicto, sub pœna floren. decem auri pro quolibet stario dicti salis, & vltra amissionis dicti salis, cuius pœnæ, ac salis medietas perueniat præfatæ Cameræ, & alia medietas in accusatorem, seu denunciatorem. Et si casus contigerit, quod ipse talis emptor sit persona, quæ non sit sufficiens, & habilis ad soluendum dictam pœnam, quod tunc, & eo casu si fuerit ætatis perfectæ dentur ei, & absque aliqua remissione tractus decem curli.

Item si reperiretur, quod aliquis ex Potestatibus, Vicarijs, Capitaneis, seu Officialibus nostris consentirent; vel præberent palàm, vel occultè, ad prædicta perpetranda, & committenda auxilium, consilium, vel fauorem alicui portanti, seu conducenti de prædicta sale, quod eo facto admittant vniuersa bona, quæ habent, & bona ipsa applicentur Cameræ nostræ antedictæ, & sit ipse talis Officialis priuatus, & exclusus perpetualiter ab omnibus officijs nostris; executiones autem contentorum in capitulis suprascriptis fieri volumus, ac possint, & debeant per Capitaneos nostros deueti contra illos tantùm, quos ipsi Capitanei, & Deputati cum eis reperient in fragranti crimine, quilibet in iurisdictione sibi commissa, & aliter, & alio modo, quàm contra repertos in fragranti crimine, vt prefertur, per ipsos Capitaneos, & cum eis deputatos fiant per Potestates, Vicarios, & Rectores nostros Ciuitatum, & Terrarum illarum, in quorum iurisdictionibus reperti erunt delinquentes, & prædictis capitulis, & contentis in eis in aliquo contrafacientes si, & in

quantum

quantum habeant ipsi Potestates, Vicarij, & Rectores nostri merum, & mixtum Imperium, si verò non haberent mixtum, & merum Imperium, volumus fieri per Potestatem illius Ciuitatis, in cuius districtu reperti fuerint tales delinquentes, & fiant, & porrigantur, ac prosequantur eorùm eisdem denuntiæ, & accusæ, quæ occasione contentorum in suprascriptis capitulis fieri contingent, super quibus procedatur summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figura iuditij. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xxiiij. mensis Aprilis MCCCLXXXVIIII., duodecima Indictione.

Quod Potestates, & Rectores non accipiant grossum à Baroarijs, & qualiter debet ipsis Baroarijs satisfieri.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad tollendas extorsiones, & baratarias, quæ per Baroarios, Potestatum, & Rectorū nostrorum committuntur condi fecimus decretum præsentibus introclusum. Volentes, & vobis mandantes, quatenùs prædictum decretum pro lege obseruando, & obseruari inuiolabiliter faciēdo, faciatis illud in locis publicis, & consuetis iurisdictionis vestræ publicè diuulgari, & in volumine Statutorum, & Decretorum Ciuitatis nostræ Mediolani ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Datum Mediolani die tertio Maij MCCCLXXXVIIII. Gasparinus. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti introclusi talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Attediati lamentationibus nonnullorum pro baratarijs, & extorsionibus, quæ per Baroarios Potestatum, & Rectorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, quod summè nobis displicet committuntur, disposuimus quantò plùs possumus huiusmodi inconuenientijs obuiare, & propterea edicimus, & mandamus, quod Potestates, Rectores, & Officiales nostri nullo modo grossum accipiant à Baroarijs suis, seu famulis pro pignorationibus per eos fiendis, secundum quod sentimus hactenùs fore acceptum, & ad præsens accipi, sed quod ipsi Baroarij, & famuli teneantur, & debeant pignorationes, & executiones quascunque facere pro pretijs in taxationibus limitatis, & ordinatis per Statuta Ciuitatum, & Terrarum, in quibus erunt, sub pœna vnius floreni pro quolibet grosso Potestati, seu Rectori, qui illum acceperit, & Baroario, seu famulo, qui illum dederit standi vno mense in carceribus, nisi sponte confessus fuerit contrafecisse, & eo casu nullam pœnam debeat sustinere, quin immo si ipse, vel si aliter accusauerit habeat medietatem dictæ pœnæ soluen. per Potestatem, & alia medietas perueniat ad Cameram nostram. Non intendentes, quod Potestates nostri aliquam solutionem aliquibus Baroarijs sui stipendij faciant, neque minùs, quod ipsi vllo modo præsumant recipere stipendia dictorum suorum Baroariorum, sed quod per se, & singulariter fiant, & eis, & cuilibet eorum soluatur per Thesaurarios Ciuitatum per quos, seu quem fieri contingent solutiones Potestatum, & de prædictis omnibus volumus, quod ipsi Potestates, & Baroarij temporibus debitis legitimè syndicentur. In quorum &c.

De

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mandamus vobis, vt, visis præsentibus, proclamari faciatis per totam iurisdictionem per nos vobis commissam, quatenùs nulla persona cuiusuis conditionis existat, audeat, vel præsumat cum qualeatore, seu cum qualea cantatrice capere aliquam qualeam, seu qualeonum, sub pœna vnius floreni pro qualea, seu qualeono totiens quotiens reperietur, quam quidem pœnam peruenire volumus prout in alijs ordinibus nostris aliàs editis super facto qualearum continetur. Rescribendo nobis de receptione præsentium. Dat. Papiæ die xviij. Maij MCCCLXXXVIIII. Antoniolus. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Qualiter concessum est posse conduci bladum ad Ciuitatem Mediolani .

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod capitulum præsentibus inclusum diuulgari, & publicari faciatis in Ciuitate nostra Mediolani per loca consueta, in quibus proclamationes solent fieri. Dat. Mediolani die xxvij. mensis Maij MCCCLXXXVIIII. Franciscolus signauit. A tergo Sapienti Viro Iudici Victualium nostræ Ciuitatis Mediolani.

Capitula tenor talis sequitur .

SExto, licitum sit cuicunque deferre, conducere, seu portare volenti de loco, seu Terra, Villa, Castro, & Capsina, & ad alias Terras, Villas, Castra, & Capsinas eiusdem iurisdictionis, tàm per terram, quam per aquam liberè, & impunè conducere, & portare, & conduci, & portari facere furmentum, bladum, aut legumina, seu farinam cum licentia Officialis illius Terræ, & si Officialis non sit, cum licentia Consulum, & si non sunt Consules, cum licentia Presbyteri Curati, & reportent contrascripta à Rectoribus, vel Consulibus, vel Presbytero in casu quo Rector, seu Consules in dicto loco ad quem prædicta conducerent non adessent, & hæc omnia fiant gratis vtsupra, sub pœna soluendi pro vno denario quatuor illius, quod recipietur pro bulletinis prædictis. Saluo, quod non liceat bladum alicuius maneriei legumina, seu farinam deferre, vel deferri facere de loco aliquo ad alium locum suspectum positum in confinibus illius territorij suppositi nostro dominio, & gubernationi nostræ, à quo possent verisimiliter ad alia territoria ipsum bladum, legumina, seu farinam transduci, siue portari, & intelligatur ipse locus suspectus, qui sit in confinibus alterius territorij per spatium miliariorum trium .

Quod condemnationes factæ occasione salis fraudati portentur in scriptis infra quintam diem Rationatoribus Domini .

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad euidentiam notificamus vobis fuisse, & esse intentionis nostræ, quod omnes condemnationes, quas feceritis, & de cætero per vos, siue successores vestros fient, vigore, & occasione, seu pro obseruatione nostri noui decreti editi contra sfrosatores, seu conducentes salem in, seu per territoriũ nostrum

contrà ordines, siue fortiam ipsius nostri decreti infra quintam diem postquam factæ fuerint feriatim, & distinctè mittere debeant in scriptis Bartholoæo Rubeo, & Iacobino de Porris Rationatoribus, & Officialibus nostris ad hoc deputatis in Mediolano, & quod denarij prouenientes ex ipsis condemnationibus, seu ab incantibus, vel ab alijs dependen. ex inde infra quintamdecimam diem à die dictarum condemnationum, siue incantuum fiendarum computan. exigi debeant, & pro parte nobis spectantibus mitti ad numerandum, ac numerari Bressano de Ozeno Thesaurario nostro; quare volumus, & mandamus vobis, quatenùs huiusmodi nostram intentionem litteras obseruan. eas penès dictum nostrum decretum faciatis registrari. Dat. Mediolani die septimo Iunij MCCCLXXXVIIII. Ioannes signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Militi Domino Potestati nostro Mediolani, necnon Sapienti Viro Iudici Datiorum Mediolani nostræ Ciuitatis.

Quod habentes ius in bonis, quæ tenentur per Dominum, & qui comparuerunt iterum de nouo compareant infra certum terminum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum quodam per nos conditum disponens de termino statuto prætendentibus ius habere in, & super bonis immobilibus, quæ tenentur per Cameram nostram, seu nomine nostro, vel habentes causam à nobis, mittimus vobis præsentibus inclusum. Volentes, & vobis mandantes, quatenus ipsum decretũ obseruando, faciatis illud in locis consuetis iurisdictionis vestræ statim publicè diuulgari, & proclamari, necnon ad perpetuam rei memoriam in volumine Statutorum nostræ Ciuitatis Mediolani inseri, & describi. Dat. Mediolani die secundo Iulij MCCCLXXXVIIII. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Decreti inclusi tenor talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cordi nobis semper fuit, & est, vt etiam in causis, litibus, quæstionibus, & controuersijs nobis, & Cameræ nostræ quomodolibet pertinentibus, tàm contrà nos, & eandem Cameram nostram, quàm etiam pro nobis iustitia ministretur, quæ ius suum vnicuique tribuit. Et vt nostræ, & claræ memoriæ prædecessorum nostrorum animarum salute salubrius prouideatur: ea propter recolentes nos quoddam condidisse decretum anno Domini MCCCLXXXVI. die tertio Septembris infrascripti tenoris. Nos Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Tenore præsentium ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis volumus, edicimus, decernimus, & mandamus, quod si est aliqua persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas cuiusuis status, conditionis, vel preeminentiæ existat volens dicere se habere, aut habens, vel habere prætendens aliquod ius dominij, vel quasi, siue ius hypothecæ, vel aliud ius quocunq; nomine censeantur in, aut super aliquibus bonis rebus immobilibus, quæ teneantur, seu tenta sint per Cameram nostram, seu nomine nostro, seu per aliquam aliam personam habentem causam, vel datum à nobis, vel à Camera nostra, teneatur, & debeat comparere, & compareat infra tres menses continuos proximè futuros à die publicationis præsentis decreti in antea computandos, si præsens fuerit, vlz. in territorio nostræ dominationi supposito. Si verò absens fuerit

extra

extra territorium nostrum, aut mulier vidua, pupillus minor viginti annis, vel alia persona sub alterius cura existens, vel indigens Curatore, tunc teneatur, & debeat comparere, & compareat infra sex menses continuos à die praesentis decreti in antea computandos coràm Commissarijs nostris super restitutionibus deputatis, seu deputandis, & ibidem coràm eis teneatur, & debeat dare in scriptis ius, quod habet, vel habere praetendit in, aut super ipsis bonis, vel rebus. Notum cuilibet facientes, quod si infra terminos praedictos praesentibus, & absentibus, & alijs, vt. praemittitur, praefixos singula singulis congruè referendo non comparuerint, & in scriptis non dederint vtsupra, ipsi taliter non comparenti, & in scriptis non danti, vt praefertur, nulla deinceps audientia praebebitur, & eidem perpetuum silentium imponetur. Decernentes ex nunc, prout ex tunc, ex certa scientia, & de nostrae plenitudine potestatis etiam absolutae, ipsos non comparentes, & in scriptis non dantes vtsupra, nullum ius habere, nec praetendere posse in, & super bonis, & rebus praedictis. Si verò aliqua persona, Commune, Collegiū, vel Vniuersitas infra dictos terminos singula singulis congruè referendo comparuerit, & in scriptis dederit, vt supra dictum est, teneatur, & debeat talis comparens, & in scriptis dans vtsupra, ostendidisse, probasse, & docuisse per omne genus probationum de omni suo iure coràm dictis Commissarijs infra duos menses post dictos primos immediatè sequentes, & continuos, quo termino elapso aliquae probationes, qualesuis fuerint, nullatenus admittantur, nec admitti possint quouismodo; ad ipsas tamen probationes audiendas, necnon ad totum processum proinde fiendum citari volumus, & requiri Officiales nostros, vel aliquem eorum super nostris possessionibus deputatos, qui iura nostra, & Camerae nostrae legitimè defendant, & allegent, & allegari faciant, prout opportunum, hoc enim decernimus, & pro lege, & decreto nostro intendimus inuiolabiliter obseruari, ne huiusmodi causae restitutionum in infinitum extendantur, & vt ius suum vnicuique tribuatur. In quorum testimonium &c. Attendentesque quamplurimas personas intra ipsos terminos ex forma dicti nostri decreti ad comparendum, & sua iura in scriptis dandum praefixos, vt praefertur, sua iura produxisse, & in scriptis dedisse se infra dictum terminum duorum mensium ad ostendendum, probandum, & docendum de omni suo iure virtute dicti nostri decreti, statutum minime ostendere, probare, & docere de iure suo potuisse, cum ad eas ostensiones, probationes, & documenta recipienda nullum habuerint Auditorem, & sic eis, seu alicui ipsorum non potest de lapsu huius secundi termini aliquid imputari, quia per eos non stetit; & volentes ipsas restitutionum causas, mediante iustitia, vt praemissum est, cum omni debita celeritate sopiri debere, omni auctoritate, baylia, & potestate, quibus melius possumus, & debemus, edicimus, decernimus, & mandamus, quatenus quaecunque Collegia, Vniuersitates, & singulares personae, quae secundum formam dicti nostri decreti comparuerunt, seu comparuerint infra terminos coràm Commissarijs nostris ad ea deputatis ad dandum in scriptis de iuribus suis, & quae non potuerunt infra duos menses statutos pro secundo termino in praedicto primo nostro decreto ostendidisse, probasse, & docuisse de iuribus suis propter defectum Auditorum, vel Auditoris deputati illud, vt praemittitur, debeant ostendidisse, & produxisse, ac probasse, & docuisse, & probatum, ostensum, & doctum, ac probatum habuisse, etiam per omne genus probationum, & hoc pro vltimo, & peremptorio termino, coràm Venerabilibus, & Sapientibus Viris Dominis Vicario Reuerendi Patris Domini Archiepiscopi Mediolani Fratre Ioanne de Pradasancta Ordinis

nis Prædicatorum, Sacræ Paginæ Professoris. Pioselo de Seratico Vicario nostro generali. Adoardo de Curadis Legumdoctore Commissarijs nostris super restitutionibus deputatis in Ciuitate nostra Mediolani commorantibus de omnibus suis iuribus, quæ volunt dicere, aut habent, vel prætendunt se habere in, vel super aliquibus bonis, de quibus in dicto nostro decreto fit mentio, infra duos menses continuos à die publicationis huius nostri decreti fut., quem terminum eisdem, etiam tenore præsentium, peremptoriè statuimus: volentes, quod prædicti nostri Commissarij ipsas omnes productiones, & iuriũ ostensiones, ac probationes recipiant, & eis receptis, tàm de iuribus nostris, & Cameræ nostræ, quàm etiam ipsorum comparentium benè, & diligenter cognoscant, & audiant, & causas, lites, quæstiones, & controuersias ipsas cum omnibus incidentibus, dependentibus, emergentibus, & connexis decidant, & terminent, faciendo vnicuique iustitiæ complimentum, citatis, & vocatis Aduocatis, & Procuratoribus, ac negotiorum gestoribus nostris, qui iura nostra, & Cameræ nostræ legitimè teneant, & allegent, & allegari faciant, prout fuerit opportunum. Volumus tamen, quod nulla ex prædictis quæ restitutioni subiacere reperirentur, relaxentur sine nostri licentia speciali. Decernentes ex nunc, etiam de nostræ absoluta plenitudine potestatis, quod elapso termino suprascriptorum duorum mensium continuorum ex forma huius nostri decreti statuto vt supra, aliquæ probationes, qualesuis fuerint nullatenus admittantur, nec admitti possint quouis modo, immo. eis, & eorum cuilibet dicto termino duorum mensium continuorum elapso nulla eis, seu eorum alicui audientia præbeatur, & eis, & eorum cuilibet perpetuum silentium imponatur. Saluis tamen manentibus omnibus alijs in dicto nostro decreto contentis singula singulis congruè referendo, & vt nullus valeat ignorantiam prætendere, vel allegare: volumus, quod præsens nostrum decretum ponatur, & affigatur in valuis Palatij cuiuslibet Ciuitatis, Terræ, Castri, seu Villæ nostro subiectarum dominio, in quibus Potestas, Capitaneus, Vicarius, Rector, seu Officialis existant, seu existat, & teneatur eorum quilibet per singulas Terras, & loca suæ iurisdictioni supposita præsens nostrum decretum facere publicè diuulgari. Volumus etiam terminum dictorum mensium continuorum inchoari à die publicationis factæ in qualibet Ciuitate, Terra, Castro, vel Villa, in quibus Potestas, Capitaneus, Vicarius, Rector, seu Officialis existat, & vt de ipsius publicationis die constare liquidò possit: volumus, quod quilibet Potestas, Capitaneus, Vicarius, Rector, seu Officialis faciat de publicatione fieri duo instrumenta publica, quorum vnum penès se retinent, & aliud, infra dies quindecim à die publicationis numerandos, faciat, sub pœna nostrò arbitrio infligenda, coràm dictis nostris negotiorum gestoribus in Mediolano, vt in nostra Camera obseruatur præsentari. Et ita vt constare clarè possit de lapsu termini duorum mensium prædictorum, hoc autem nostrum decretum ad Ciuitates nostras Veronæ, Vicentiæ, & Paduæ, eorumque territoria, & districtus per nos nouiter acquisitas, & acquisita volumus destinari, quia in illis non vendicat sibi locum. Mandantes quoque vniuersis, & singulis Potestatibus, Capitaneis, Vicarijs, & Rectoribus, ac Officialibus nostris præsentibus, & futuris, quatenùs huiusmodi nostrum decretum obseruent, & faciant inuiolabiliter obseruari pro lege perpetua, etiam non obstantibus aliquibus legibus, statutis, aut iuribus in contrarium editis, quibus in quantum præsentibus aliqualiter obuiarent ex certa scientia, & de potestate prædicta tenore præsentium derogamus. In quorum certitudinem nostras litteras præsentes fieri iussimus, & registrari,

strari, & in voluminibus Statutorum, quarumlibet Ciuitatum, & Terrarum nostro dominio suppositarum inseri, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani secundo Iulij MCCCLXXXVIIII.

Quod decretum quondam Domini Archiepiscopi factum de oneribus sustinendis per Ciues habentes possessiones in Episcopatu Laude, & è conuerso, ita seruetur quemadmodum seruatur de Ciuibus habentibus possessiones in Episcopatu Cumano, & è conuerso.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, & per præsentes decernimus, quod decretum Reueren. Patris quondam Domini Archiepiscopi Domini Mediolani &c. disponens, quod habitantes in vna Ciuitate, Terra, vel loco sui originis teneantur, & debeant soluere taleas, & onera in illa Ciuitate, Terra, vel loco vbi sunt habitatores, vel originarij, & non alibi, quod pridiè reuocari mandamus, & cũ clausula, quod locũ nõ haberet inter Ciues nostros Mediolani habentes eorũ possessiones in Episcopatu Laudæ, & Ciues Laudæ habentes eorum possessiones in Comitatu Mediolani; ità locum habeat inter Mediolanenses, & Laudenses prædictos quemadmodum locum habet inter Mediolanenses, & Cumanos, aliquibus nostris litteris in contrarium emanatis non obstantibus. Mandantes vobis, quatenùs hanc nostram intentionem de cætero obseruetis, & obseruari faciatis cum effectu. Dat. Mediolani die decimo Augusti MCCCLXXXVIIII. A tergo Sapienti Viro Domino Vicario, & duodecim prouisionum Communis nostræ Ciuitatis Mediolani.

Cassatio decreti, quod laicus conueniatur coràm Iudice seculari, & è conuerso.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia decretum aliàs conditum de laicis non conueniendis, nisi sub eorum Ecclesiasticis Iudicibus, viceuersa ex certa scientia duximus reuocandum, mandamus vobis, quatenùs de huiusmodi reuocatione decreti in locis opportunis iurisdictionis vestræ fieri faciatis debitas proclamationes, sic, quod istud ad notitiam perueniat quorumcunque: volumus quoque, quod has nostras litteras reuocationis in volumine Statutorum, & Ordinamentorum Ciuitatis nostræ Mediolani ad perpetuam rei memoriam faciatis inseri, & describi. Dat. Mediolani die xviij. Augusti MCCCLXXXVIIII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

De libertate Ecclesiæ, & sunt multa capitula.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Fieri fecimus certa Capitula de modis tenendis, ne Laici sub Ecclesiasticis Magistratibus frustrentur indebitis laboribus, & ex aduerso ne Clerici possint conqueri, quod libertate Ecclesiæ priuentur, tenoris his inclusi; quare ipsa capitula mittimus vobis, vt in agendis sitis à modo auisati. Dat. Mediolani die xviij. Augusti MCCCLXXXVIIII. Gasparinus signauit. A tergo Egregio Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor capitulorum talis sequitur.

In Christi nomine. Amen.

VT libertas Ecclesiastica debitè conseruetur, & honor Illustris Principis, & Excelsi D. D. Mediolani &c. Comitis Virtutum, Imperialis Vicarij generalis.

generalis. Non maculetur in aliquo, nec lædatur, nec laici subditi præfati Domini, coram Ecclesiasticis Iudicibus indebitè grauentur, videtur infrascripto ordine prouiden. circa decretum factum, quod laicus ad forum Ecclesiasticum non trahatur.

Primò, intendit præfatus Illustris Princeps, & Excelsus Dominus in quæstionibus inter Clericum, & Clericum vertentibus, quod aliquis Iudex laicus se aliquatenùs non intromittat, sed relinquetur Iudici Ecclesiastico, ad cuius Iurisdict. spectabit, nisi imploretur auxiliū brachij secularis, in casibus in quibus de iure præstari debet, quo casu illud præstetur, & aliter, & alio modo Iudices seculares se non impediant in prædictis quæstionibus inter Clericum, & Clericum.

Item si laicus Clericum conueniat, sequatur forum Iudicis Ecclesiastici, cui Clericus est subiectus, nisi in causa feudi, quod procedit à laico, de quo secundum iura Canonica Iudex laicus debet, & potest cognoscere; si autem feudatarius procedat à Clerico, Iudex Ecclesiasticus cognoscat, & contra Clericum, & contra laicum feudatarium, quatenùs feudum concernit, in alijs verò, dictus feudatarius laicus remaneat sub Iurisdictione Iudicis secularis.

Item, in casu quo Clericus sit actualiter, & realiter degradatus, Iudicis laici Iurisdictioni subiaceat, cum sit priuatus omni priuilegio Clericali; vbi verò vult Clericus laicum conuenire, vel laicus laicum, cum generale sit, quod Actor sequi debeat forum rei, corām Iudice laico solùm trahatur laicus, nisi in casibus inferius exceptatis, quo casu trahi possit laicus corām Iudice Ecclesiastico.

Primò, in casu quo iurisdictio temporalis spectet ad Iudicem Ecclesiasticum, Iudex Ecclesiasticus inter laicos sibi subditos illam iurisdictionem exerceat; & Iudex laicus de illa se non intromittat etiam contra laicos in eo in quo iurisdictioni temporali Clerici subiecti sunt, nisi iurisdictio temporalis Clerico fuerit concessa per laicum sibi superioritate seruata; quo casu possit per subditum iurisdictioni temporali ipsius Clerici, laicus superior per appellationem, vel querelam de iniustitia denegata, vel facta adiri.

Item in casibus, in quibus est iurisdictio spiritualis, vel crimen Ecclesiasti cum tale, in quibus Iudex secularis cognitionem non habeat, cognoscat Iudex Ecclesiasticus, ad cuius cognitionem spectat, nec Iudex laicus se quomodolibet intromittat sicut in casibus Fidei hæresis, vel in causis Sacramentorum Ecclesiæ, vel Matrimonialibus, vel Simoniæ, vel similibus, de quibus Iudex laicus de iure cognoscere non possit.

Item in crimine sacrilegij possit cognoscere contra laicum Iudex Ecclesiasticus, possit etiam hoc casu Iudex laicus, in eo, quod sibi de iure competit cognoscere, & punire.

Item si contingat de cætero per aliquem secularem Ecclesiam aliquam notoriè, vel manifestè violentèr spoliari, seu iura, vel possessiones Ecclesiarum violentèr inuadi, Iudex Ecclesiasticus possit cognoscere, & Iudex laicus, nisi ad petitionem Clerici se non debeat impedire.

Item Iudex Ecclesiasticus, ad quem spectat, possit cognoscere in relictis ad pias causas.

Item Iudex Ecclesiasticus, ad quem spectat, possit cognoscere contra emphiteotas, liuellarios, massarios, & fictabiles Ecclesiarum etiam laicos, quo ad id ad quod tenerentur Ecclesiæ ex dictis contractibus, in alijs remaneant subditi Iudici seculari; in locis autem in quibus sit consuetudo contraria antiquitùs

 obseruata,

obseruata, quod pro sibi debitis in prædictis casibus Clericus laicum conueniat coram Iudice seculari, eo casu consuetudo ipsa seruetur, videlicet, quod laicus pro præmissis casibus coràm Iudice seculari conueniatur, non coràm Ecclesiastico.

Item in causis decimarum, laicus ad forum Ecclesiasticum trahi possit, nisi in locis vbi de consuetudine contrarium obseruatur; quo casu consuetudo ipsa antiquitùs obseruata, vt præmittitur, obseruetur.

Item Iudex Ecclesiasticus, ad quem spectat, possit cognoscere contrà vsurarios tenentes mensam, seu altare paratum ad prauam vsurarum voraginem exercendam, & realiter, & de facto exerceat per se, vel per alios, cum eo casu sit notorium eos esse vsurarios, adeò quod non possit aliqua tergiuersatione celari.

Item contrà vsurarios manifestos, de quibus notorium est de iure, quia sunt de vsurarum crimine condemnati, vel sunt confessi se esse vsurarios, de qua confessione constet per publicum instrumentum, seu per acta facta coràm Iudice competenti; vel per famam publicam, quæ contra vsurarium laboret in Ciuitate, in qua degit, de qua probetur coràm Iudice seculari, qua probatione facta, si actor voluerit, teneatur Iudex secularis ipsum vsurarium cum omnibus actis remittere ad Ecclesiasticum Iudicem, coràm quo, acta facta coràm Iudice seculari, fidem faciant, & Iudex Ecclesiasticus determinet ipsam causam, & isto casu, & præcedentibus sit actoris electio verum velit pro vsurarum restitutione coràm Iudice Ecclesiastico, vel seculari vsurarium conuenire.

Item in casu mortis, Iudex Ecclesiasticus possit contra vsurarios procedere ad denegandum Ecclesiasticam sepulturam, & ad cogendum ipsos ad restituendum vsuras, vel ad præstandum de ipsis restituendis idoneam cautionem, & ad exhibendum libros vsurariæ prauitatis, prout canonicæ sanctiones declarant, non autem ad quæstum pecuniarum; aliquem proindè faciendum.

Item possint Iudices Ecclesiastici post mortem vsurariorum exercere iurisdictionem contrà heredes vsurariorum, & ipsos compellere ad libros vsurariæ prauitatis exhibendos, & ad restituendum illis, à quibus sunt extorsæ vsuræ vel ipsorum heredum, vel successoribus, prout disponunt canonicæ sanctiones, & Iudex laicus in exercenda iurisdictione contrà dictos heredes secundum formam canonicarum sanctionum non debeat Iudicem Ecclesiasticum aliquatenùs impedire. In alijs verò casibus, quàm supra expressis, propter multas fraudes, quæ committuntur etiam per laicos volentes suos creditores deludere, & varijs, & exquisitis fraudibus contractus, qui celebrantur infringere, hortentur Iudices Ecclesiastici, quod relinquant laicos Iudicibus secularibus, & de ipsis laicis se non intromittant trahendo eos, vel volendo eos trahere ad forum Ecclesiasticum audientiam tribuendo.

Item propter magnum abusum, qui fit per habentes conseruatorias per ipsos conseruatores quandoque, prout magistra rerum experientia, & præsertim his nouissimis temporibus docuit, hortentur prædicti ex parte præfati Illustres Domini, quod tàm habentes conseruatorias, quàm ipsi conseruatores ipsis conseruatorijs vtantur solùm; contrà laicos verò, tàm habentes conseruatorias, quàm ipsi conseruatores non vtantur, nisi in illis casibus, in quibus est expressum supra, quod Iudex Ecclesiasticus contrà laicum suam iurisdictionem valeat exercere, ita tamen, quod laicum non trahat extra territorium, cuius iurisdictioni laicus est subiectus.

Decretum contra facientes scripturas falsas, ac dicentes falsum testimonium, & solicitantes, vt aliquis dicat falsum testimonium.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quemadmodum ab experientia rerum omnium magistra didicimus, delicta quæque mortalium, & peccata, nisi ab exordio sui debita punitione plectantur, indies plùs vires acquirunt, quæ vbi coaluerint, & radices suas altiùs figerint, nec dubium difficultiùs abolentur. Nos itaque audito (quod æquo animo tollerare non possumus) qualiter sub nostri dominij potentatu multi degunt farè toto Orbe pellendi, quorum aliqui Instrumenta falsa conficiunt, aliqui testimonia falsa deponunt, deliberauimus antequā contagio ista transeat ad plures super hoc de opportuno, & salubri remedio prouidere. Mandantes ideò vobis, quatenùs certa capitula, quæ prædictorum occasione cum bona, & matura deliberatione fecimus compillari his inserti tenoris pro decreto, & municipali lege seruetis, & faciatis inuiolabiliter obseruari, & in quibuscunque locis consuetis vestræ iurisdictionis publicè diuulgari, & ad perpetuam rei memoriam in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani, & Decretorum nostrorum inseri pariter, & describi. Dat. Mediolani die decimo Februarij MCCCLXXXX. Gasparinus signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor capitulòrum talis sequitur.

Contra Notarios, & alias personas, quæ facerent, vel fieri facerent aliquam chartam, vel scripturam falsam.

P*Rimò, si quis fecerit, vel fieri fecerit chartam falsam, vel acta publica falsa, vel falsificauerit, vel falsificari fecerit scienter aliquam chartam, vel condemnationes, vel attestationes, vel dicta testium, vel confessiones, vel testes, vel acta publica, scripta, vel scriptos, vel alias scripturas in toto, vel pro aliqua parte de, vel super quantitate, re, vel iure non excedente quantitatem floren. quinquaginta auri, condemnetur pro prima vice in quadruplum, & vlteriùs, quod mitrietur, & tribus diebus continuis sic mitriatus publicetur in publico; pro secunda vice in amissione manus, in qua sit magis potens; pro tertia verò vice pœna ignis apponatur, & si de, vel super quantitate, re, vel iure excedente summa floren. quinquaginta, vsque ad florenos quingentos auri, pro prima vice condemnetur in amissione manus, in qua sit magis potens; pro secunda verò vice apponatur pœna ignis, & si de re, vel super re, quantitate, vel iure excedente summam floren. quingentorum, pro prima vice arbitrio Potestatis in amissione manus, vel pœna ignis, inspecta qualitate facti, & personæ; pro secunda verò vice apponatur pœna ignis.*

Si quis falsum testimonium dixerit, vt aliquis condemnetur in causa criminali, puniatur ea pœna, qua puniendus esset ille contra quem falsum testimonium dixerit si corporaliter veniret condemnandus, & hoc vbi pœna corporalis non sit minor, quàm incisio linguæ, quo casu lingua incidatur eidem. Si verò pecunialiter, tunc amputetur ei lingua, & mitrietur. Si verò falsum testimonium dixerit, vt aliquis in criminali causa absoluatur, similiter puniatur ea pœna, qua puniendus esset ille, in cuius fauore dixerit testimonium, si corporaliter veniret condemnandus, si verò pecunialiter, tunc amputetur ei lingua,

& eadem pœna puniatur ille, qui scienter, & dolosè produxerit in causa criminali falsos testes, vel falsum testem, vel eis, seu eo scienter, & dolosè vsus fuerit, & vbi aliter non appareat, seu constet aliquem scienter, & dolosè produxisse falsos testes, vel vsum fuisse, intelligatur scienter, & dolosè produxisse falsos testes, vel falsum testem, vel scienter, & dolosè vsum fuisse, qui post publicationem testium interrogatus an velit vti dictis testium, vel testis, responderit se velle vti, & quilibet interrogatus teneatur respondere ad terminum per Iudicem statuendum, & si ad ipsum terminum non responderit, intelligatur non velle vti, & vltrà, ille, qui falsum testimonium dixerit vt supra, & ille, qui produxerit, vel vsus fuerit vt supra, & quilibet eorum insolidum, ita tamen, quod vnica sufficiat solutio, compellatur realiter, & personaliter ad emendationem faciendam cuiuslibet damni, dispendij, & interesse illi, qui damnum, dispendium, seu interesse substinuisset, seu supportasset occasione dicti falsi testimonij.

Quicunque falsum testimonium dixerit, vt aliquis condemnetur in ciuili causa, amputetur ei lingua. Si verò falsum testimonium dixerit, vt aliquis absoluatur in causa ciuili, similiter amputetur ei lingua, & eadem pœna puniatur ille, qui scienter, & dolosè produxerit falsos testes, seu falsum testem in causa ciuili, vel eis, seu eo scienter, & dolosè vsus fuerit, & intelligatur scienter, & dolosè produxisse falsos testes, vel falsum testem, vel scienter, & dolosè vsum fuisse, qui post publicationem testium interrogatus an velit vti dictis testium, vel testis, responderit se velle vti, & quilibet interrogatus teneatur respondere ad terminũ per Iudicem statuendum, & si ad ipsum terminum non responderit, intelligatur non velle vti, & vltrà, ille, qui falsum testimonium dixerit vt supra, & ille qui produxerit, vel vsus fuerit vt supra, & quilibet eorum insolidum, ita tamen, quod vnica solutio sufficiat, teneantur ad emendationem cuiuslibet damni, dispendij, & interesse illi, qui damnum, dispendium, seu interesse substinuisset, seu supportasset occasione falsi testimonij, & eadem pœna puniatur quilibet, qui solicitauerit, aut operam dederit, aut consilium, quod aliquis dicat falsum testimonium.

Quod exemptio alicuius banniti, seu condemnati se non extendat ad bona confiscata Cameræ Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Maturè componi, & deliberatè notari fecimus Decretum his insertum tenoris, super facto bonorum illorum, qui per nos eximuntur ab eorum bannis, quorum bannorum occasione debitè confiscata sunt eorum bona Cameræ nostræ non restituendorum. Ea propter volumus, & vobis expresse mandamus, quatenus de huiusmodi decreti nostri serie proclamationes opportunas in quibuslibet partibus consuetis vestræ Iurisdictionis fieri faciatis, necnon ipsum in volumine Statutorum, & Decretorum nostrorum, ac Communis nostri Mediolani ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die primo Martij MCCCLXXXX. Comolus signauit. A tergo Egregio, & Sapienti Viro Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti sequitur in hac forma.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis: Quoniam propter aliqua occurrentia quandoque contingit aliquem bannitum, seu bannitos, quorum bona debitè propter ipsorum delicta sunt

Cameræ

Cameræ nostræ applicata, seu confiscata de eorum bannis eximi, seu cancellari, & dubitetur, utrum cancellatio, seu exemptio talium bannitorum se extendat ad bona confiscata suprascripta, vel non, harum tenore, ad tollendũ dictã dubitationẽ, hoc nostro præsenti decreto edicimus, decernimus, declaramus, & mandamus, quod si de cætero contingat aliquẽ bannitum, seu bannitos aliquos de eorum bannis eximi, seu cancellari, quod dicta exemptio, seu cancellatio nullo modo ad bona debitè confiscata dictæ nostræ Cameræ eis restituen. extendatur, sed ea volumus inuiolabiliter penès Cameram nostram, seu habentes causam à nobis remanere debere. In quorum testimonium &c. Dat. Mediolani die primo mensis Martij MCCCLXXXX., duodecima Indictione.

Quod bona iudicata Fabricæ Ecclesiæ Maioris Mediolani possint vendi, & possint vti beneficio prouisionis factæ super venditionibus.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Supplicationes recepimus subsequentis tenoris vlz.

ILlustri, Magnificæ, & Excelsæ Dominationi vestræ humiliter, & deuotè supplicatur pro parte vestrorum fidelissimorum subditorum Deputatorum ad Fabricam vestram Ecclesiæ Maioris Mediolani, vt cum aliqua bona immobilia sint donata prædictæ Fabricæ, quæ bona expedit vendere, vt pretium ipsorum bonorum possit conuerti in vtilitatem ipsius Fabricæ, cumque non reperiantur boni emptores volentes emere ipsa bona, quia non reputant ipsi emptores se bene securos ad emendum ab ipsis Deputatis licet per aliquos dicatur ipsos Deputatos posse vti beneficio prouisionis editæ super venditionibus, quæ fieri possunt, sine fideiussione, quatenùs ob reuerentiam Gloriosissimæ Virginis Mariæ, sub cuius vocabulo ipsa fabricatur Ecclesia, ad tollendum dubium dignemini edicere, & mandare, quod ipsi Deputati ad ipsam Fabricam possint vti beneficio dictæ prouisionis, in vendendo bona omnia pertinentia dictæ Fabricæ, & in omnibus, & per omnia habeat locum beneficium dictæ prouisionis in venditionibus, quæ contingent fieri per ipsos Deputatos, seu per eorum Syndicum secundum formam dictæ prouisionis, prout haberet locum in alijs Ciuibus vestris Mediolani, volentibus vendere secundum formam dictæ prouisionis, & quod prædicta habeant locum, tàm in, & de bonis ipsi Fabricæ donatis, quàm de cætero donandis, vel in ipsam Fabricam aliqualiter perueniendis, vel peruentis. Quocirca memoratam Ecclesiam laudabilibus, & condignis fauoribus prosequi cupientes. Serie præsentium concedimus Deputatis, & deputandis ad fabricam Ecclesiæ prædictæ, quatenùs in vendendo bona, & iura donata, vel adiudicata, seu alio quouis modo spectantia, & pertinentia Fabricæ prædictæ, tàm pro tempore præterito, quàm quæ in futurum pertinere contingent ipsi Deputati, seu eorum Syndicus vti possint beneficio prouisionis editæ super venditionibus, quæ sine fideiussione fieri possunt, & de qua supra fit mentio, quemadmodum vtuntur, & vti possunt alij Ciues laici Ciuitatis nostræ Mediolani, & in omnibus, & per omnia habeat locum beneficium dictæ prouisionis in venditionibus, quæ contingent fieri per ipsos Deputatos, seu per eorum Syndicum secundum formam dictæ prouisionis, prout haberet locum in alijs Ciuibus nostris Mediolani. Mandantes omnibus, & singulis Potestatibus, Vicarijs, & Officialibus, ac singularibus personis ad quos, vel ad quas spectat, vel spectare contingat, quatenùs has nostras litteras obseruent, & faciant inuiolabiliter obseruari.

seruari, In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari, Dat, Mediolani vigesimoseptimo Septembris MCCCLXXXX., Inditione quartadecima. Franciscolus.

Quod decretum causarum ciuilium habeat locum in delegatis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Querelanter nonnullorum relatione percepimus, quod decretum nostrum editum occasione ciuilium causarum versatur in dubium, vtrum seruari debeat in quæstionibus delegatis, ac delegandis etiam à nobis, àn ne, & sic sub inuolucro perplexitatis, huiusmodi quæstionis multipliciter dilatantur contra mentem nostram in expen., magnumque dispendium Subditorum nostrorum, eatenùs materiam perplexitatis antedictæ tollere cupientes, vt Subditi nostri per cauillosas oppositiones à modo non ducantur, declaramus vobis nostræ intentionis esse, quod in quæstionibus de cætero inchoandis, & dependentibus, in quibus non sit lis contestata, vel habita pro contestata quouismodo delegatis, vel delegandis etiam à nobis locum habeat, & seruetur decretum nostrum ciuilium causarum de quo supra sit mentio in omnibus sicut iacet. Mandantes vobis, quatenùs de prædictis proclamationes publicas in locis consuetis fieri faciatis sic, quod perueniat ad notitiam, quorumcunque, faciatisque has nostras litteras inseri, & describi in volumine Statutorum nostræ Ciuitatis Mediolani ad perpetuam rei memoriam, & pro lege municipali inuiolabiliter obseruandas. Dat. Mediolani primo Martij MCCCLXXXXI. Franciscolus. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Contra fraudantes monetas, & rationes Domini.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cùm ob aliquorum Officialium nostrorum cupiditatem, aut malitiam, vt nobis experientia patefecit, quandoque contingat, & contingere posset in expendendo, & recipiendo pecunias nostras fraudes, & falsitates committi in scribendo plùs, vel minùs, citrà, vel vltrà veritatem, propter quod Cameram nostram damnum indebitè cum iactura reportare necesse est. Idcircò volentes talibus fraudibus, falsitatibus, & deceptionibus obuiare, edicimus, decernimus, & mandamus, quod quicunque Officialis noster ad nostras pecunias expendendas deputatus scripserit in rationibus suis se aliquid expendidisse, quod non expendiderit, vel plus expendidisse, quàm expendiderit, vel aliquo alio modo, vel ratione in scribendo, vel scribere omittendo falsitates commiserit, ex quibus Camera nostra damnum patiatur, vel emendo cum venditoribus aliquam fraudem participauerit, seu quouis alio modo in prædictis nos deceperit, quod illi tales Officiales comburantur, & omnia eorũ bona publicentur, ad hoc, vt eorũ pœna alijs transeat in exemplũ, & eadẽ pœna puniantur omnes, qui eos mandauerint, vel participauerint cũ eis in prædictis, & hoc nostrum decretum locum habeat in futuris tantùm, & non in præteritis. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xviij. Maij MCCCLXXXXI.

Quod Potestates, & Vicarij non ducant secum aliquem de Iurisdictione illa vbi vadunt in officium.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Decretum, quod nuper fecimus compillari, mittimus vobis præsentibus inclusum,

inclusum, volentes, & vobis mandantes, quatenùs ipsum obseruando, & executioni mandando statìm in locis publicis, & consuetis vestræ Iurisdictionis publicari, & proclamari faciatis, sic, quod ad quorumcumque eiusdem Iurisdictionis notitiam valeret peruenire, necnon præsentes nostras litteras, ac decretum ipsum in volumine Statutorum, & decretorum nostrorum, ac Communis Mediolani ad perpetuam rei memoriam inseri, & describi. Dat. Mediolani die secundo Decembris MCCCLXXXXI. Comolus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti sic sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quoniam multas, & multas à Subditis nostris querelas diuersimodè recepimus, quod Potestates, & Vicarij Ciuitatum, & Terrarum nostrarum merum, & mixtum Imperium habentium, quandoque secum ducunt, & tenent in officijs Vicarios, Iudices, & Collaterales, seu aliquos alios officiales, & Baruerios, qui sunt de Ciuitate, seu districtu illius Ciuitatis, vel Terræ, vel de Ciuitate, seu Terra ibi propinqua vbi Potestates, vel Vicarij prædicti existunt, absque aliqua intermedia iurisdictione, propter quod multa persæpè ob amicitiam, parentelam, vicinantiam, & alia in nostrorum subditorum iacturam, & damnum contra intentionem nostram committuntur pariter, & sequuntur, & volentes huiusmodi inconuenientijs obuiare; tenore præsentium statuimus, decernimus, & mandamus, quod nullus Potestas alicuius nostræ Ciuitatis, & Terræ habentis merum, & mixtum Imperium debeat conducere, seu secumtenere in officio Vicarium, Iudices, Collaterales, Baruarios, seu aliquos alios Officiales, qui sunt de eadem Ciuitate, vel Terra, in quibus Potestas, Rector, vel Præses erit, neque de Ciuitate, seu districtu illi propinquis, & immediatis. Ita, quod nullus ex prædictis secum esse possit, nisi fuerit vna iurisdictio intermedia ab eadem Ciuitate, vel Terra. Intendentes, quod hoc locum habeat tàm in præsenti, quàm in futuro, ita, quod si quis ex Potestatibus, & Rectoribus nostris huiusmodi aliquem secum habeat contra hanc nostram intentionem, ipsos tales statìm debeat excambiare. In quorum testimonium &c. Dat. Mediolani die secundo Decembris MCCCLXXXXI., decimaquarta Indictione.

Quod Officiales facientes executiones in Ciuitatibus, & Terris Domini non recipiant solutiones à personis singularibus, sed solùm secundum Statuta & consuetudines consuetas.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Fide digna percepimus relatione, quod per Iudices Collaterales, & alios Officiales Potestatum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, qui per districtum ipsarum Ciuitatum, & Terrarum pro aliquibus executionibus fiendis, & officijs exercendis destinantur solutiones à singularibus personis etiam Communibus, Collegijs, & Vniuersitatibus indebitè recipiuntur; quare volentes huiusmodi illicitis obuiare, volumus, & vobis mandamus, quatenùs ordinetis, & cum effectu faciatis, quod Iudicibus Collateralibus, & alijs Officialibus vestris de cætero fiant solutiones pro executionibus per eos fiendis in Comitatu nostro Mediolani, secundùm, quod dictant Statuta, & Ordinamenta Communis nostri Mediolani, vel secundùm longæuam consuetudinem, eandem hanc

nostram intentionem publicari, & proclamari faciendo in locis publicis, & consuetis iurisdictionis per nos vobis commissæ; sic, quod ad vniuscuiusque notitiam valeat peruenire, præsentesque nostras litteras in volumine Statutorum, & Decretorum nostrorum, & Communis Mediolani inseri pariter, & describi. Dat. Mediolani die quarto Ianuarij MCCCLXXXXII.

Decretum super apprehensione bonorum Cameræ Domini, & de ordine seruando in apprehendendo dicta bona.

NOS Ioannes Galeaz Vicecomes, Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Dilectorum nostrorum Communium, ac Vniuersitatum, & singularum personarum Ciuitatum, & Terrarum nostræ Dominationi, ditioni subditorum indemnitati, & vtilitati salubriter prouidere volentes. Ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis hoc generali statuimus edicto, vt circa executiones, & exactiones contra quoscunque nostræ Cameræ ipsorum Communium occasione Datiorum, & Incantuum, & aliorum omnium pertinentium ad intratas, tam ordinarias, quàm extraordinarias debitores, & fideiussores, ac socios, & participes eorum, & bona eorum pro suis debitis fiendis modo inferius inuiolabiliter obseruetur.

Inprimis itaque decernimus omnia, & singula bona, res, & iura quorumcunque debitorum Cameræ nostræ, seu quorumcunque Communium, & Vniuersitatum nostro dominio subiectorum, & fideiussorum, ac sociorum, & participum ipsorum, tam præteritorum, quàm præsentium, & futurorum, & cuiuslibet eorum insolidum fuisse, & esse ipsis Cameræ nostræ, seu Communibus, & Vniuersitatibus legitimè hypothecata, & obligata, ac si ipsa hypotheca, & obligatio fuissent alias legitimè, & expresse contractæ, & etiam omnia illa bona, & suppellectilia, quæ de iure communi non veniunt, neque cadunt in obligatione, & hypotheca generali, ac in eis bonis habere Cameram nostram, seu ipsa Communia, & Vniuersitates ius ipsa bona etiam auctoritate propria, & sine vlla auctoritate iudiciaria ingrediendi, capiendi, & apprehendendi, ac retinendi ipsa bona, & eorum possessionem, & in hoc casu eandem vim habere dictam Cameram, seu dicta Communia, & Vniuersitates in bonis prædictis quemadmodum habuissent, & haberent si de præmissis etiam per publicum Instrumentum specialis, siue generalis obligatio, vel hypotheca bonorum, & pacta ingrediendi, & apprehendendi, & retinendi vtsupra fuissent expressa, & hæc etiam tam contra ipsos debitores, & fideiussores, quàm eorum etiam socios, & participes, & bona eorum insolidum, etiam non obstante contradictione quorumlibet in eis bonis quouismodo ius habere prætendentium, saluo tamen eis iure, vt inferiùs dicetur; socios autem, & participes eorum fore intelligimus, qui in ipsis datijs, & incantibus quouismodo participauerint, aut ea exercuerint in toto, vel in parte ad commodum, & incommodum proprium.

Statuimus, & decernimus quoque, quod contra quoscunque huiusmodi debitores, & fideiussores, socios, & participes eorum, & bona ipsorum etiam insolidum possit quælibet executio, tam realis, quàm personalis, etiam immediatè fieri, nulla etiam facta excussione, aut conuentione principalis, seu aliorum sociorum, vel participum, vel bonorum eorum ac si bona, & eorum possessio, & tenuta essent penès principales debitores.

Insuper decernimus pro debitoribus, & fideiussoribus, ac socijs, & participibus eorum veris, & legitimis vtsupra, vltra prædicta haberi debere eos etiam, qui scripti fuerint pro debitoribus, & fideiussoribus, aut socijs, vel participibus

Cameræ

Cameræ nostræ, vel ipsorum Communium, vel Vniuersitatum ex quacunque causa, vel occasione, etiam si de debitis eorum non constet publico Instrumento, aut alio adminiculo, & quod ipsis libris ita credatur, & fides plenaria adhibeatur ac si essent publica instrumenta; libros autem, quo ad præmissa intelligi debere declaramus eos, qui fuerint penès Rationatores, aut alios Officiales Cameræ nostræ ipsorum Communium, & Vniuersitatum libros huiusmodi solitos gubernare.

Præterea volumus, & mandamus, quatenùs singulo anno in principio mensis Ianuarij quilibet Rationator, aut Officialis ad quem spectat, vel spectabit ipsius Cameræ nostræ, seu talis Vniuersitatis, seu Communis, teneatur in scriptis dare quemlibet debitorem ex dictis caussis, & fideiussores; ac socios, & participes eiusdem si de ipsis socijs, & participibus notitiam habere poterunt Magistris Intratarum nostrarum ordinariarum, seu extraordinariarum, prout ad ipsorum spectat officium, seu Syndicis, vel Procuratoribus ipsius Communis, vel Vniuersitatis ad hoc deputatis, vel substituendis ab eis, quodque ipsi Magistri Intratarum ordinariarum, vel extraordinariarum, vel Syndici, vel Procuratores ad hoc deputandi, vel substituti ab eis teneantur, & debeant capere, & apprehendere corporalem possessionem bonorum immobilium ipsius talis debitoris, & fideiussorum, ac sociorum, & participum suorum, & cuiuslibet eorum insolidum, etiam nulla alia facta excussione, aut reconuentione contrà bona principalium debitorum, seu aliorum sociorum, vel participum, seu fideiussorum eorum; & etiam propria auctoritate, & sine vlla auctoritate iudiciaria, & ijdem Magistri, vel deputandi per eos, vel Syndici, vel Procuratores, vel substituti ab eis de ipsa apprehensione, & introitu debeant facere fieri tria publica Instrumenta, quorum vnum penès se retineant, vt possit de gestis per se omni tempore ostēdere debitam rationem, aliud mittant ad Magistros Intratarum ordinariarum nostrarum, si ad eorum spectat officium, vel ad officiū Intratarum extraordinariarū nostrarum, si ad eorū spectat officiū, reliquum verò præsentent in Archiuio publico illius Ciuitatis, vel loci in quo ipsa bona fuerint apprehensa; quibus pactis statìm ipsi Syndici, & Procuratores debeant effectualiter procurare, quod (si fuerint de bonis iacentibus in Ciuitate, & districtu Mediolani, mandato dictorum Magistrorum ad quos spectabit, si ad Cameram spectant, si autem ad Commune Mediolani mandato Domini Vicarij officio prouisionum Communis Mediolani, vel eius Locumtenenti; si autem in alijs Ciuitatibus, & Terris, vel earum districtibus fuerint ipsa bona mandato dictorum Magistrorum, Potestatis, Vicarij, aut Rectoris dictæ Ciuitatis, aut Terræ) fiant publicè proclamationes duabus hebdomadis proximis immediatis viz. tribus diebus in vtraque ipsarum hebdomadarum in locis publicis ipsarum Ciuitatum, & Terrarum, in quibus solent fieri publicè proclamationes, & hora sextæ, vel circa, seu hora vesperarum, vel circa, & præsentibus tribus testibus idoneis, & semèl in vna ipsarum hebdomadarum in contrata ipsius debitoris, vel fideiussorum suorum, aut sociorum, & participum, quorum fuerint ipsa bona, & etiam semèl in vna ex ipsis hebdomadis in plateis publicis Villarum, seu Terrarum, in quibus, seu quorum territorio fuerit ipsa bona, declarando ipsa bona per cohærentias, terminationes, & numerum perticarum, & cuius fuerint ipsa bona, & pro quo debito sunt apprehensa, & quod si est aliqua persona, Commune, Collegium, aut Vniuersitas habens, vel habere prætendens ius aliquod in ipsis, aut super ipsis bonis, vel aliqua parte eorum teneantur, & debeant comparere, & in scriptis dare, & ostendere, peremptoriè de iuribus suis prædictis nostris Magistris Intratarum ad quos spectabit

officium

officium,vel coràm alijs Officialibus,quorum mandato fierent proclamationes prædictæ intra menses tres post eas omnes proclamationes immediatè sequentes, & si fuerint mulieres Viduæ, aut Pupilli, seu Orphani, mentecapti, aut furiosi, aut alij, sub eorum tutela, aut cura degentes, vel absentes infra menses sex proximos, & immediatè post eas proclamationes sequentes, alioquin, quod elapsis terminis suprascriptis vlteriùs non audiantur, & quod in prædictis procedatur, prout præsenti decreto inferius continetur.

Sed si aliqua persona, Commune, Collegium, aut Vniuersitas singula singulis congruè referendo comparuerit in dictis terminis, & docuerit de suis iuribus, & dederit ipsa in scriptis vtsupra, tunc, & eo casu ipsi Magistri Intratarum; seu ipse Vicarius prouisionum Communis Mediolani, Potestas, Vicarius, aut Rector, vel eorum Locumtenens coram quo, seu quibus datum in scriptis, & ostensum fuerit, & fieri debuerit de iuribus suis vtsupra, summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, forma, & figura iudicij cognoscere debeat de iuribus partium prædictarum, & ius suum vnicuique tribuere, etiam per diffinitiuam sententiam, citatis tamen in quolibet actu, & processu Procuratoribus Cameræ nostræ, ac Procuratoribus, & Syndicis dictorum Communium, & Vniuersitatum, & quod ab huiusmodi sententijs nequeat appellari, querelari, nec etiam supplicari. Si verò nulla persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas comparuerit, vel sua iura in scriptis non dederit, & ostendiderit vtsupra, vel si pronuntiatum, vel declaratum fuerit dictam Cameram nostram, vel ipsum tale Commune, vel Vniuersitas, in quorum fauorem ipsa bona capta erunt habere meliora, & potiora iura in dictis bonis, & tunc, & eo casu statìm ipsa bona publicè, & in locis consuetis, & per Officialem consuetum, seu Officiales consuetos subhastentur, & incantentur, & plus offerenti dentur, & de pretio ipsorum bonorum respondeatur Thesaurario nostro ad quem spectabit, vel Thesaurario, seu Camerario ipsius Communis, & Vniuersitatis, ac ponantur in credito ad partitam eius cuius fuerint ipsa bona, tunc fiant ipsa bona pleno iure, & irreuocabiliter ipsius, cui in dicto incantu deliberata, & data, seu alienata fuerint, ita etiam, & taliter, quod nulla persona, Commune, Collegium, nec Vniuersitas possit vllo tempore controuersiam, litem, aut quæstionem de ipsis bonis, vel eorum occasione mouere contra ipsum talem acquisitorem, seu subhastantem ipsa bona, & cui data, & deliberata, seu alienata fuerint vtsupra, nisi ex causa, vel facto ipsius talis acquirentis, & subhastantis; & volumus, quod Camera nostra, seu ipsum Commune, & Vniuersitas dictæ Ciuitatis, seu Terræ teneatur ipsi acquirenti, & subhastanti vtsupra, defendere ipsa bona quemadmodum verus venditor tenetur emptori in forma communi, & secundum formam iuris.

Insuper prouidemus, quod si infra prædictos menses sex, de quibus supra facta est mentio, & in quibus potest compareri, & doceri de iuribus suis vtsupra, ille cuius erunt ipsa bona soluerit debitũ cũ expensis pro quo ipsa bona capta, & apprehensa fuerint vtsupra, tunc, & eo casu ipsa bona liberè eidem relaxentur, & eidem computentur etiam fructus eorum bonorum in sortem; elapsis verò ipsis mensibus sex vlteriùs non audiatur, slz. elapso dicto semestri tempore, ex tunc intelligantur bona ipsa sic apprehensa Cameræ confiscata, & incorporata pro eo pretio, quo æstimata fuerint si contigerit alijs distrahi secundùm ordines in talibus obseruandos, fructibus, illùc vsque exinde perceptis in sortem computandis, fructus verò ipsi, qui elapso dicto semestri postmodum ex ipsis bonis percipientur nullatenùs æstiment, nec diminuant sortem ipsam, sed ipsi Cameræ tanquam veræ dominæ acquirantur, & acquisita esse intelligantur.

Item

Item volumus, quod si dicta bona per menses duos continuos fuerint semel in die, horis consuetis, posita ad subhastationem, & non fuerit reperta aliqua persona, quæ ipsa subhastare, aut incantare voluerit, tunc ipsa bona liberè, & irreuocabilitèr fiant Cameræ nostræ, seu ipsius talis Communis, vel Vniuersitatis, & in ipsam, vel Commune illud ea transeant pleno iure, & irreuocabilitèr, & quod nulla persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas possit de ipsis, aliquo tempore, quæstionem, litem, aut controuersiam mouere contrà Cameram nostram, vel dictum Commune, vel Vniuersitatem de ipsis bonis, vel aliquo eorum ex quacunque causa, vel iure, ita tamen, quod hoc casu ipsa bona æstimentur per ipsum Vicarium, vel Rectorem, cuius mandato proclamata fuerint vtsupra, cum consilio trium ex melioribus hominibus ipsius Ciuitatis, vel Terræ, in qua, vel cuius territorio situata fuerint, & cum sacramentis eorum trium, & teneantur ex eis bonis illa solummodo, quæ sufficiant ad solutionem crediti præfatæ Cameræ, seu dicti Communis, vel Vniuersitatis, & reliqua dimittantur eis, quorum fuerint ipsa bona, vel alijs habentibus ius, qui comparuerint, & de suis iuribus docuerint vtsupra, in dictis terminis.

Porrò edicimus, & mandamus, quod si pignorata, vel capta fuerint aliqua bona mobilia, seu se mouentia, aut ea, quæ seruando seruari non possint, tunc mandato illius ex dictis Officialibus, in cuius iurisdictione fuerint capta, vel pignorata ipsa bona, vel eius Locumtenentis fiat in locis consuetis publica proclamatio, quod infra illum terminum de quo sibi videbitur conuenire, inspecta qualitate facti, & pignorationis, dum non excedat terminum vnius mensis, vnaquæque persona habens, vel habere prætendens ius aliquod in eis bonis compareat coràm ipso Officiali, & perhemptoriè ad dandum in scriptis, & ad docendum de iuribus suis; in quo termino si comparuerit aliqua persona, Commune, Collegium, aut Vniuersitas docens habere meliora, & potiora iura in dictis bonis, quàm habeat ipsa Camera, seu ipsum Commune, vel Vniuersitas, dictus Officialis faciat summariè, simplicitèr, & de plano, sine strepitu, & figura iuditij, immo in prædictis, prout viderit conuenire, & ipso termino elapso, si nullus comparuerit, & non docuerit de iuribus suis vtsupra, in scriptis, vlterius non audiatur, & ipsa talia bona statim subhastentur, & incantentur, & plus offerenti dentur, & de pretio eorum respondeatur Thesaurario nostro ad quem spectabit, seu Thesaurario dicti Communis, vel Vniuersitatis, cuius debitoris fuerint ipsa bona, & denarij pretij ipsorum bonorum ponantur in credito ad partitam illius, cuius fuerint ipsa bona.

Decernimus quoq; quod si in aliquo casuũ prędictorũ alienata, seu subhastata fuerint aliqua bona alicuius fideiussoris alicuius debitoris, vel quod bona alicuius capta, aut subhastata fuerint in toto, vel in parte pro debito alicuius alterius, vt præfertur, quod ipsi fideiussori, & ipsi tali cuius bona fuerint subhastata vtsupra in toto, vel in parte pro debito alterius detur, & datus esse intelligatur ipso iure efficax regressus contrà principalem suum, & contrà illum pro quo ipsa bona fuerint subhastata vtsupra, capiendi, & personaliter detinendi ipsum principalem debitorem, seu illum pro cuius debito subhastata fuerint vtsupra, & eius, & etiam ac si haberet contra eum, & eius bona solennem cessionem de quantitate denariorũ pretij pro quibus bona dicti fideiussoris, aut ipsius talis, cuius bona pro alterius debito fuerit subhastata vtsupra, vel vt præfertur perdita, vel translata vtsupra, & quilibet Potestas, Iudex, vel Officialis, qui iurisdictioni præerit tali sic exacto, vel cuius bona capta, & distracta fuerint pro alterius debito, tàm contra personam principalis olim debitoris, quàm eius bona teneatur, & debeat ministrare iustitiam summariè, simpliciter,

&

& de plano, sine strepitu, & figura iuditij, sola veritate inspecta, vsquequo eidem fuerit, tàm de damno, & interesse, quàm de expensis integrè satisfactum; & quod eadem bona principalis debitoris intelligantur, & sint obligata ipsi sic exacto, prout ante erant ipsi creditori exigenti.

Præterea volumus; quod infra quindecim dies post publicationem huiusmodi nostri decreti immediatè sequentes quilibet Referendarius, Rationator, & Officialis, qui habeat penès se librum rationum alicuius Communis alicuius nostræ Ciuitatis, vel Terræ teneatur dedisse in scriptis Sapientibus, Deputatis, ac Syndicis, & Procuratoribus ipsorum Communium omnes debitores ipsorum Communium ex dictis causis à mense Ianuarij proximè præterito retrò, & eorum fideiussores, socios, & participes benè, & ordinatè, vt prædicta etiam contra eos executioni mandari possint. Concedimus insuper ipsis Procuratoribus, & Syndicis, quod pro prædictis exequendis facere possint qualibet expensam de intrata sui Communis necessariam, & opportunam ad illa exequenda, quæ incumbunt, & teneantur eas in scriptis redigere, & reddere rationem illis ad quos spectat, & prædicta etiam locum habere volumus in omnibus, & singulis casibus, tàm præteritis, quàm præsentibus, & futuris.

Præterea declaramus, quod per prædicta, nec aliquid prædictorum derogetur, nec derogatum esse intelligatur alicui decreto per nos aliàs edito super bonis homicidarum, & malefactorum, nec aliquibus contentis in eo, nec secutis ex eo. Non intendentes tamen per prædicta, nec aliquid prædictorum derogare, nec derogatum esse decreto nostro aliàs edito super bonis debitorum Cameræ, & Communium nostrorum, nec aliquibus secutis exindè in casibus similibus, in quibus ipsum nostrum decretum locum habuerit in toto, vel in parte, nec initium, aut executionem aliquam sumpsissent ex ipso decreto. Decernentes quoque prædicta pro lege perpetua, & decreto nostro inuiolabilitèr obseruari, etiam non obstantibus aliquibus legibus, aut iuribus in contrarium editis, quibus, in quantum præsentibus obuiarent, ex certa scientia, & de nostra absoluta plenitudine potestatis derogamus. In quorum testimonium &c.

Quod Massarij, & Coloni possint capi non obstante decreto Domini *facto super prohibitis captionibus.*

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod declarationem nostram introclusi tenoris disponentem, quod coloni, partiarij, massarij, seu mezadri, fictabiles, emphiteotæ, socedarij, pensionarij, & molinarij possint pro corũ debitis personaliter detineri publicari faciatis per Iurisdictionem vobis commissam, ac in volumine aliorum Statutorum, & Decretorũ nostrorũ, & Communis nostri Mediolani inseri, & describi. Dat. Mediolani die sexto Iunij MCCCLXXXXII. Iacobinus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia in ijs, quæ Subditi nostri, & eorum coloni, partiarij, massarij, seu mezadrj, fictabiles, socedarij, emphiteotæ, pensionarij, & molinarij habent simùl facere satis agitur de interesse dictorum Subditorum nostrorum. Ideò circa vtilitates, & commoda prædictorum Subditorum nostrorum multiplicata animum, mentemque versantes, & cupientes super eorum indemnitate quantum sit nobis possibile prouidere, tenore præsentium declaramus nostræ intentionis esse decretũ nostrũ editũ bono motu anno Domini MCCCLXXVIIII. *die xxij. Martij, Indictione secunda, in effectu disponens, quod nemo possit*

pro

pro aliquibus priuatis debitis personaliter detineri, quo ad dictos colonos, partiarios, massarios, seu mezadros, fictabiles, emphiteotas, sozedarios, pensionarios, & mulinarios locum de cætero non habere. Immo volumus, & præsentium tenore decernimus, quod prædicti coloni, partiarij, massarij, seu mezadri, fictabiles, emphiteotæ, sozedarij, pensionarij, & mulinarij per illos, quorum veri debitores appareant conueniri possint, prævia iustitia, & pro eorum debitis personaliter detineri non obstante prædicto decreto nostro, cui in hac parte, ex certa scientia, derogamus. Volentes hanc declarationem nostram inseri in volumine aliorum Statutorum, & decretorum nostrorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, & de cætero inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli muniminе roborari. Dat. Papiæ die xxv. Maij MCCCLXXXXII., quintadecima Indictione.

De denuntijs, siue accusis in scriptis portandis in diuersis partibus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Fraudibus, & enormibus inconuenientijs, quas multimodè, committi sentimus ad Officia Maleficiorum, Victualium, Stratarum, & Acquarum Ciuitatis, & Comitatus nostrorum Mediolani, & in ipsis officijs quantò plùs possumus obuiare cupientes. Est nostræ intentionis, & volumus, quod omnes, & singulæ denuntiæ, inuentiones, siue accusæ, quas contingat de cætero porrigi, seu dari ad Officia Maleficiorum, Victualium, Stratarum, & Acquarum prædictorum, siue aliquid eorum pro aliquibus excessibus, criminibus, siue inuentionibus fiendis, vel committendis, siue commissis hinc retrò portentur dupplicatæ, quorum vna copia detur in manibus Iudicum dictorum Officiorum Maleficiorum, Victualium, Stratarum, & Acquarum ad quem spectabit, qui talem denuntiam, accusam, vel inuentionem statim faciant notari super vno suo memoriali, & deindè eam consignent Notarijs eis deputatis, vel alteri eorum, sicuti expediens fuerit. Qui Notarij ipsam denuntiam, inuentionem, seu accusam statim notare, & ponere debeant in actis, vt tenentur, altera verò copia eiusdem continentiæ detur in manibus Vicarij Prouisionum Communis nostri Mediolani prædicti, qui ipsam immediatè notari faciat super vno suo libro tenendo, & saluando penès eum, & Syndicum dicti nostri Communis, ac fiendo, & scribendo per vnum ex Notarijs deputatis ad Officium Maleficiorum prædictum, qui quidem Notarius continuè morari debeat penès Vicarium prouisionum, & Syndicum solùm pro notando denuntias, inuentiones, & accusas prædictas porrigen. ipsis Vicario, & Syndico, vt præfertur, & ipsi Notario soluatur eo modo quo soluitur nunc alijs quinque Notarijs Maleficiorum. Intendentes, quod in fine cuiuslibet mensis dictus Syndicus examinare teneatur, & punctare omnes, & singulas denuntias, inuentiones, & accusas descriptas super libro dicti Vicarij, & suo, cum actis, & processibus fiendis per dictos Iudices, & eorum Officiales, & hoc sub pœna dimidiæ partis salarij Syndici suprascripti, totiens quotiens fuerit remissus in præmissis irremissibilitèr auferen. Est etiam nostræ intentionis, quod Vicarius prouisionis, & Syndicus antedicti, si contingat eos reperire aliquas barattarias, aut aliud illicitum fuisse commissum in prædictis, vel aliquo prædictorum, illud statim nobis notificare debeant, sub pœna prædicta, & propterea mandamus vobis, quatenus huiusmodi intentionem nostram in omnibus, & singulis locis, in quibus aliæ cridæ solent fieri, faciant statim

 voce

voce præcona diuulgari, sic quod ad notitiam personarum, quarum intereſt deducatur, & ſubſequentèr has noſtras litteras, earumque tenorem obſeruetis. & faciatis ſicut iacent inuiolabilitèr obſeruari, facientes ipſas in volumine Statutorum Communis noſtri Mediolani ſerioſiùs regiſtrari, nobiſque de earum receptione per veſtras litteras reſcribentes. Dat. Mediolani die nono Iunij MCCCLXXXXII. A tergo Egregio Militi Domino Poteſtati, necnon Sapienti, & Prudenti Viris Domino Vicario prouiſionis, & Syndico Communis noſtri Mediolani præſentibus, & futuris.

Quod decretum factum ſuper detentione perſonali Colonorum &c. habeat locum etiam ad filios.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Vidimus litteras veſtras facientes mentionem de certis dubijs ortis circa materiam decreti noſtri nuper emanati ſuper conuentione, & perſonali detentione colonorum, partiariorum, maſſariorum, mezadrorum &c. & Statutum dictis veſtris litteris introcluſum vigens in hac noſtra Ciuitate, & diſponens ſuper facto illorum de familia maſſariorum, fictabilium, & aliorum prædictorum maiorum decemocto annis, & cupientes huiuſmodi dubia, & ambiguitates radicitùs euellere. Harum ſerie, attentis in dictis veſtris litteris recitatis, declaramus vobis noſtræ intentionis fore, & velle, quod dictum decretum noſtrũ trahatur, & ſe extendat ad præterita, & quod excuſsio bonorum, de qua ipſæ veſtræ litteræ faciunt mentionem locum non habeat. Super facto autem illorum de familia, volumus, quod liberi talium maſſariorum, fictabilium, ſeu colonorum maiores ætatis annorum viginti, qui habitauerint cum ipſis maſſarijs, & fictabilibus, dum ipſi traxerint debita, poſſint etiã capi pro prædictis debitis quemadmodum memorati maſſarij, fictabiles, & coloni. Volentes ideò quatenùs hanc declarationem, & intentionem noſtram pro lege municipali, & decreto noſtro inuiolabiliter obſeruando, & obſeruari faciendo faciatis eandem in ſolitis locis veſtræ iuriſdictionis diuulgari, & in volumine aliorum decretorum noſtrorum, & Statutorum Communis noſtri Mediolani, viz. penès dictum decretum noſtrum ad perpetuam rei memoriam inſeri, & deſcribi. Dat. Mediolani die 4. Iulij MCCCLXXXXII. Comolus ſignauit. A tergo Sapienti Viro Vicario, & duodecim prouiſionum, ac Syndicis Communis noſtri Mediolani.

Quod vnuſquiſque ſuam partem talearum ſoluat, & pro alijs ſit liberatus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Animaduertentes ſatis graue fore vnicuique Subditorum noſtrorum onerum incumbentium ſuam debitam ſuſtinere portionem, nedum, quod aliorum non ſoluentiũ ſubeat grauitatem, duximus ſuper hoc ſalubritèr prouidendum per ſpeciale decretum noſtrum, quod vobis dirigimus per exemplum his incluſum, volentes, quod illud obſeruare, & obſeruari facere debeatis cum effectu ad litteram, vt iacet, & vt de eo quilibet ad auiſamentum ſuum notitiam habere valeat faciatis de ipſo publicas fieri proclamationes in locis, & partibus ſolitis, & conſuetis, &, vbi expedit, illud etiam regiſtrari in volumine illius noſtræ Ciuitatis. Dat Mediolani die xxviij. Auguſti 1392. Milanus. A tergo Egregio Sapienti, & Prudentibus Viris Poteſtati, Referendario, Vicario, & duodecim prouiſionum noſtris Mediolani.

Tenor

Tenor introclusi decreti talis est.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Dum de nostrorum cura Subditorum mens nostra cogitaret, recordati fuimus esse hactenùs visitatum, quod pro taleis, tàm per nos, quàm Communia Ciuitatum, Terrarum, ac locorum nostrorum impositis, si quicquam restaterit ad soluendum, quilibet de Ciuitate, Terra, vel loco, cuius debitum extiterit, est ad resti ipsius solutionem coarctatus praetextu debiti Communis, nullo respectu habito, quod de talea huiusmodi vnus tangentem sibi portionem persoluerit, & alter non, quod obedientibus cedere reputamus ad grauius, quàm ipsarum talearum impositio; quoniam per hoc inobedientes de eorum duritia, & prauitate gloriantur, & duriores, ac prauiores in solutionibus efficiuntur, exindeque sequuntur Ciuitatum depopulationes, & Terrae, atque loca sapiùs relinquuntur inculta. Et volentes tantae inconuenientiae de salubri remedio prouidere cum iuris suadeat rigor, & aequitas, quod in publicis oneribus persoluendis, quilibet secundum proprias contribuat facultates, & quod vnus pro alio non grauetur, hoc nostro praesenti decreto sancimus, quod si contingat de caetero taleas aliquas per nos, siue Communia Ciuitatum, Terrarum, & locorum nostrorum imponi, quod pro huiusmodi taleis, facta diligenti comparitione inter Ciues, & terrigenas Ciuitatum, Terrarum, & locorum eorundem habiles ad soluendum, si vnus soluerit contingentem sibi portionem non possit pro residuo debiti taleae ipsius impositae aliqualiter molestari, nec ad contributionem alicuius occurrentis expensae causa talis taleae non solutae vllatenus coarctari, sed omnis molestia, & occurrens expensa cedat damno inobedientium, & suas debitas portiones soluere negligentium. Volumus tamen, quod, imposita talea quilibet Ciuis, vel terrigena sicut casus contigerit, teneatur idoneè satisdare Referendario Ciuitatis si in Ciuitate, aut Vicario, vel Rectori Terrae, siue iurisdictionis loci, cui talea imponatur, de sua debita portione persoluenda, quas satisdationes recipi volumus debere, absque aliqua solutione pecuniae fienda, & quae satisdationes si recipiantur per Vicarios, vel Rectores districtuum Ciuitatum statim cum receptae fuerint, per copiam transmittantur per ipsos Vicarios, & Rectores, Referendario Ciuitatis ipsius districtus. Decernimus quoque, & volumus, quod hoc nostrum decretum, & iuris intentio se extendat, & seruetur in restis talearum hactenùs impositarum exigendis, saluo quod in Ciuitate nostra Brixiae, & eius Episcopatu, vbi alij seruantur ordines, quàm in caeteris Ciuitatibus nostris hoc nostrum decretum locum habere nolumus vllo modo. In quorum testimonium &c. Dat. Mediolani die vigesimo octauo Augusti MCCCLXXXXII., quintadecima Indictione.

Decretum super datio Imbotaturae Vini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Impetialis Vicatius generalis. Vidimus quaedam capitula per vos data Magistris Intratarum nostrarum, quae vobis exhibita fuerant per certos Datiarios requirentes ea addi debere in dato datij Imbotatutarum Comitatus huius nostrae Ciuitatis Mediolani. Super quibus considerantes satis omne prouisum circa eorum continentiam per formam dati praedicti, nihil breuitèr intendimus innouare, saluo quod super primo, quod solùm vobis remittimus praesentibus introclusum, respondentes dicimus intentionis nostrae esse, & volumus, quod omnes, quiqui

velint sint, ac cuiusuis status, gradus, & conditionis, siue præeminentiæ consistant debeant sub pœna in dato comprehensa permittere cercare eorum vina in quibuscunque partibus ea habeant per Incantatores vestrarum Imbotaturarum, vel eorum Officiales, & nuntios, & facta cerca, siue æstimatione, & descriptione soluere omnes quiqui velint sint, teneantur dictum datium ad computum, & in termino, siue terminis in dato ipso contentis, & declaratis, exceptis dumtaxat habentibus speciales litteras exemptionis ab ipso datio per nos tantùm concessas à Kalendis Maij anni cursi MCCCLXXXV, citra, & exceptis etiam illis de domo nostra exemptis ab antiquo, siue antiquitùs non solitis soluere, necnon Prælatis, si qui forent, qui nusquam soluissent per tempora retroacta. Declaramus tamen in facto capsinarum, quæ per formam Statutorum Communis Mediolani, vel alio modo sese prætendunt non teneri ad onera cum Plebibus intra quorum limites sunt situatæ, quod per huiusmodi incantum non possit Capsinis ipsis præiudicari, neque præiudicetur aliqualiter, sed ipsæ tales Capsinæ cercari debeant eo casu, & soluere dictum datium Incantatori ipsarum plebium, tamquam si essent loca per se separata. Dat. Mediolani die xviij. Septembris MCCCLXXXXII.

Tenor inclusi.

IN primis, quod quælibet persona, Communitas, Vniuersitas, vel singularis persona teneatur dimittere, cercare, & dare patientiam dictis datiarijs de æstimando, & cercando dictum vinum, & æstimatione facta soluere secundum formam dati, saluo habentes litteras speciales à Domino nostro, vel Domina Comitissa, & hoc sub pœna lib. centum tertiol., cuius pœnæ medietas perueniat in dictos datiarios, & alia in Commune Mediolani, & nihilominus contra recusantes possint facere suas æstimationes, & descriptiones, quæ valeant, & teneant, & quod de vino Domini, vel Dominæ soluatur, vel fiat restaurum.

Quod à sententijs latis per Dominum Iudicem Datiorum non possit appellari.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia iamdudum ordinauimus per Imperiale decretum nostrum quod per copiam vobis mittimus præsentibus inuolutũ, quod in qualibet Ciuitate nostra esset Iudex vnus ad Datia, & quod nullus alter ius reddat in causis datiorum, à sentẽtijs quorũ nullatenus possit appellari, quod quidẽ seruatũ est, & seruatur in qualibet Ciuitate nostra; quare volumus, & vobis mandamus, quatenus vos illud seruare debeatis, & faciatis poni, & inseri in datis datiorum huius nostræ Ciuitatis Mediolani, quod locum habere volumus, tàm pro præterito, quàm præsenti, & in futuro. Dat. Mediolani die iij. Octobris MCCCLXXXXII.

Tenor capituli sic continet.

ITem, quod in Ciuitate Mediolani sit, & esse debeat vnus, qui deputabitur per prelibatum Dominum per Iudicem ad Officium Datiorum, & Intratarum Mediolani, & quod in dicta Ciuitate nullus se impedire debeat, nec aliqualiter intromittere in ius reddendo de datijs, & gabellis, nisi tantùm ille, qui dicto officio deputabatur vt supra, qui possit, & debeat, omni excusatione remota, Potestates, & Capitaneos, Officiales, Castellanos, & Portinarios, si aliquid committerent in fraudẽ, & contra formã datorum dictorum datiorum, &

gabellarum præfati Dñi, & Cõmunis Mediolani condemnare, & punire secundũ formam ipsorum Datorum, & Statutorum, ac Decretorum præfati Domini, & dicti Communis Mediolani, & factis ipsis condemnationibus infra quatuor dies ex nunc prox. futur. prælibato Domino, seu eius Officialibus ipsas notificare, & in scriptis mittere debeat, & à sententijs huius Iudicis non possit aliqualiter appellari, nec querelari, sed in eius Syndicatu deiniustè sententiatis possit Syndicari, & puniri, quod quidẽ capitulũ ponatur in quolibet dato datiorum, & gabellarum Mediolani, & in volumine Statutorum dictæ Ciuitatis, ad hoc, vt Potestates, Capitanei, cæterique Officiales, Castellani, & Portinarij præsentes, & futuri de eo, & intentione præfati Domini notitiam habeant plenariam. In casu autem, qui dictus Iudex negligeret ius reddere dictis gabellatoribus, & datiarijs, & executioni mandare ea, quæ debet iuxtà formam datorum datiorum, & gabellarum, & contentorũ in eis, quod tunc, & eo casu possint, & liceat prædicti datiarij petere recursum ad Magistros Intratarum præfati Domini.

De pœna ponentium insignia Domini Auibus à rampina, nisi sint Domini præfati.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Est nostræ intentionis, & volumus, quod statim proclamari faciatis per nostrã Ciuitatẽ Mediolani, quod nonsit aliqua persona cuiusuis status, conditiotionis, & gradus existit, quæ audeat, vel præsumat ponere, vel poni facere nostram insigniam aliquibus Auibus, viz., Ancipitri, Falconi, vel Austori, quæ non sint nostræ, sub pœna cuilibet contrafacienti pro qualibet vice floren. centum, cuius pœnæ medietas peruenire volumus ad Cameram nostram, & alias medietas in accusatorem. Intendentes hanc nostram intentionem pro nostro decreto inuiolabiliter obseruari debere. Prætereà volumus, quod per dictam nostram Ciuitatem Mediolani proclamari faciatis, quod si contingat aliquam personam capere, vel rehabere, seu recuperare aliquam ex Accipitribus, Falconibus, vel Austoribus nostris, quod tales Aues consignet nobis infra dies octo, & si negligens fuerit in consignando infrà terminum prædictum tales nostras Aues prædictas, quod cadat in pœnam floren. centum, cuius pœnæ medietas peruenire intendimus ad dictam nostram Cameram, & alias medietas in accusatorem, & hanc nostram intentionem intendimus, quòd pro nostro decreto, vt præfertur, obseruari debeat. Dat. Cusagi die octauo Octobris MCCCLXXXXII. Pasquinus. A tergo Egregio Viro Carolo Geno Consiliario, generalique Vicario nostro.

Quod nullus audeat de nouo facere, seu refici facere aliquod fortalitium nouum, vel vetus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Inter cætera, quæ nostrum, & Subditorum nostrorum Statum percipimus concernunt signantèr cordi habemus, vt sub nostro dominio per aliquam personam, vel Communitatem cuiusuis conditionis existat nouum aliquod fortalitium sine expressa nostri licentia construatur, seu antiquum diruptum reficiatur. Eatenus volumus, tibique mandamus, quatenùs per consueta loca nostræ Ciuitatis Mediolani, & districtus, siue Comitatus eiusdem proclamari publicè facias, quod nulla persona, seu Vniuersitas cuiusuis præeminentiæ,

nentiæ, vel conditionis existat forti ilitium aliquod de nouo construere, vel construi, seu antiqua fortalitia deru pta, quæ non sint in fortalitio reficere, vel fortificare, seu refici, vel fortificari f. icere in aliqua parte dominij nostri præsumat, sub pœna æris, & personę, nisi ii npetrata, & à nobis obtēta licentia speciali. Tuq; circa hoc quantū tibi gratia n nstra cara est solertē diligentiam habeas, ne sub prætextu aliquo construi possit nouū fortalitium qualecumq;, seu antiquum diruptum refici, & fortificari, vt p ræfertur. Rescribendo nobis de receptione præsentium. Dat. Papiæ die xv j. Nouembris MCCCLXXXXII. Nicolaus Antonius. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Pro datio Instrumentorum, siue Cartesellarum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Exosas habentes talearum, & mutuorum impositiones, quibus certo pacto pro tempore opportuno fuit pro conseruatione pacifici Status nostri, Subditorumq. nostrorum eosdem Subditos aggrauare, necessitate vigente, cum intratæ nostræ nullatenus ad partem magnam correspondebant ad expensas, nec responderent in futurum, nisi aliter prouideretur, disposuimus omninò ipsam intratam potiùs recuperare via Datiorum, quàm, vt præfertur, talearum, & mutuorum, & ordinauimus. Datium Instrumentorum locum habere, & exigi, & solui debere in omnibus Ciuitatibus, & Terris nostro dominio subiectis, & de modis seruandis, tàm circa exercitium, quàm solutionem ipsius Datij speciale datum, & decretum constituimus, & fecimus tenoris præsentibus inuoluti, quod statim in Ciuitate, & districtu nostris Mediolani publicari, & diuulgari faciatis, sic, quod ad omnem notitiam valeat clarè peruenire, ordinando, quod de Datio ipso respondeatur nomine nostro Thesaurario Communis nostri Mediolani, & subsequenter per ipsum Thesaurarium Andreolo Toscano Thesaurario nostro. Datum Mediolani die nono mensis Ianuarij MCCCLXXXXIII. Nicolaus signauit. A tergo Egregio, Prudenti, & Sapienti Viris Potestati, Referendario, & Domino Iudici Datiorum nostris Mediolani.

Tenor dati, & decreti litteris inuoluti talis sequitur videlicet.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Nobis tædiosum, ac nostris Subditis grauissimū reputantes, vt subsidia nobis necessaria pro Status nostri defensione, ipsorumque conseruatione potiùs talearum, & mutuorum solutionibus, quam Datiorum solutionibus consequamur ab eis, etiam super præmissis per nos deliberatione habita pleniori, deliberauimus ipsorum mutuorum, & talearum exactiones penitùs euitare, & subsidia Datiorum solutionibus consequi memorata. Et quia intelleximus Datium Instrumentorum, de quo infrà sit mentio aliàs viguisse, illudque cum minori incommodo Subditorum nostrorum, quàm aliquod aliud datium exigi posse, hoc generali sancimus edicto, vt de pretio cuiuslibet rei immobilis, quæ de cætero quouis titulo, vel modo vendi, aut alienari continget in quibuscumque Ciuitatibus, & Terris nostro Dominio subiectis, de qua publicum conficiatur Instrumentum solui debeat ad computum denariorum duodecim pro qualibet libra pretij, seu valoris ipsius rei per alienantem, & acquirentem vlz. per vtrumque eorum pro medietate, & prædicta non vendicent sibi locum in aliquibus contractibus, vel distractibus pertinentibus

in

in toto, vel in parte nobis, aut Cameræ nostræ, aut Illustri Consorti nostræ, vel alicui nostro descendenti, aut eorū alicuius Ciuitatis, vel Terræ nostræ, neq; etiam in aliquo contractu, vel distractu in toto, vel in parte pertinenti Fabricæ Ecclesiæ Maioris Mediolani, aut aliquibus alijs pijs causis, nec etiam in locationibus, quæ fierent ad tempus, vel in perpetuum.

Volumus quoque, quod si contigerit aliquam fieri vltimam voluntatem, de qua publico constet Instrumento, post mortem ipsius talem condentis vltimā voluntatem solui debeat per illum, cui ex ipsa vltima voluntate aliquid relictum fuerit ad computum denariorum duodecim pro qualibet libra illius, quod relictum fuerit, seu valoris æstimationis eiusdem, ad cuius solutionem etiam teneantur hæredes defuncti, si non fieret solutio dicti Datij per Legatarium. Quod locum habere nolumus in nostris, vel Communium, Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, aut Ill. Consortis, vel descendentium nostrorum, in ijs scilicet, quæ ad nos, vel Cameram nostram, aut præfatos Consortem, descendentes nostros, aut ipsa Communia, nec etiam in relictis, tàm ex generali institutione, quàm ex speciali, aut ex Legato, vel Codicillis, aut quauis alia vltima voluntate inter ascendentes, vel descendentes, nec etiam inter fratres, & filios fratrum, nec etiam in diuisionibus, contractibus, vel distractibus, quæ fierent inter aliquos fratres, & sorores, vel alios, & consignationibus in parte, quæ fierent ab ascendentibus in descendentibus. Item, nec in legatis prædictis alimentis, aut de vsufructu alicuius rei vxori suæ per maritum. Item, nec de aliquo vsufructu alicui relicto, saluo quod pro huiusmodi vsufructu relicto vsufructuarius soluere teneatur ad computum denariorum duodecim pro libra vnius anni tantùm immediatè sequentis tantùm post mortem ipsius relinquentis ipsum vsufructum in vltima voluntate, nec etiam in aliquibus institutionibus, Legatis, vel Codicillis, aut aliquibus alijs quouis modo relictis memoratæ Fabricæ Ecclesiæ Maioris Mediolani, aut pauperibus Christi, aut pro eleemosinis septimorum, trigesimorum, & annualium, nec etiam in aliquibus alijs, quæ quouis modo relinquerentur in pias causas, nec etiam in ijs, quæ relinquerentur, seu ordinarentur reddi debere pro aliquibus vsuris, aut malè ablatis restituendis.

Decernimus insuper, quod si contingat aliqua bona immobilia ex titulo permutationis alienare, quod de valore ipsorum bonorum solui debeat per contrahentes ipsos ad computum denariorum duodecim pro qualibet libra valoris ipsorum bonorum per ipsos contrahentes, & quod de valore ipsorum bonorum stari debeat sacramento ipsorum contrahentium.

Præterea sancimus, quod per quemlibet recipientem, vel confitentem se recepisse, & etiam per dantem aliquam dotem, de qua publico constet Instrumento, siue sit dos rei immobilis, siue mobilis, aut pecuniæ, solui debeat ad computum denariorum duodecim pro qualibet libra ipsius dotis, seu valoris, vel æstimationis eiusdem, vlz. per vtramque partem pro medietate, & si in ipso Instrumento dotali non fuerit expressa quantitas, seu æstimatio, vel valor ipsius dotis, quod tunc de ipso valore, seu æstimatione stetur sacramento ipsarum partium, & prædicta non vendicent sibi locum in dotibus quas nos, aut Illustris Consors nostra, aut aliqui nostri descendentes daremus, vel dari mandaremus, aut reciperemus, aut recepisse confiteremur, tàm pro personis nostris, seu nobis quocunque modo, aut gradu coniunctis, quàm pro quibuscumque alijs personis, quibus, vel pro quibus nos, aut præfati Consors, aut descendentes nostri daremus, vel dari mandaremus aliquam dotem. Item, nec in dotibus, quarum quantitas non excedat libras quinquaginta Imper.

Item,

Item, quod prædicta, quæ superiùs dicta sunt, tàm in alienationibus, quàm etiam in dotibus, & augmentis non vendicent sibi locum in aliquo contractu, vel distractu, aut confessione, vel liberatione, quos fieri contingeret occasione alicuius dotis, vel pro dependentibus ab eadem, soluto, vel non soluto matrimonio quouis modo, extante casu ipsius dotis petendæ, seu repetendæ, vel si quouis modo fieri contingat solutionem alicuius dotis, vel eius interesse, tàm de re immobili, quàm mobili, aut in pecunia.

Idem habeat locum in augmentis dotium, & earum solutionibus, & in omnibus, & per omnia prout est dictum supra de dotibus.

Mandantes, quod huiusmodi solutiones fieri debeant infrà vnum mensem immediatè sequentem post celebrationem dictorum Instrumentorum, ex quibus solui debeat datium huiusmodi, vt præfertur, & si fuerit pro aliquibus relictis in vltima voluntate, vt supra, infrà mensem vnum post mortem condentis ipsam vltimam voluntatem proximè sequentem Thesaurario, seu Officialibus ad hoc deputatis, aut Incantatori, seu Datiario ipsius Datij, sub pœna soluendi pro vno denario quatuor eius, quod soluendum esset pro Datio suprascripto.

Insuper decernimus, quod per aliquem Iusdicentem non possit, nec debeat, tàm agendo, quàm defendendo, aut excipiendo, vel replicando, vel aliàs quouis modo reddi ius de aliquo contractu, dote, aut augmento dotis, vel vltima voluntate, nec de ipsis, nec pro ipsis, nec eorum occasione, de quibus solui debuerit, seu debeat Datium, vt præfertur; nisi priùs dicto Datio soluto; & hoc nisi, & præterquam in odium ipsius dictum Datium soluere debentis.

Statuentes quoque, quod acquisitor pro alienante, & alienans pro acquirente, & insolidum cogi possint ad solutionem dicti Datij, ipso tali soluente regressum habente contra ipsum pro quo soluerit, & eius bona de eo, quod pro ipso soluerit. Idem in dotibus, & augmentis dotium.

Præterea volumus, quod omnes Notarij, qui quovis modo confecerint, seu conficient aliquod Instrumentum, cuius causa datium solui debeat vtsupra teneantur infrà octo dies post rogationem ipsius Instrumenti immediatè sequentes portare in scriptis Officiali, qui super hoc deputabitur scriptum vnum eorum manu subscriptum, continens sub compendio in effectu totam substantiam, & effectum ipsius Instrumenti, sub pœna cuilibet Notario contrafacienti, vel in prædictis negligenti librarum vigintiquinque tertiolorum pro qualibet vice applicanda Cameræ, vel pro medietate Incantatori dicti Datij, & pro alia medietate dictæ Cameræ nostræ.

Idem habeat locum in vltimis voluntatibus, sed dumtaxat post mortem ipsius talis testantis, & quamlibet vltimam voluntatem condentis.

Dantes, & concedentes Iudici Datiorum, qui ibidem præerit, si ibidem aderit Iudex Datiorum, aliàs rectori illius Terræ, qui pro temporibus erit plenum, & liberum arbitrium procedendi, inquirendi, mulctandi, & condemnandi in prædictis, & dependentibus, & connexis exindè etiam summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iuditij, ac poscendi, & quod etiam teneatur realitèr, & personalitèr cogere ad solutionem eiusdem, & eas personalitèr capere, & detinere, & eas, & de eorum bonis robare, saxire, sequestrare, contestare, & possessionem eorum ingredi, accipere, & retinere etiam quolibet die feriato, & non feriato, & omni Iuris, & Statutorum solennitatè omissa, & etiam non obstante aliqua collocatione captionum, & causarum.

Mandantes quoque prædicta omnia statim publicari, & proclamari publicè

debere

debere in omnibus partibus consuetis Terrarum nostro dominio suppositarum, & pro lege inuiolabiliter obseruari debere; quibuscumque in contrarium editis non obstantibus, quibus, in quantum praesentibus aliqualiter obuiarent, ex certa scientia, & de nostrae plenitudine potestatis penitùs derogamus; declarantes quoque nostrae intentionis esse, vt si forsitàn error, vel dubium aliqualiter emergere contingat ex praemissis, vel ex dependentibus ab eisdem stetur de hac declaratione Magistrorum Intratarum nostrarum. In quorum testimonium &c. Dat. Mediolani die nono Ianuarij MCCCLXXXXIII.

Quod singulo mense notificentur bona confiscata Camerae Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Constat nobis, quod non apprehenduntur nomine Camerae nostrae bona rebellium bannitorum, & proditorum, quae secundum decreta, & ordinamenta nostra ad Cameram nostram etiam multis alijs de causis deuoluuntur ob magnam vestram negligentiam, in eiusdem Camerae detrimentum non modicum. Eapropter volumus, & expressè mandamus, quatenùs sub poena florenorum centum vobis Domino Potestati, & florenorum quinquaginta tibi Referendario irremissibiliter auferenda omni mense Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum in scriptis mittere debeatis in fine cuiuslibet mensis omnia bona, quae confiscata fuerint, seu apprehensa nomine ipsius Camerae nostrae, & si in aliquo mense non fuerint confiscata, seu apprehensa nomine ipsius Camerae nostrae bona aliqua, similitèr praefatis Magistris Intratarum rescribatis, quod in illo mense non sunt apprehensa nomine ipsius Camerae bona vlla, vt quicquid factum fuerit scire possimus, & vt ordo iste de caetero seruetur has litteras in volumine Statutorum Communis Cremonae describi faciatis de receptione praesentium ipsis Magistris indilatè rescribatis. Datum Papiae xij. Ianuarij MCCCLXXXXIII.

Aliud decretum pro Datio Instrumentorum, siue Cartesellarum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia in litteris nostris vobis nouitèr missis super Datio Instrumentorum exigendo nulla fit mentio, quando debeat ipsum Datium inchoare, declaramus vobis nostrae intentionis esse, quod Datium ipsum incipiat in Kalendis Ianuarij proximè praeteriti, sic quod pro Instrumentis à dictis Kalendis citrà, & in die dictarum Kalendarum celebratis soluatur Datium ipsum eodem modo, quo soluetur pro Instrumentis in futurum celebrandis iuxtà formam dati, & decreti ipsis litteris introserti. Dat. Mediolani die xiiij. mensis Ianuarij MCCCLXXXXIII. Nicolaus Milanus signauit. A tergo Egregio, & Prudenti, ac Sapien. Viris Potestati, Referendario, & Iudici nostris Datiorum Mediolani.

De eodem.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Attendentes, quod poena in nostro decreto nuper super Datio Instrumentorum condito limitata Notarijs non portantibus in scriptis secundùm formam ipsius nostri decreti, & intrà terminum in eo contentum notas illorum ex Instrumentis, quae tradunt, de quibus soluendum venit dictum Datium non est,

nisi

nisi de libris vigintiquinque, ex quo si Datium, quod solui deberet pro aliquo ipsorum Instrumentorum plùs caperet, quàm sit quantitas dictæ pœnæ possent Notarij memorati, forsitàn inducti per contrahentes, & ad promissionem suam de eis indemnibus ab eadem pœna releuandis stare, quod notas ipsas non producerent, & volentes proinde ad talem tollendam dictis Notarijs delinquendi materiam in celando notas prætactas super hoc de opportuno remedio prouidere. Statuimus, & decernimus, quod eisdem Notarijs, qui non portauerint, seu portent in scriptis dictas notas iuxta memorati decreti dispositionem, & continentiam sit pœna pro vno denario quatuor eius, quod de datio soluendum veniret pro quolibet Instrumento, cuius nota in scriptis non fuerit, vt præfertur, delata, & vlteriùs priuati esse intelligantur, ac sint totaliter ab ipsorum Tabellionatus Officio. Dat. Mediolani die sextodecimo mensis Februarij MCCCLXXXXIII. Nicolaus signauit. A tergo Egregio, Prudentique, ac Sapienti Viris Potestati, Referendario, ac Domino Iudici Datiorum nostris Mediolani.

Qualitèr emendari debent damna danda per stipendiarios se transferentes de loco ad locum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Intelleximus displicentèr, quod Subditi nostri grauitèr per stipendiarios nostros transferentes se hinc inde per territorium nostrum (& præcipuè cum contingit ipsos de mandato nostro se transmutare de loco ad locum, pro stantijs eorum) damnificantur de rebus, & victualibus eorum, de quo sumus ita malecontenti quantùm esse possemus, cum non sustineamus expensam talium stipendiariorum, nisi solum causa conseruandi dictos nostros Subditos, & eorum bona. Quamobrem volentes totis nostris viribus dictis extorsionibus, violentijs, & robarijs penitùs remedium apponere, proposuimus, & ordinauimus, ac ordinamus, quod quotiescumq; contigerit aliquem ex nostris stipendiarijs equestribus, aut pedestribus damna vlla inferre alicui Subdito nostro quoquo modo, transmitti debeat in scriptis Collateralibus banci nostri Mediolani distinctè, & per ordinem per illos Officiales nostros, sub quorum iurisdictione erunt tales damnificati, qualitèr, & quomodo, & per quæ damnificabuntur, & quantum ascendere poterunt damna prædicta, quia ordinabimus, quod de primis pagis, siue præstantijs dictorum nostrorum stipendiariorum subitò, & absque aliqua dilatione, seu retentione satisfiat illis, qui ostendent cum legitimis probationibus, vel per sacramentum ipsorum se fore damnificatos, & de quanta quantitate, ac quod vlteriùs de dictis pagis, seu præstantijs eorum retineantur Cameræ nostræ tantum, quantum ascendit id de quo dicti nostri Subditi fuerint damnificati. Propterea volumus, & vobis mandamus, quatenùs talitèr ordinetis, quod si in tota iurisdictione vobis commissa contigerit in futurum aliquem ex Subditis nostris prædictis vllo modo damnificari per aliquas nostras gentes armigeras, producatur in scriptis coràm vobis, vel successoribus vestris seriatìm, & per ordinē qualitèr, per quos, & quibus dicta damna illata fuerint accipientes à damnificatis legitimam fidem saltem cum sacramento ipsorum. Si verò poterit alia notabilior fides adhiberi de damnis per eos passis, & de pretio rerum ipsis arreptarum, vel destructarum, & postquam clarè, & distinctè transmittatis omnia præfatis nostris Collateralibus, vt exindè prouidere possint in prædictis per modum suprascriptum vlz., quod medietas dupli damnorum prædictorum perueniat

in damnificatos, & alia medietas Cameræ nostræ. Si verò contigerit ipsos stipendiarios personis dictorum nostrorum Subditorum violentias, seu extorsiones aliquas inferre, volumus, quod super hoc ius faciatis, seruatis decretis, & alijs ordinibus nostris, sed quod nihilominùs scribatis præfatis nostris Collateralibus, quid habueritis de prædictis, volentes, quod has nostras litteras in volumine Decretorum nostrorum registrari faciatis per modum, quod de cætero inuiolabilitèr obseruentur. Datum Mediolani die vigesimo octauo Februarij MCCCLXXXXIII.

Aliud decretum pro Datio Instrumentorum, siue Cartesellarum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Declarationem quandam ordinatam ad obuiandum illis, qui per indirectum euitare conabantur solutionem Datij nostri Instrumentorum his inclusam destinamus vobis per exemplum, volentes, quod ipsam obseruari facere debeatis, ac auxilium, consilium, & fauorem impendere Officiali nostro ad dictumDatium deputato in illa nostra Ciuitate ad exigendum, consequendum, & habendum Datium illud etiam de Instrumentis in fraudem celebratis, & celebrandis, de quibus in declaratione ipsa fit mentio. Dat. Mediolani die xxviiij. Aprilis MCCCLXXXXIII. Paganus Milanus signauit. A tergo Prudenti, Sapientiq; Viris Potestati, Referendario, & Iudici Datiorum nostris Mediolani.

Tenor decreti inclusi talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad claudendum viam, & propositum multorum nitentium, & qui nunc vsq;, nisi sunt per indirectos modos euitare solutionem Datij Instrumentorum per nos impositi in Ciuitatibus, & Terris Dominij nostri vlz., dum contingit rem aliquam immobilem donari, alienari, vel in alium transferri, vel restitui, aut retrouendi, omittentes ordinarios, solennes, & debitos contractus superindè celebrari; alij sententiam in iuditio, & alij arbitralem, seu per via praeceptorum, & arbitramentorum proferri faciunt contra talem alienantem, transferentem, restituentem, seu retrouendentem, aut donantem in fauorem illius, ad, & in quem huiusmodi res transferri debet, & peruenire, & translata sint, & peruenta, alij verò renuntiant iuri, & hypothecæ eis pertinenti, spectanti, & competenti in re ipsa, & cautiones priuatas faciunt de ijs pro quibus deberet dictum Datium solui; alij in suis testamentis, & vltimis voluntatibus relinquentes, & iudicantes de suis bonis posteris eorum protestantur rem, seu pecuniam relictam, & iudicatam penès eos fuisse depositam, ipsamq; causa depositi recepisse, & alij pro Instrumenta promittunt de vendendo rem aliquam alicui personæ pro certo pretio ex tunc concedentes futuro emptori auctoritatem possessionem intrandi rei vendendæ. Declaramus, decernimus, & statuimus, quod etiam pro huiusmodi contractibus, sententijs, renunciationibus, testamentis, vltimis voluntatibus, promissionibus, & cautionibus solui debeat Datium memoratum, & tàm pro præterito, quàm præsenti, & futuro, nisi eatenùs legitimè doceretur de tali deposito facto penès testantem; quodq; etiam Notarij huiusmodi sententias, testamenta, & Instrumenta renuntiationum, & promissionum rogantes, & qui nunc vsque rogauerunt teneantur ipsas, & ipsa in scriptis dare

Officiali

Officiali ad dictum Datium deputato, & deputando iuxta formam decreti nostri, & capitulorum super Datio ipso ordinatorum, & sub pœnis in eis contentis singula singulis congruè referendo, saluo, quod sine pœna possit contractus tàm celebratos de prædictis ipsi Notarij in scriptis portare dicto Officiali infrà terminum limitatum ad dandum Instrumenta in scriptis: Mandantes Potestati, & Referendario nostris Mediolani, quatenùs hanc declarationem nostram obseruent, & faciant per quoslibet inuiolabilitèr obseruari, ac addi ad ipsa decretum, & capitula, de, eaq; debitas, & opportunas proclamationes fieri in partibus, & locis consuetis, sic, quod ad omnium notitiam valeat peruenire, & nemo de ipsa vllam possit prætendere ignorantiam. In quorum testimonium &c. Dat. Mediolani die xxviiij. Aprilis MCCCLXXXXIII., prima Indictione.

De eodem.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Condidimus die xxviiij. mensis Aprilis proximè præteriti quandam declarationem per viam decreti, vobis per exemplum destinatam, nostrisq; litteris inclusã ad claudendũ viam, & propositũ multorũ nitentiũ fraudare Datiũ, & solutionem Datij Instrumentorũ hoc anno impositi in dominio. Et audientes multos timere petendo ius suum in iuditio, ne subeant solutionem ipsius Datij virtute declarationis nostræ prædictæ, quamquam ad hoc ex forma dati, & capitulorum ipsius Datij minimè teneantur, & sic negotia hominum remanerent indiscussa, quod non fuit, nec est intentionis nostræ. Harum continentia, ex certa scientia, declarationem ipsam per viam decreti vtsupra, factam irritamus tollimus, & reuocamus, nolentes ipsam locum habere vllo modo. Veruntamen obuiare volentes pro posse, quod suprascriptum Datium non fraudetur, aliam declarationem fecimus, quam per copiam ijs inclusam vobis destinamus, de qua, & reuocatione prædicta publicas proclamationes fieri faceitis in locis debitis, & consuetis, vt ad omnium notitiam benè peruenire valeant ad euidentiam eorundem, & quam quidem nouam declarationem nostram seruetis, & effectualitèr seruari facietis, & registrari, & addi ad Datium, & capitula Datij sæpedicti. Dat. Mediolani die xxiij. Maij MCCCLXXXXIII. Paganus. A tergo Egregio, & Prudenti Viris Potestati, & Referendario nostris Mediolani.

Tenor decreti introclusi talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad claudendum viam, & propositum multorum nitentium, & qui nunc vsque nisi sunt per indirectos modos euitare solutionem Datij Instrumentorum per nos impositi in Ciuitatibus, & Terris Dominij nostri vbi dum contingit rem aliquam immobilem donari, alienari in alium transferri, vel restitui, aut retrouendi, omittendo ordinarios, solennes, & debitos contractus superindè celebrari, varijsq; modis, & coloribus quærendo decretum nostrum super hoc ordinatum fraudare. Declaramus, decernimus, & statuimus, quòd si aliquis fraudem faciet dicto nostro decreto directè, vel per indirectum, vel quouis colore quæsito ad euitandum dictam solutionem, quæ fieri debet ex forma dicti decreti cadat, & ipso iure cecidisse intelligatur in pœnam denariorum sex pro quolibet denario soluendo pro Datio,

seu

seu Gabella, iuxta formam dicti decreti, vltrà pœnas impositas in dicto decreto talitèr fraudantibus, & quilibet possit accusare quemlibet talitèr fraudantem dictum decretum, & habeat quilibet accusator tertiam partem dictæ pœnæ inpositæ per hanc declarationem, & reliquæ duæ partes applicentur Cameræ nostræ. Datum Mediolani die vigesimo tertio Maij, MCCCLXXXXIII., prima Indictione.

Quod Coloni, & Massarij non relaxentur de carceribus etiam si cederent bonis suis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Recepta supplicatione parte Iacobi de Lignatijs, Arrighini de Confanonerijs, Aloysij de Gariboldis, & certorum aliorum Ciuium nostræ Ciuitatis Mediolani tenoris præsentibus inclusi. Mandamus tibi, quatenùs decretum nostrum de conuentione, & personali detentione colonorum, partiariorum, & massariorum &c. de quo in dicta supplicatione fit mentio contra massarios, & fictabiles dictorum supplicantium, de quibus in prætacta supplicatione agitur obserues, & facias obseruari, non obstante, quod dicti coloni, partiarij, & massarij cedant bonis suis secundum formam dicti Statuti Communis nostri Mediolani, de quo similitèr mentio habetur in supradicta supplicatione, & sic facias in similibus casibus obseruari. Dat. Papiæ die quarto mensis Iulij MCCCLXXXXIII. Guilielmus Thomás signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor supplicationis talis sequitur.

ILlustri, & Excelsæ Dominationi vestræ supplicatur humilitèr pró parte fidelium seruitorum vestrorum Iacobi de Lignatijs, Arrighini de Confanonerijs, Aloysij de Gariboldis, ac certorum aliorum Ciuium vestræ Ciuitatis Mediolani. Vt cum ipsi nupèr vigore, & ad executionem vestrorum decretorum editorum, & emanatorum super conuentione, & personali detentione colonorum, partiariorum, & massariorum detineri fecerint, & detentos habeant certos ipsorum olim massarios, & fictabiles pro creditis eorum supplicantium, & intellexerint ipsos massarios sic detentos, ad illudendum, & euitandum tenorem, & vigorem dictorum vestrorum decretorum, vigore cuiusdam Statuti Communis vestri Mediolani effectualitèr, vt asseritur, continentis, quod si quis personalitèr pro aliquo debito fuerit detentus in publica concione, & cesserit bonis suis, debeat, facta dicta cessione, liberè relaxari: velle talem cessionem facere, nullum stiporem, neque vituperium verentes tamquam homines rudos, & Villanos, omni bono zelo, & conscientia carentes. Creditur, quod indubitantèr vestræ bonæ intentionis semper fuisse, & esse prædictum Statutum, & talem cessionem nullatenùs locum habere aduersùs dicti vestri sancti decreti continentiam, eò maxime, quod si locum haberent, dicta decreta efficerentur, & remanerent vacua, & delusoria, quod non creditur esse præfatæ intentionis, & propptereà sibi, prædictis attentis gratiam specialem, & condignã facientes dignemini velle edicere, & mandare prædictum Statutum, & talem cessionem nullatenùs admitti, nec locum habere aduersus prædicta vestra decreta, aliàs ipsi Supplicantes eorum iuribus, & creditis perpetuò priuati remanerent.

Q Quod

Quod debitores occasione Datij Instrumentorum possint soluere infrà certum tempus.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Fertur nobis, quod ad huc sunt plures debitores pro Datio Instrumentorum huius nostræ Ciuitatis Mediolani, & districtus, qui soluere omittunt propter pœnam, quàm pro vno denario incurrunt defectu dictæ solutionis per eos non factæ in termino decreti nostri superindè conditi limitato. Quare volentes iterato benigniùs agere cum dictis debitoribus, contenti sumus, & volumus, quod terminum habeant dierum quindecim, infrà quos quicquid tenentur pro Datio prædicto, soluere possint absque pœna, & hoc à die cridæ, & notificationis superindè, & quam statim præsentibus visis fieri faciatis opportunè. Elapso verò dicto termino, procedatis ad ipsam pœnam irremissibilitèr exigendam ab illis, qui nunc erunt negligentes, & remissi, sic, quod causam viteriùs non habeant de eorum negligentijs gloriandi; in futurum autem, quia non intendimus tales remissiones huiusmodi pœnæ facere, mitigandam duximus, & mittigamus eo modo viz., quòd sicut pœna ipsa est pro vno denario quatuor, vt præfertur, de cætero non sit nisi quarti pluris tantùm, quod quartum statìm elapso termino immediatè ab inobedientibus irremissibilitèr exigatur principali quantitate, & ita seruetur deinceps. Facientes de hac intentione nostra similitèr ad omnium euidentiam publicam fieri proclamationem inserendam, & registrandam penès decretum nostrum memoratum. Datum Mediolani die vltimo Iulij MCCCLXXXXIII. Paganus. A tergo Egregio, Prudenti, Sapientiq; Viris Potestati, Refetendario, & Domino Iudici Datiorum nostris Mediolani.

De remuneratione capientium Bannitos.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam decreti nostri nuper editi super captione Bannitorum tibi mittimus inclusam. Volentes, quod, vt ipsum decretũ nostrum, quod firmitèr obseruari volumus ad litteram sicut iacet, in consuetis locis tuæ iurisdictionis notitiam peruenire possit statim facias diuulgari, ac in volumine aliorum decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani inseri, & describi. Dat. Mediolani die xxj. Augusti MCCCLXXXXIII. Iacobinus signauit. A tergo Egregio Virò Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

Ordo Domini super Bannitis capiendis.

PRimò, quod quilibet Bannitus consignans per se, vel alium in fortiam alicuius Potestatis, Capitanei, Rectoris, seu Officialis præfati Domini aliquem alium Bannitum de vita de territorio præfati Domini, viuum possit, & debeat eximi de Banno pari, simili, vel minori, seu sint delicta pro quibus sint Banniti eiusdem generis, siue diuersorum, & vltrà hoc lucretur floren. viginti quinque, si ille, qui consignatus fuerit, vt præfertur, erit de parte sua, si autem partis alterius eximi debeat solummodo de banno prædicto, absque alia remuneratione sibi fienda proinde.

Item, quod quilibet non bannitus consignans vt supra, aliquem Bannitum de territorio præfati Domini, si viuum, & de parte sua, lucretur floren. centum, aut eximatur ad eius requisitionem alius Bannitus de banno pari, simili, vel minori,

minori, seu sint delicta pro quibus sint banniti eiusdem generis, siue diuersorum. Si verò consignauerit eum mortuum, lucretur floren. quinquaginta. Si autem consignauerit Bannitum viuum parte, alterius lucretur libras centum Imper., aut eximatur ad eius requisitionem alius bannitus de banno pari, simili, vel minori, seu sint delicta pro quibus sint banniti eiusdem generis, siue diuersorum. Si verò consignauerit eum mortuum, lucretur libras quinquaginta Imper., ita quod in vtroque casuum prædictorum sit in electione talis consignantis bannitum huiusmodi obtinendi, quod eximatur de banno vnus bannitus, vt præfertur, aut lucrandi pecuniam antedictam; & si capientes, & consignantes bannitum huiusmodi essent de familia alicuius Potestatis, Capitanei, Rectoris, seu Officialis præfati Domini in territorio illo iurisdictionē habentis in casu quo ceperint, & consignauerint ipsum viuum lucretur libras 50. Imp. Si verò eum ceperint, & consignauerint mortuū lucretur libras 25. Imp.

Item, quod omnes, & singulæ solutiones prædictæ, quæ fient, & fieri contingent ob prædicta fiant per Communia, & homines totius illius iurisdictionis, in qua maleficium commiserit talis captus, & consignatus vt supra, pro parte sibi contingente Communitatum vlz., & Terrarum habentium merum, & mixtum Imperium. Ita tamen, quod Terra illa in qua, seu cuius territorio maleficium commiserit talis captus, & consignatus, teneatur, & debeat soluere duplum eius, quod aliàs solueret, & sibi continzeret pro rata portione, vel parte, si in ipsa Terra, vel eius territorio non foret tale maleficium perpetratum. Si verò talis captus, & consignatus vt supra, commiserit maleficium in Ciuitate, vel Suburbijs Mediolani, solutiones fiant per Commune Mediolani tantùm, slz. si maleficium commiserit in Marchesana, vel Baziana, fiant solutiones per Communia, & homines Marthesanæ, & Bazianæ pro parte sibi tangente, & Terra illa, in qua, seu cuius territorio maleficium commissum fuerit, teneatur, & debeat soluere duplum, vt præfertur, & idem seruetur de Seprio, & Bolgaria. Si autem talis captus, & consignatus maleficium commiserit in aliqua alia ex Ciuitatibus præfati Domini, vel eius Suburbijs, solutiones ipsæ fiant per Commune illius Ciuitatis tantùm. Si verò maleficium commiserit in districtu ipsius Ciuitatis, solutiones fiant per Communia, & homines totius districtus pro parte sibi tangente, & Terra illa, in qua, seu cuius Territorio maleficium commissum fuerit, teneatur, & debeat soluere duplum, vt de alijs supradictum est. Et sit licitum cuilibet Potestati, Rectori, seu Officiali præfati Domini pecuniam quam vigore præsentis ordinis meruerit capiens, & consignans Bannitum, vt præfertur, recuperare illo habiliori modo de quo ei, & Communibus, & hominibus iurisdictionis suæ pro meliori videbitur vigore præsentis decreti, absque alia licentia; faciendo tamen statim notitiam de modo prædicto Magistris Intratarum Domini prælibati, de quantitate pecuniæ, & de modis seruatis in exigendo pecunias prædictas.

Item, quod si quis fuerit pro capiendo aliquem Bannitum, & duxerit secum aliquos cum armis, vt operā præstent ad capiendū, seu occidendū dictum bannitū, & quod ipse talis, vel tales euntes, & secū existentes aliquem Bannitum, siue Bannitos non caperent, vel occiderent, quod ipse talis, vel tales euntes, & secū existentes non incurrant aliquā pœnā, dummodo vadant de licētia, & voluntate Potestatis, Capitanei, Rectoris, seu Officialis præfati Domini ibidem iurisdictionem habentis, & dummodo inter prædictos non sit aliquis Bannitus, qui Potestas, Capitaneus, Rector, seu Officialis aduertentiam habeat, quod sub prætextu huiusmodi licentiæ nihil illiciti committatur. Hoc præterea addito, quod si contingat

aliquem, vel aliquos capere, & consignare, aut interficere Bannitum, licet non habuerit, vel non habuerint dictam licentiam arma ferendi, non incurrant tamen, nec incurrisse intelligantur illi tales in pœnam aliquam ex huiusmodi delatione armorum,

Quod nemo audeat præstare super equis, nec armis stipendiarijs.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia sæpè contingit pro occurrentibus casibus in frequentia destinare de stipendiarijs nostris de vna Ciuitate, & Terra nostra ad aliam, & dùm de subitò leuare debent reperiuntur ipsorum equi, & arma pignori submissa, cuius causa negotia, & seruitia nostra multotiens retardantur, & posset vna vice, tali causa, sequi quod non placeret, & propterea ad tollendum omne periculum, quod posset imminere, volumus, & vobis mandamus, quatenùs proclamationes his inclusi tenoris fieri facere debeatis in locis debitis, & consuetis, & registrari, & inseri in volumine Statutorum illius nostræ Ciuitatis Mediolani, sic, quod ad omnium notitiam bene valeat peruenire, rescribendo Magistris Intratarum nostrarum quicquid feceritis in præmissis. Dat. Mediolani die xxiij. Augusti MCCCLXXXXIII. Nicolaus Milanus. A tergo Egregio, Prudentique Viro Potestati, & Referendario nostro Mediolani.

Tenor proclamatis inclusi.

M*Andato Egregiorum, & Nobilium Virorum Dominorum Magistrorum Intratarum Illustris Principis, & Excelsi D. D. Mediolani &c. Comitis Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Fiat crida in Ciuitate Mediolani in locis consuetis hoc modo vlz. Quod non sit aliqua persona cuiusuis conditionis, & status existat, qua audeat, vel præsumat aliquo modo directè, nec per obliquum aliquam pecuniam, nec etiam aliquid aliud mutuo concedere alicui stipendiario pedestri, nec equestri super equis, & armis ipsorum stipendiariorum, nec alicuius eorum, sub pœna perdendi ipsam pecuniam, & quicquid dedissent, seu concessissent super ipsis equis, & armis, & restituendi liberè ipsos equos, & arma stipendiarijs antedictis, absque vlla solutione inde consequenda, & habenda, & vltra soluendi pro vno denario quatuor eius, quod mutuo, vt præfertur, dedissent, vel concessissent, applicanda Cameræ præfati Domini, & quilibet possit accusare quodlibet contrafacientes, & habeat tertiam partem condemnationis, & tenebitur secretus, si opus fuerit.*

Cassatio decreti facti, quod sacramentum dici non possit falsum.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ex certis, iustis, & rationabilibus causis, & maximè, vt homines non habeant causam faciendi falsa sacramenta, & si ea fecerint non transeant sine pœna. Reuocamus decretum nostrum tenoris præsentibus inclusi, mandantes tibi, quatenùs reuocationem dicti nostri decreti facias inseri, & describi ad perpetuam rei memoriam in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani. Dat. Mediolani die xxv. Augusti MCCCLXXXXIII. Comolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor supradictæ reuocationis sic sequitur.

NOS

NOS. Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Serie præsentium edicimus, decernimus, volumus, & mandamus, quod in qualibet causa ciuili, in qua à parte parti ius iurandum deferatur, siue ante, siue post libellum, antequam quæstio, lis, aut controuersia committatur tribus bonis Viris teneatur pars illa, cui defertur sacramentum iurare ad terminum per Iusdicentem statuendum ad iurandum, qui terminus non sit minor tribus diebus, vel ius iurandum referre, dum dictum sacramentum deferratur in facto proprio eius, cui defertur, & stetur sacramento eius, cui defertur in omnibus, & per omnia, tàm super forma sacramenti, quàm super quibuslibet alijs dependentibus, vel facientibus ad negotium de quo quæritur, & in sacramento fit mentio, quo ad excludendū, vel deferendum intentionem deferentis sacramentum. Et si ille, cui delatum est sacramentum ipsum non præstiterit in dicto termino, habeatur ipso iure pro relato ipsi deferenti, quo casu sufficiat iurare de credulitate per eum, cui habetur pro relato ipsi deferenti, qui deferens sacramentum, & cui fuerit relatum, vel pro relato habitum vtsupra, iurare possit super ea forma infra similem terminum, quo primus iurare, vel referre debebat, & si iurauerit ad dictum terminum stetur eius sacramento, tàm pro se, quàm contra se, & si non iurauerit, vtsupra, habeatur illud sacramentum pro non delato, & pro non relato, nec possit post hæc dari forma sacramenti super ijs de quibus aliàs delatum fuerit sacramentum: Et hoc decretum obseruetur, & obseruari debeat, præcisè per quemlibet Iusdicentem, non obstante Statuto de Sapientibus dandis, nec aliqua alia exceptione, vel oppositione, & quod præstito sacramento, vt præmittitur, dictum sacramentum non possit dici falsum vel non verum, nec alio modo iurari possit, nec præstans iuramentum prædictum possit, nec valeat accusari de sacramento falso, vel non vero, neq, possit eius causa vel occasione quoquo modo inquietari, nec molestari, sed in omnibus, & per omnia dictum tale sacramentum præstitum obseruetur, & habeat roboris firmitatem. In quorum &c.

Decretum contra falsarios, robatores stratarum, committentes homicidia, assassinos, veneficos, receptatores malefactorum, atque bannitorum, tractantes contra Statum Domini &c. necnon contra bannitos, & fugitiuos recusantes sustinere onera, & soluere suis creditoribus &c.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Duorum decretorum per nos nuper conditorum disponentium effectualiter vnius videlicet super pœnis infligendis perpetratoribus falsitatum, homicidiorum, robariarum, veneficiorum, & aliorum scelerum, eorumque receptatoribus; alterius super facto Bannitorum, & fugitiuorum recusantium sustinere onera, & debitas factiones cum Ciuitatibus, Terris, & Communibus nostris, & soluere suis creditoribus subditis nobis, prout tenentur &c. vobis mittimus copias introclusas. Volentes, quod decreta ipsa obseruanda, & inuiolabilitèr obseruari faciendo illa statìm in locis consuetis tuæ iurisdictionis facias publicè diuulgari, ac in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani inseri, & describi. Volumus insuper, quod si quæ singulares personæ, Commune, Collegium, vel Vniuersitas sunt in dicta tua Iurisdictione gaudentes beneficio alicuius immunitatis, vel exemptionis, ipsos tales de continentia dicti nostri secundi decreti

per tuarũ litteratũ paginã indilatè cèrtiores reddas nè vllo vnquam tempore de eo dicere valeant se ignaros. De receptione autem præsentium nobis illicò rescribendo. Dat. Papiæ die xxiij. Septembris MCCCLXXXXIII. Thomas signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor primi decreti.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad refrenanda crebra, & multorum facinora, quæ, prout ab experientia rerum magistra habemus, nisi à primordio sui digna punitione reprimantur, dietim plùs vires assumerentur, quæ etiam, vbi pullulauerint, & radices suas altiùs figerint, nec dubium difficultiùs abolentur. Nos itaque audito (quod æquo animo tollerare non possumus) qualiter sub nostro dominij potentatu, ac in nostri Territorij, Principatu, & Dominio multæ falsitates, homicidia, maleficia, robariæ, veneficia, & alia detestabilia crimina, & delicta committuntur, deliberauimus, antequam contagio prædicta, & similia transeat ad plures superinde de opportuno, & salubri remedio prouidere. Et vt pœna quorundam sit metus multorum, & nè delicta remaneant impunita, Ideircò, hac editali lege, & decreto, ac edicto inuiolabiliter permansuro, sancimus, edicimus, decernimus, & statuimus, & omni iure, modo, & forma, quibus meliùs, & validiùs possumus, & de nostra plenitudine potestatis, ex certa scientia, volumus, & mandamus, quod de cætero falsificans, seu falsò mutans sigillum, vel litteras, Instrumenta, vel scripturas nostrum, vel nostra, seu Cancellariæ, vel Curiæ nostræ, vel falsum circa prædicta, vel aliquid prædictorum de cætero committens, ducatur super vno asello cum mitria papyri in capite per plateam, & alia loca publica illius Ciuitatis, vel Terræ, vbi veniet pœna imponenda, & horis quibus maior aderit hominum multitudo, vsque ad locum Iustitiæ, & deinde ibidem comburatur modo infrascripto vlz. Quod cum catena ferrea alligetur ad vnam columnam fixam in terra, quæ catena aptetur ad dictam columnam cum vno annulo ferreo reuoluente se, & cum quo ipse homo reuoluere se possit circum circa ipsam columnam, longinqua catenus, quatenus plùs fieri poterit, vt mortem dolentiorem sustineat, ibidem tamen dicto modo comburatur, taliter, quod moriatur. Si autem fœmina fuerit delinquens vt supra, ducatur cum mitria vt supra, & deinde in capsina coperta, vt consuetum est fieri, igne comburatur, taliter, quod moriatur.

Item sancimus, edicimus, & decernimus, & vt supra mandamus, quod famosi latrones stratarum, & inuadentes piratico modo territorium nostrum, vel partem ipsius, & stratas publicas, & quilibet prædictorum, si homicidium non commiserint, primò astrascinentur ad caudam vnius equi per dictam Ciuitatem, & locum, & plateam, & loca publica vbi pœna imponetur, & horis quibus aderit in dictis locis publicis maior hominum multitudo, sine asside, & manibus strictis, omnibus tamen modis viuus teneatur, vsque ad locum Iustitiæ, & deinde ibidem per gulam furcis laqueo suspendatur, ita, & taliter, quod moriatur.

Si verò robariam, & homicidium, vel homicidium tantùm commisisse reperti fuerint ad stratas publicas, & vt supra, astrascinentur cum asside, & deinde in rota lignea interferentur, & includantur, & successiuè in ipso instanti ipsa rota cum eodem delinquente sic in ea incluso eleuetur, & collocetur super vnam columnam altitudinis brachiorum xij., quæ ibidem in terra

in

in loco magis aperto, & montuoso figatur, & firmetur, & ibidem tantùm introferti dimittantur, quod à seipsis moriantur.

Porrò sancimus, edicimus, decernimus, & vtsupra mandamus, quod occidens dolosè, & machinatè personas, seu dominos in quarum, seu quorum domibus habitat, & moram trahit, vel vxorem, vel liberos, seu aliquem prædictorum, & etiam tractans mortem prædictorum, vel alicuius eorum dolosè vtsupra, ducatur super vno curru, & attanaleetur super dicto curru cum tenaleijs ardentibus per Ciuitatem, Terras, & loca publica ipsarum Ciuitatum, Terrarum, & locorum publicorum, in quibus punietur, & dicto modo ducatur ad locum Iustitiæ, & in dicto loco in rota lignea interferatur, & includatur, & de ipso in omnibus disponatur vtsupra, in proximo capitulo, & in ea tantùm, & talitèr dimittatur, quod à seipso moriatur; si tamen fœmina fuerit dicto modo delinquens, puniatur vtsupra, saluo, quod loco dictæ pœnæ rotæ in capsina cooperta, igne comburatur, talitèr, quod moriatur, prout consuetum est fieri.

Item sancimus, edicimus, decernimus, & vtsupra mandamus, quod eisdem pœnis in primo capitulo comprehensis, & modis prædictis de cætero puniantur venefici, & assassini, saluo, quod si fœmina fuerit venefica, vel assassina, puniatur vtsupra prox.

Item sancimus, decernimus, edicimus, & vtsupra mandamus, quod scientèr, & dolosè dantes ad prædicta committenda actualitèr auxilium, consilium, & fauorem prædictis pœnis subijciantur, & condemnentur, quibus condemnari deberent illi, quibus dedissent auxilium, consilium, & fauorem.

Item, quod receptatores scientèr prædictorum, vel alicuius ipsorum astrascinentur cum asside, vsque ad locum Iustitiæ ad caudam vnius equi, talitèr, quod viui ducantur ad Iustitiam, & ibidem laqueis furcis suspendantur talitèr, quod moriantur; excusentur tamen à pœna prædicta receptatores prædicti, si infra secundam diem post receptationem prædictam ipsum, vel ipsos malefactores consignauerint, vel operam dederint efficacem, quod consignentur in fortiam Iusdicentis competentis ad punitionem ipsorum malefactorum.

Item edicimus, decernimus, & vtsupra mandamus, quod de cætero proditoriè committens, vel tractans contra Statum nostrum, vel Signoriam nostram puniatur pœnis infrascriptis viz., vel quod astrascinetur ad caudam vnius equi cum asside, & ducatur per Ciuitatem, vel Terram, in qua eidem pœna imponetur, & per loca publica ipsius, quando aderit in dictis locis publicis maior hominum multitudo, vsque ad locum Iustitiæ, & ibidem in dicto loco per pedem vnum furcis laqueo suspendatur, & ibidem tantùm teneatur, quod à se ipso moriatur; detur tamen eidem de cibo, & potu interim donec viuet, vel quod astrascinetur ad caudam vnius equi cum asside per dicta loca publica, & horis vtsupra, vsque ad locum Iustitiæ, & ibidem super rota lignea interferatur, & includatur viuus, quæ rota figatur, vna cum dicto sic incluso, super columnam, & seruetur vtsupra, vbi fit mentio de pœna rotæ, vel quod attenaleetur vtsupra, vsque ad locum Iustitiæ, & ibidem in rota lignea interferatur, & includatur viuus, & de ipso disponatur per omnia vtsupra, vbi fit mentio de pœna rotæ, in eademque tantùm dimittatur talitèr, quod à se ipso moriatur. Decernentes tamen, quod in arbitrio Officialis, & Rectoris, qui ad prædicta erit competens, vel deputatus sedeat, & sit alteram prædictarum pœnarum imponere, & imponi secundum qualitatem delicti facti, & personarum, & secundum alias circumstantias.

Item

Item ſancimus, edicimus, decernimus, & mandamus vtſupra, quod bona, res & iura prædictorum, & cuiuslibet eorum publicentur, & ipſo iure, & facto publicata, & confiſcata ſint, & eſſe intelligantur Cameræ noſtræ, eo tempore commiſsi maleficij.

Item ſancimus, edicimus, decernimus, & mandamus vtſupra, quod ſi prædicti, vel aliquis eorum erunt, ſeu erit abſens, vel abſentes, quod ſi citati fuerint perſonaliter, vel ad domum in termino, ſeu terminis eis aſsignatis non comparuerint, elapſis ipſis terminis, ſeu termino, banniantur, & ponantur in banno in quo, ipſis aliquo termino aſsignato, ſi in contumacia perſeuerauerint, & comparere neglexerint, ex tunc, dicto termino elapſo, habeantur pro confeſſis, & conuictis, & per ſententiam diffinitiuam condemnentur in prædictis pœnis, & modis prædictis ſingula ſingulis referendo, quarum pœnarum executio fiat, & adimpleatur quandocunque in fortiam reperiatur, ſeu reperietur, & etiam bona, & res eorum, & cuiuslibet eorum publicentur, & ipſo iure, & facto Cameræ noſtræ publicata, & confiſcata ſint, & eſſe intelligantur ex tempore commiſsi maleficij.

Item decernimus, & mandamus, ac edicimus vtſupra, quod prædicta, & quodlibet prædictorum habeant, & vendicent ſibi locum, tàm in numero plurali, quàm ſingulari principaliter, & in conſequentiam.

Item ſancimus, edicimus, decernimus, ac etiam vtſupra mandamus, quod ad prædicta omnia, & ſingula exequenda, & executioni mandanda, & etiam effectualiter adimplenda procedatur, & procedi debeat, & poſsit ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iuditij, ſola veritate inſpecta, & etiam per modum inquiſitionis, & etiam ſine accuſatore, & denunciatore per quemcumque Poteſtatem, Capitaneum, & Iuſdicentem cuiuslibet Ciuitatis, vel Iuriſdictionem, & Imperium habentem in huiuſmodi criminalibus, & per quemlibet alium, qui per nos deputabitur per noſtras patentes litteras, vel alios, ſeu alium mandato, ſeu voluntate noſtra, & etiam contra abſentes, & indefenſos, ac etiam quocumque, & die etiam feriato. Decernentes, & ex certa ſcientia vtſupra edicentes, quod proceſſus quicunque ſuper prædictis, vel occaſione prædictorum non poſsint, nec poſsit annullari, querelari, nec in dubium reuocari ex cuiuſuis ſolennitatis defectu maximo, ſeu modico. Supplentes ex certa ſcientia, & vtſupra omnem defectum facti, & iuris in prædictis, & circa prædicta, & dependentia ab eis. Decernentes quod à die, qua aliquis prædictorum peruenerit in fortiam dictorum Officialium, vel alicuius eorum infra dies quindecim debeant inchoari proceſſus contra ipſos delinquentes, & quemlibet ipſorum, & deinde infra alios quindecim dies condemnare, & ſententia diffinitiua, & executio modis prædictis fieri, & effectualiter adimpleri, & infrà breuiùs tempus ſi prædicta fieri poterunt, ſub pœna florenorum quingentorum auri contra quemlibet prædictorum Poteſtatum, Rectorum, & Officialium, quod prædicta non adimpleuerint, & maiori arbitrio noſtro ſecundum qualitatem facti, delicti, & perſonarum ipſo iure, & facto committenda, & noſtræ Cameræ applicanda ex tempore commiſsi maleficij.

Et prædicta omnia, & ſingula edicimus, decernimus, & mandamus fieri exequi, & adimpleri debere, ac etiam locum habere in futuris, præſentibus, & præteritis non deciſis, non obſtantibus aliquibus legibus, Statutis, Decretis, Ordinamentis, Prouiſionibus, conſuetudinibus, & etiam non obſtantibus aliquibus iuribus communibus, vel municipalibus, & alijs quibuſcumque prædictis, & circa prædicta obuiantibus, & obuiare poſſentibus, quibus ex certa

ſcientia,

ſcientia, & de plenitudine poteſtatis noſtræ vtſupra, derogamus, & derogatum eſſe volumus, & expreſsè mandamus. Dat. Papiæ die xxiij. Septembris MCCCLXXXXIII., Indictione ſecunda.

Tenor alterius decreti.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes contra receptatores bannitorum, & fugitiuorum recuſantium ſuſtinere debita onera, & factiones cum Ciuitatibus, Terris, vel alijs Communibus noſtris, ac aliorum diuerſorum debitorum nolentium ſoluere creditoribus ſuis Subditis noſtris de ſalubri remedio prouidere, præſenti decreto decernimus, & mandamus, quod nulla perſona, Commune, Collegium, vel Vniuerſitas cuiuſuis ſtatus, & conditionis, aut præeminentiæ exiſtat, audeat, vel quouis modo præſumat ſcientèr receptare, aut ſuper, vel in ſuo permittere aliqualitèr receptari aliquem bannitum, vel condemnatum de aliqua Ciuitate, vel Terra noſtra de aliquo crimine ex quo pœna mortis, mutilationis membri, ſeu etiam alia pœna ſanguinis veniat imponenda, aut ipſis talibus bannitis præbere aliquod auxilium, vel fauorem. Si qua autem ſingularis perſona publica, vel priuata aliquem bannitum vtſupra contra hoc noſtrum decretum receptare præſumpſerit, vel ei dederit, aut dari fecerit auxilium, vel fauorem, volumus ipſum talitèr contrafacientem ipſo facto incurrere ſimilem pœnam, quàm idem bannitus ſuſtinere deberet, ſi in poteſtate noſtra, vel alicuius Officialis noſtri eſſet perſonalitèr conſtitutus.

Si verò fuerit Commune, Collegium, vel aliqua Vniuerſitas, quæ receptauerit aliquem bannitum, vel condemnatum, vel ei dederit auxilium, vel fauorem vtſupra, condemnetur realitèr, & perſonalitèr ad arbitrium Iuſdicentis ad quem talis cognitio ſpectauerit inſpecta qualitate facti, & conditione perſonæ; & ſi contigerit de præſenti aliquam ſingularem perſonam, Collegium, vel Commune gaudentem Priuilegio immunitatis, vel exemptionis habere in eorum Terris, Caſtris, vel locis aliquem bannitum vtſupra de aliquibus Ciuitatibus, vel Terris noſtris. Volumus, quod infra quinque dies à die notificationis præſentis edicti eis fiendæ computandos, debeant examinaſſe dictum bannitum de prædictis eorum Terris, Caſtris, vel locis, & ſi receſſerit teneantur, & debeant ipſum bannitum ſtatim poſt ipſos quinque dies capere, & conſignare, ſeu conſignari facere in fortiam Poteſtatis, vel Rectoris ad quem ſpectabit punitio banniti prædicti, vt de ipſo fieri poſsit iuſtitiæ complimentum, aliàs ipſo facto intelligatur incurriſſe eandem pœnam ad quam condemnandus eſſet dictus bannitus.

Volentes inſuper, & mandantes, quod ipſa perſona, Collegium, vel Commune, qui contra hoc noſtrum præſentis decretum duxerit auſu temerario faciendum vlz. receptando, aut iam receptatum tenendo vtſupra aliquem bannitum de crimine ex quo pœna mortis veniat imponenda, ipſo iure, & facto careant, & priuati ſint, quos etiam tenore præſentium, ex certa ſcientia, & de noſtra poteſtatis plenitudine priuamus, & priuatos eſſe decernimus omni iure feudi, priuilegio, immunitate, exemptione, & gratia eiſdem per nos, aut bonæ memoriæ quondam Magnificos Dominos Dominos prædeceſſores noſtros, ſeu aliquem eorum, aut per aliquos Principes Dominos, aut Communia generalitèr, vel ſpecialitèr, etiam ex pacto, vel conuentione quomodolibet conceſſis, etiam ſi talia forent, de quibus fieri deberet mentio ſpecialis, aut ſi clauſulam derogatoriam continerent.

Ad quas pœnas decernimus non teneri aliquod Commune, Collegiũ, vel Vniuersitas, necnon alias singulares personas publicas, vel priuatas, qui bannitos huiusmodi consignauerint, vel consignari fecerint personaliter in baylia alieni nostri Rectoris, in cuius Iurisdictione reperti fuerint, nec etiam eos qui de ipsis receptatoribus notitiam fecerint ea die, vel proxima sequenti nobis, vel alicui nostro Rectori, in cuius Iurisdictione reperti fuerint vtsupra, vel si huiusmodi banniti tantum vigerent multitudinem, & potentiam, quod per ipsa Communia, & Vniuersitates, siue singulares personas ipsis resisti non posset, dummodo tamen ipsa Communia, Vniuersitates, vel singulares personæ prædicta notificent, vt præfertur. Volentes tamen, quod prædictarum pœnarum pecuniarum auferendarum vtsupra medietas Cameræ nostræ, alia verò denunciatori, vel accusatori applicetur.

Decernimus insuper, quod quilibet Rector, & Officialis, cui de præmissis, vel aliquo præmissorum facta fuerit aliqua notitia, significatio, vel accusa, teneatur habere ipsum talem, qui de ipsis notitiam, significationem, vel accusam fecerit omnino secretum, & nobis statim de hoc speciales litteras destinare, sub pœna nostræ indignationis.

Quia verò sæpè contingit in aliqua Terra, Castro, Villa, vel loco, Communitatis, Collegij, vel singularis personæ habente immunitatem, vel exemptionem, aliquem ex Subditis nostris, pro euitandis omnibus, quæ sustinere debent cum Ciuitatibus, Terris, vel alijs locis nostris, se reducere ad habitandum: Volumus, & mandamus, quod nullus ex dictis immunibus, vel exemptis sub pœna indignationis nostræ, & nostro arbitrio auferenda audeat receptare in aliqua Terra, Castro, Villa, vel loco exemptum aliquem nostrum Subditum onera sustinentem in aliqua ex Ciuitatibus, Terris, aut locis nobis subditis. Decernentes ex nunc, quod ipsi exempti, vel immunes, necnon Communia, & homines dictarum Terrarum, & locorum exemptorum teneantur, & debeant cum effectu facere, quod ipsi nostri Subditi, qui fuerint habitatum dicta Castra, vel Terras exemptas infra mensem vnum postquam fuerit eis denuntiatum, illamet onera sustineant cum illis locis, siue Terris nostris, à quibus recesserint, quæ ibidem sustinere consueuerant, quod si ipsi exempti, nec non dicta eorum Communia, & homines non fecerint, & adimpleuerint cum effectu, possint prædicta Communia, & homines, & etiam singulares personæ dictorum locorum cogi realiter, & personaliter ad soluendum illa onera, quæ ipsi tales Subditi nostri consueuerint sustinere cum prædictis Terris, & locis nostris, à quibus, vt præmittitur recessissent.

Decernimus insuper, & mandamus, quod ipsi exempti prædicti cuilibet nostro Subdito creditori ius summarium reddere, seu reddi facere teneantur contra tales Subditos nostros reductos, siue de cætero se reducentes intra dicta Castra, vel Terras eorum exemptas, ac facere ipsis nostris Subditis satisfieri de omni, & toto eo, quod iuridicè ab ipsis habere debent, & debebunt infra mensem vnum inceptum die qua requisitum fuerit dictis exemptis, quod ius ministrare debeant, vt præmittitur. Et hoc vbi præfati Subditi nostri eligerint petere ius suum in dictis Terris exemptis. Volentes nihilominus, quod exempti antedicti teneantur infra terminum dicti mensis obedire, & executioni mittere omnes sententias, præcepta, & litteras, quas dicti nostri Subditi habere debentes obtinuissent à quocunque Rectore nostro, vel Officiale contra prædictos Subditos reductos in dictis locis exemptis; & in casu quo ipsi exempti infra dictum vnum mensem ius non administrauerint, seu non fecerint ministrari, aut satisfieri per ipsos tales Subditos reductos, siue se re-

ducentes, vt prædicitur dictis nostris Subditis de eorum creditis, vt superiùs est expressum, vel executioni non miserint sententias, præcepta, vel litteras supradictas, quod ipsi exēpti, Cōmunia, & homines vt supra, cogi possint realitèr, & personalitèr ad instantiam dictorum nostrorum Subditorum ad persoluendum eorum credita antedicta.

Prædicta namque pro lege perpetua decernimus inuiolabilitèr obseruari, & in voluminibus Decretorum, & Statutorum nostrorum, & Ciuitatum, Castrorum, & Terrarum prædictarum inseri, etiam quibuscunque in contrarium editis non obstantibus, quibus, in quantum præmissis in aliquo obuiarent, ex certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis penitùs derogamus. In quorum &c. Dat. Papiæ die xxiij. Septembris MCCCLXXXXIII., secunda Indictione.

Decretum super Cazijs Domini, & sunt multa capitula.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Per illa, quæ intelleximus Caziæ nostræ, & placere nostrum magis, quàm vnquam dietim, tàm Aprorum, quàm aliarum saluaticinarum diuastantur, quod nobis valdè molestum est, & volentes obuiare, quod à modo dictæ nostræ Caziæ, nec placere nostrum destruantur, ordinauimus decretum cum capitulis in eo denotatis, quæ per exemplum tibi mittimus præsentibus introclusa, mandantes tibi, quatenùs dictum nostrum decretum cum dictis capitulis in eo contentis per loca consueta Ciuitatis nostræ Mediolani de verbo ad verbum prout iacet proclamari, & diuulgari facias ad hoc ne quisquam de ignorantia valeat se excusare, & proinde ipsum facias poni, & inseri in volumine Statutorum, & Decretorum dictæ nostræ Ciuitatis. Intendentes dictum nostrum Decretum cum dictis capitulis, vt præfertur, de cætero obseruari debere, non obstantibus aliquibus alijs nostris Ordinibus aliàs super hoc editis. De quorum receptione, factis proclamationibus, nobis scribere non tardes. Dat. Papiæ die vltimo Septembris MCCCLXXXXIII. Pasquinus. A tergo Nobili Viro Potestati nostro Mediolani.

Decreti, & capitulorum in eo annotatorum talis tenor est.

N*OS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia nobis nulla maior displicentia fieri potest, quàm quod aliquis tantæ præsumptionis, & temeritatis existat, qui vadat venatum aliquo modo, seu ingenio ad Ceruios, vel Ceruias, nec eis dare damnum in aliqua parte territorij nostro Dominio suppositi, ac etiam ad aliquas saluaticinas in nostris Cazijs, prout in infrascriptis capitulis continetur, & ob hoc proposuimus nulli, qui contra hoc nostrum Decretum aliqualitèr commiserit, seu vllo modo venari præsumpserit, vel contrafecerit, prout in dictis infrascriptis capitulis continetur aliquam gratiam facere in futurum. Præsentium tenore edicimus, volumus, atque iubemus, quod nulla persona cuiusuis conditionis, status, & gradus existat audeat, vel præsumat ire ad venandum, vel venari faciendum aliquo modo, seu ingenio in aliqua parte nostri territorij ad Ceruios, vel Ceruias, nec eis, vt præfertur, dare damnum, sub pœna cuilibet contrafacienti totiens quotiens repertus fuerit, tam si ceperit, quàm si non ceperit, amissionis medietatis suorum bonorum, quam pœnam peruenire volumus pro medietate ad Cameram nostram, reliquam verò*

medietatem peruenire volumus in Officialibus, vel in Camparijs, seu Campario Caziarum nostrarum, vel in accusatoribus personis fidedignis, & quod Communia teneantur denunciare si aliqui reperirentur contrafacientes, vt infrà continetur.

Item, quod nulla persona cuiusuis conditionis, & status existat audeat, vel præsumat ire ad venandum, vel venari faciendum aliquo modo, seu ingenio, aut cum artificio in Cazijs nostris, quæ inferiùs declarantur, vlz., in Campanea Desij, & Modoetia, nec in suis pertinentijs. In Cazijs de Pandino, nec in eius confinibus. In Cazijs de Melegnano, nec in eius pertinentijs. In Cazijs Sancti Angeli, nec in eius pertinentijs. In Cazijs Vallariæ, nec in eius pertinentijs. In Cazijs Sancti Columbani, nec in suis pertinentijs. In Cazijs Campaniæ Papiæ, nec in illis de vltra Ticinum. In Cazijs Belreguardi, nec in eius pertinentijs. In Cazijs Belzoiosij, nec in eius pertinentijs. In Cazijs Binaschi, nec in eius pertinentijs. In Cazijs Viglenani, nec in eius pertinentijs. In Cazijs Cusagi, nec in eius pertinentijs. In Cazijs de Figinasca, & Pralasca, nec in earum pertinentijs. In Cazijs de Carimate, nec in eius confinibus, nec in Cazijs Abiatis Grassi versus Papiam, nec in circum circa Abiate per miliaria tria ad aliquas saluaticinas alicuius maneriei, sub pœna cuilibet contrafacienti florenorum centum auri totiens quotiens repertus fuerit, tàm si aliquam saluaticinam ceperit, quàm si non ceperit.

Decernimus quoque volumus, & iubemus, quod si per aliquem, vel aliquos reperta fuerint aliqua retia, laquei, taliolæ, vel alia quæuis ingenia tendita, aut posita, seu cum canibus, aut auibus in aliqua parte territoriorum, locorum, seu Terrarum existentium in antescriptis Cazijs nostris prohibitis, tunc, & eo casu Commune illius loci, seu Terræ, super cuius territorio tales reperirentur incurrat, & supportet pœnam floren. quinquaginta pro qualibet vice, quam peruenire volumus vtsupra, saluo si infra mensem vnum à die qua delictum fuerit repertum Commune illius loci, vel Terræ denunciauerit illum, vel illos, qui talia commisissent coràm illo, seu illis quibus hoc commisimus, & elapso dicto termino si dictum Commune negligens fuerit in accusando, & denunciando, quod cadat in dictam pœnam, & quod in omnibus antescriptis, & contentis in capitulis inferius descriptis adhibeatur plena fides cuilibet Officiali, & Campario Caziarum nostrarum cum eius sacramento, & cuilibet alteri personæ fidedignæ, quàm pœnam peruenire volumus vtsupra.

Item, quod nulla persona cuiuscunque conditionis, & gradus existat, audeat, vel præsumat aliquas cesas, rastellos, rostas, portas, vel portaliolos Caziarum nostrarum prohibitarum lacerare, seu rumpere, sub pœna cuilibet contrafacienti floreni vnius pro qualibet vice totiens quotiens repertus fuerit, & pro quolibet trabuco, seu zitata cesiarum floreni vnius, & totidem pro qualibet porta, seu portiliolo, & vlteriùs ad refectionem de nouo, & quod Communia super quorum territorio reperiantur, teneantur denunciare modo vtsupra, quam pœnam peruenire volumus vtsupra.

Item, quod nulla persona cuiusuis conditionis existat, audeat, vel præsumat equitare, vel carezare, nec arare aliquam stratam nostram, sub pœna cuilibet contrafacienti floren. trium, & pro qualibet equitatam floren. duorum totiens quotiens repertus fuerit, quam quidem pœnam peruenire volumus vtsupra.

Item, quod nulla persona audeat, vel præsumat mittere ad pascendum in Buschis, nec Lesijs Caziarum nostrarum prohibitarum aliquam bestiam bouinam,

nec

nec aliquam aliam bestiam, sub pœna cuilibet contrafacienti soldorum quinque Imper., & totidem pro qualibet bestia, & pro qualibet vice totiens quotiens repertus fuerit, quam pœnam peruenire volumus vt supra.

Item, quod nulla persona cuiusuis conditionis, & status existat, audeat, vel præsumat tenere in aliqua parte Caziarum nostrarum antescriptarum prohibitarum aliquem canem aptum ad venationes, sub pœna floreni vnius pro quolibet totiens quotiens repertus fuerit, quam quidem pœnam peruenire volumus vt supra.

Item, quod nulla persona cuiusuis conditionis, gradus, & status existat audeat, vel præsumat in aliqua parte territorij Lumellinæ, & Insularia cum canibus, auibus, retibus, laqueis, taliolis, artificijs, vel alijs quouismodo, seu ingenio venari, nec capere Apros, Capriolos, Lepores, Fasianos, nec Perdices, sub pœna cuilibet contrafacienti totiens quotiens repertus fuerit, tàm si ceperit, quàm si non ceperit floren. triginta pro quolibet Apro, & totidem pro quolibet Capriolo, & floren. sex pro quolibet Fasiano, & totidem pro qualibet Perdice, & floren. decem pro qualibet Lepore, & eodem modo dicimus de quolibet laqueo, rete, taliola, artificio, seu ingenio, quæ reperirentur tensa, seu posita pro capiendo de suprascriptis saluaticinis in aliqua parte territorij suprascriptarum partium, quàm pœnam peruenire volumus vt supra, & quod de prædictis Commune illius loci super cuius territorio reperta fuerint teneantur denuntiare infra terminum suprascriptum, sub pœna suprascripta, quàm pœnam peruenire volumus vt supra.

Item, quod nulla persona audeat, vel præsumat ire venatum in Cazijs nostris Viqueriæ, nec in eius pertinentijs ad suprascriptas saluaticinas, nec à strata Romea versus Padum, vsque ad locum Bosinasij vllo modo, seu ingenio cum canibus, auibus, retibus, laqueis, taliolis, vel artificijs, nec captum apros, Capriolos, Lepores, Fasianos, nec perdices, sub pœna in præcedenti capitulo limitata, & quod de prædictis Commune illius loci super cuius territorio reperta fuerint, teneatur denuntiare vt supra, sub pœna suprascripta, quam peruenire volumus vt supra.

Item, quod nulla persona cuiusuis conditionis, & status existat, audeat, vel præsumat cum laqueis, retibus, taliolis, artificijs, vel alio quouis modo, vel ingenio inter Abduam, & Ticinum à Terra Angleriæ à Ciuitate Cumarum, & à loco Brippij infra in aliqua parte territorij suprascriptarum Caziarum venari, nec capere apros, nec capriolos, sub pœna flor. triginta pro quolibet apro, & totidem pro quolibet capriolo totiens quotiens repertus fuerit, tàm si ceperit, quàm si non ceperit, & quod Commune illius loci vbi tales reperirentur, teneatur denuntiare vt supra, sub pœna suprascripta, quam pœnam peruenire volumus vt supra.

Quas quidem accusas, & denunciationes fieri volumus infra octauam diem à die inuentionis factæ, & si contingeret aliquem Camparium pacisci cum aliquibus delinquentibus pro omittendo denuncias fieri, & accusas, remoueantur ab Officijs Campariæ, & in carceribus ponantur, à quibus non relaxentur sine nostri speciali licentia, saluo, quod vbi sunt Vicarij, vel Capitanei, teneantur eisdem eadem die denunciare, qui Vicarij, & Capitanei teneantur ipsas accusas, & denuncias mittere Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum infra octo dies à die denunciationis sibi factæ sub pœna salarij vnius mensis ab eis irremissibilitèr auferenda. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ die xxj. mensis Septembris MCCCLXXXXIII., *Indictione prima.*

Quod in causis criminalibus aliquis non teneatur assumere consilium Sapientis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiâ Decreti per nos nuper editi disponentis, quod Statuta, Prouisiones, Decreta, seu Ordinamenta, quorum vigore in causarum, & quæstionum criminalium examinatione, seu diffinitione Potestates, seu Iusdicentes vrgentur, siue astringi possunt ad assumendum consilium alterius Sapientis, cassa, & irrita sint quo ad causas, & quæstiones criminalitèr intemptatas, siue intemptandas, & cætera tibi mittimus introclusum. Volentes, quod ipsum Decretum, quod pro lege, & decreto nostro practicari, & seruari iubemus ad litteram, prout iacet in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani facias registrari. Datum Mediolani die primo Octobris MCCCLXXXXIII. Iacobinus. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti inclusi sequitur in hac forma.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ad notitiam nostram peruenit, quod in nonnullis Ciuitatibus, Terris, & locis Dominio nostro subiectis vigent Statuta, seu prouisiones, Decreta, vel Ordinamenta, quorum vigore in causarum, & quæstionum criminalium examinatione, seu diffinitione Potestates, seu Iusdicentes vrgentur, siue astringi possunt ad assumendum consilium alterius Sapientis, vel Sapientum, & quod vehementèr extitit, & est nobis tædiosum, & molestum, maxime, quia nobis constat, quod ab inde resurgat, & resultare potest impedimentum Iustitiæ contra intentionem nostram. Idcircò decernimus, edicimus, & ex certa scientia mandamus, vt Statuta, Decreta, Prouisiones, seu Ordinamenta huiusmodi sint, quo ad causas, & quæstiones criminalitèr intemptatas, seu intemptandas, ipso iure, & facto cassa, & irrita, & nullius valoris, & momenti, eaque de plenitudine potestatis nostræ cassamus, irritamus, & annullamus, & eorum effectum, & vigorem, ita quod de catero, modo quo supra duximus, locũ non habeant, nec seruentur. In quorũ &c.

Quod nullus habilis ad soluendum condemnationes possit vti gratijs Domini, nisi steterit detentus in carceribus. Et quod Thesaurarij, & Officiales recipientes. pecunias infrà quintam diem ponant eas in intrata. Et quod quilibet debeat præstare auxilium Officialibus Domini circa exactiones fiendas contra Rebelles, Bannitos, Malefactores, Condemnatos, & Debitores.
Et sunt tria capitula.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Tria decreta, quæ fieri fecimus, & volumus in toto nostro dominio practicari vnum viz. ad obuiandum fraudibus abutentium gratijs nostris. Aliud contra Thesaurarios, & alios recipientes pecunias, tàm nostræ Cameræ, quàm Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, qui se non constituunt debitis temporibus debitores, & reliquum, vt Nobilibus nostri territorij quantumcumqs priuilegiati, vel exempti sint subtollatur materia inferendi, seu pati, quod per aliquos inferatur impedimentum Officialibus nostris, & prosequi volentibus rebelles, bannitos, & alios malefactores, & debitores nostros etiam in Terris, &

territorijs

territorijs eorum &c. mittimus tibi præsentibus inserta. Volentes, & mandantes, quatenùs statim illa publicari facias per loca consueta iurisdictionis tibi commissæ, sic, quod verisimilitèr de ipsis vniusquisque valeat habere noticiam, & ea subsequentèr scribi, & registrari facias in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Ciuitatis nostræ Mediolani à modo obseruanda, & executioni mandanda in integrum, prout iacent. Insuper volumus, quod ipsa tria decreta, necnon præsentes nostras litteras sine mora per exemplum mittas tuis litteris inclusa omnibus, & singulis Rectoribus, & Officialibus Terrarum, & locorum nostrorum vniuersi districtus, & Comitatus dictæ nostræ Ciuitatis habentibus merum, & mixtum Imperium, vt eadem catenùs quatenùs tibi mandamus in iurisdictionibus suis publicari, & registrari faciant, atque exequantur, & seruent, curando quod dicti Officiales, & Rectores nostri te per eorum litteras certificent immediatè de receptione ipsorum Decretorum, & qualitèr duxerint faciendum, tuq; postmodum responsiones, quas habueris ab eis superindè nobis destines, non omittendo tamen indilatè nobis scribere de receptione præsentium. Dat. Belzoiosij die vltimo Nouembris MCCCLXXXXIII. Thomas signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Primum decretum in memoratis litteris insertum facientem mentionem, quod habilis ad soluendum condemnationem non possit vti gratijs.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes obuiare fraudibus abutentium gratijs nostris, & ne facilitate veniæ procliuior sit decursus ad crimina, præsenti decreto sancimus, quod nullus possit vti gratijs, quas fecimus, maxime in Festiuitatibus Resurrectionis, Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ, qui fuerit habilis ad soluendum condemnationem, vel condemnationes de eo factam, vel factas, vel qui non steterit in carceribus debitis, & continuatis temporibus postquam positus fuerit ad dictas carceres, ita quod tempus quo non fuerit in carceribus prædictis nullatenus sibi opituletur ad consecutionem dictarum gratiarum. Mandantes, quod Potestates, Referendarij, & alij ad quos nomina talium carceratorum spectat ad nos dictis temporibus destinare diligentèr aduertant sollicitè inquirendo de facultatibus ipsorum, & quanto tempore continuato, & verè detenti steterint in carceribus, ita quod fraus, vel malitia in prædictis committi non possint, mittendo nobis in scriptis distinctè quicquid reperierint in prædictis sub pœna nostra indignationis, & floren. quinquaginta pro quolibet carcerato, quem in scriptis non miserint, prout tenentur.

Secundum decretum in suprascriptis litteris insertum continentem de Thesaurarijs, & Officialibus.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia nonnulli Thesaurarij, & Officiales nostri, nostrarumq; Ciuitatum, & Terrarum recipimus, pecunias nostras, sine nobis, & Cameræ nostræ, vel Communitatibus, Ciuitatum, & Terrarum nostro Dominio subiectarum debitas, dictarumque pecuniarum vsum sepiùs intercipiunt, & in eorum vtilitatem conuertunt, non constituentes se debitores Cameræ nostræ, nec dictarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum temporibus, quibus reci-

 piunt

tim et pecunias antedictas, contra iuris formam, & in nostræ Cameræ, dictarumque Ciuitatum, & Terrarum nostrarum detrimentum non modicum, damnum, & iacturam, edicimus, decernimus, & mandamus, quod omnes, & singuli Thesaurarij, & Officiales nostri, nostrarumque Ciuitatum, & Terrarum quibusuis officijs, ministerijs, & negotiationibus deputati, teneantur, & debeant infrà quintam diem à die qua ipsos recipere continget aliquas pecunias nostras siue nobis, & Cameræ nostræ, vel Communitatibus nostris debitas computandam super ipsorum officij libris, ipsas pecunias profiteri, & de ipsis pecunijs se constituere debitores Cameræ nostræ, siue dictarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, prout & secundum, quod ipsas pecunias nostro, vel Cameræ nostræ, vel dictarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum nomine recipient diem receptionis, & causam à quibus dictæ pecuniæ processerint; declarando & hoc sub pœna quadrupli, in quo quadruplo computetur pecunia recepta. Decernentes, quod si qui pecunias in pretium recipissent nostræ Cameræ siue Communitatibus nostris debitis, quas professi non fuissent, & de quibus se debitores non constituissent, modo quo supra, teneantur, & debeant infrà quindecim dies à die publicationis præsentis nostri decreti computan. ipsas pecunias, vt præmittitur, iam repertas profiteri, & se de ipsis pecunijs super dictis eorum officij libris constituere debitores modo, & forma præmissis congrua congruis referendo, sub pœna prædicta.

Tertium decretum in antescriptis litteris insertum continentem, quod quilibet præstet auxilium Officialibus Domini circa exactiones fiendas.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Vt Rebellibus nostris, & alijs malefactoribus, vel Bannitis, vndique conquisitis, & debita pœna punitis valeant nostra territoria in pacifico statu, & quieto absque iniurijs gubernari, præsenti decreto nostro sancimus, decernimus, & mandamus, quod nulli nobiles territorij nostri quantumcunque priuilegiati, exempti, vel immunes existant, etiam in Terris, & territorijs, quæ habent merum, & mixtum Imperium audeant, vel præsumant aliquo colore quæsito, directè, vel indirectè aliquibus Officialibus nostris cuiuscumque conditionis existant, & persequi volentibus Rebelles, & Bannitos nostros; & alios malefactores nundum bannitos, vel condemnatos, & nostros, & Cameræ nostræ debitores, vel eorum bona dicto, vel facto præstare, vel præstari facere, vel pati, quod per alium præstetur aliquod impedimentum, sed iuxta posse, & bona fide eis, & cuilibet eorum ad prædicta perficienda præstare auxilium, consilium, vel fauorem, & maxime præstando, & præstari faciendo ipsis Officialibus, & famulis patientiam, & liberam facultatem eorum Terras intrandi, & rimandi pro prædictis Rebellibus, Bannitis, malefactoribus, condemnatis, debitoribus, & bonis eorum, eosque capiendi, arestandi, secumque conducendi, prout ducerent faciendum, sub pœna indignationis nostræ, & vltrà nostro arbitrio auferenda.

Decretum pro Cazijs Domini de Mezago.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia cazia nostra de Mezago Comitatus Mediolani cum suis pertinentijs multū nobis grata est, & ipsam pro nostra persona reseruamus, quemadmodum

funt aliæ noſtræ caziæ de Papia, Melegnani, & Cuſagi &c. Volumus, quod ſtatim per loca conſueta Mediolani diuulgari, & proclamari facias, quod nulla perſona, cuiuſuis conditionis, & gradus exiſtat, audeat, vel præſumat ire venatum aliquo modo, ſeu ingenio ad aliquas ſaluaticinas, alicuius maneriei, tàm ſi ceperit, quàm ſi non ceperit in dicta noſtra cazia Mezagi, & eius pertinentijs, ſub pœna cuilibet contrafacienti totiens quotiens repertus fuerit floren. centum, prout continetur in ſecundo capitulo ordinis caziarum noſtrarum reſeruatarum pro noſtra perſona, & eodem modo dicimus, & volumus, quod Communia locorum, & terrarũ exiſtentium intra dictam noſtram caziam, & eius pertinentijs de Mezagò teneantur denuntiare coram Magiſtris Intratarum noſtrarum extraordinariarum quoſcunque contrafacientes huic noſtræ intentioni intra tempus debitum contentum in tertio capitulo ordinis Caziarum reſeruatarum pro noſtra perſona, vt præfertur, ſub pœna cuilibet Communi negligenti in denuntiando tales perſonas floren. quinquaginta pro qualibet vice, prout continetur in ſuprascripto tertio capitulo, volentes, quod has noſtras litteras, & intentionem inſeri, & addi facias apud capitulum dictarum Caziarum noſtrarum reſeruatarum pro noſtra perſona, vt præfertur, per illum Officialem Communis Mediolani, ad quem hoc ſpectat, reſcribendo dictis Magiſtris Intratarum noſtrarum extraordinariarum, quicquid in prædictis duxeris faciendum. Datum Papiæ die xiiij. Decembris MCCCLXXXXIII. Paſquinus ſignauit. A tergo Nobili Viro Poteſtati noſtro Mediolani.

Quod nullus capiat Ceruum, nec Ceruiam.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod viſis præſentibus per totam Iuriſdictionem, per nos tibi commiſſam facias proclamari per loca conſueta, quod nulla perſona cuiuſuis conditionis, & ſtatus exiſtat audeat, vel præſumat aliquem Ceruum, vel Ceruiam capere, ſeu damnum, deſtructionem, vel læſionem ipſis inferre, ſub pœna perdendi medietatem omnium bonorum ſuorum, prout continetur in decreto Caziarum noſtrarum. Dat. Papiæ die vigeſimo tertio Decembris MCCCLXXXXIII. Thomas ſignauit. A tergo Nobili Viro Poteſtati noſtro Mediolani.

Declaratio Decreti de Maſſarijs capiendis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Recolentes aliàs noſtri parte emanaſſe decretum tenoris huiuſmodi. Nos Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia in ijs, quæ Subditi noſtri, & eorum coloni, partiarij, maſſarij, ſeu mezadri, fictabiles, fozedarij, emphiteotæ, penſionarij, & molinarij habent inſimul facere ſatis agitur de intereſſe dictorum Subditorum noſtrorum, ideò circa vtilitates, & commoda prædictorum Subditorum noſtrorum multipliciter animum, mentemque verſantes, & cupientes ſuper eorum indemnitate, quantum nobis poſſibile ſit prouidere, tenore præſentium declaramus noſtræ intentionis eſſe decretum noſtrum editum bono motu anno Domini 1379. die xxij. Maij, Indictione ſecunda, in effectu continens, quod nemo poſſit pro aliquibus debitis priuatis perſonalitèr detineri, quo ad dictos colonos, partiarios, maſſarios, ſeu mezadros, fictabiles, emphiteotas, fozedarios, penſionarios,

barlos, & mulinarios locum de cætero non habere, immo volumus, & præsentium tenore decernimus, quod prædicti coloni, partiarij, massarij, seu mezadri, fictabiles, emphiteotæ, sozedarij, pensionarij, & mulinarij per illos, quorum apparent veri debitores conueniri possint præuia iustitia, & pro eorum debitis personalitèr detineri non obstante prædicto nostro decreto, cui in hac parte ex certa scientia derogamus. Volentes hanc declarationem nostram inseri in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarũ, & de cætero inuiolabilitèr obseruari debere; in quorum testimonium præsentes fieri iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ xxv. Maij MCCCLXXXXII., xv. Indictione. De quo quidem multiplices querelas habuimus à quampluribus hominibus Ciuitatũ, & Terrarum nostrarum habentium merum, & mixtum Imperium, qui vigore ipsius decreti personalitèr detinentur, ideo volumus, edicimus, & mandamus, quod decretum nostrum prædictum locum non habeat quo ad capturam, & detentionem personalitèr dumtaxat in aliquibus fictabilibus, inquilinis, emphiteotis, siue alijs quouismodo pensionarijs aliquarum rerum existen. in aliqua ex Ciuitatibus, terris, siue locis nostris habentibus merum, & mixtum Imperium, nec etiam in aliquibus venditoribus, siue alio quouis modo alienantibus rem, siue res aliquas rusticas, vel vrbanas cum promissione, conuentione, siue concessione incontinenti, vel ex interuallo appositis possendi rediuiu rei, siue recuperare rem, siue res prædictas in perpetuum, vel ad tempus, & ipsam rem, siue res prædictas à prædictis emptoribus, siue acquisitoribus recipientibus ad fictum temporale, vel perpetuum, nec etiam in aliquibus conreis, vel fideiussoribus talium personarum, & hoc locum habere volumus, tam in præteritis, pendentibus, quam futuris. In cæteris verò ipsum Decretum sicut iacet obseruari volumus. Dat. Papiæ xv. Ianuarij MCCCLXXXXIII., secunda Indictione. Iohannes Rodulfus, & Antonius signauerunt. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Decretum, quod vbi processus criminalis est inchoatus ibi finiatur.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Intelleximus, quod multi ex Subditis nostris Iurisdictioni per nos tibi commissæ suppositis pro eodem delicto, laboribus, expensis, & condemnationibus duplicitèr fatigantur pro eo, quod portatis iam denuntijs, & querelis delictorum prædictorum Capitaneo nostro Sepri, & Bolgariæ subsequentèr portantur tibi, & è contra, quod non est consonum iuri, neque ordinibus nostris disponentibus, quod si in eadem Iurisdictione fuerit Potestas, & Capitaneus merum, & mixtum Imperium habentes, quod pro vno met delicto contingant fieri processus per ipsorum vtrumque ille, qui ex ipsis potius processum inchoauerit ipsum prosequatur, & finiatur, & alitèr de tali processu se nullatenus intromittat, & si fortàn oriretur dubium quis ipsorum taled processus potius inchoasset, teneantur dicti Potestas, & Capitaneus libros processuum prædictorum simul exhibere; propterea Subditorũ nostrorum dispendia, quantum possibile sit tollere cupientes, volumus, & tibi mandamus, quatenùs ordines nostros, de quibus fit mentio, effectualitèr exequaris talitèr, quod exinde non habeamus de cætero lamentellã; præterea mandamus tibi, quatenùs nullatenus compellas, neque mandes, quod denuntiæ, & querelæ portandæ per Communia Burgorum, Locorum, & Terrarum, seu Consules, vel aliquos tales denuntias, & querelas, dare, mittere, seu portare debentes tuæ Iurisdictioni

suppositos plùs portentur tibi, quàm Capitaneo nostro prædicto Seprij, quoniam est nostræ intentionis, quod in ipsorum arbitrio sit talem querelam, vel querelas, denuntiam, vel denuntias dare, mittere, vel portare tibi, vel Capitaneo nostro prædicto, secundum, quod sibi magis placuerit, vel fuerit minoris dispendij, etiam si portatæ, datæ, vel missæ fuerint alteri tui Potestatis, vel Capitanei prædicti sufficiat, & in duabus partibus ipsas dare, mittere, vel portare nullatenus teneatur, neq; compelli debeantur ullo modo. Volentes, quod de receptione præsentium nobis rescribas per litteras tuas harũ totalẽ seriẽ continentes, quas respondes, & Spectabilibus de Consilio nostro Mediolani præsentari facias. Notificantes tibi, quod simili modo mandauimus memorato Capitaneo nostro Seprij per litteras nostras datas Mediolani die sexto Decembris proximè præteriti, quas iterato fecimus replicari. Dat. Mediolani die xxij. Ianuarij MCCCLXXXXIIII. Franciscolus signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod nulli permittatur arma ferre.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Inteleximus, quod vigore litterarum concessarum, & quæ per dies conceduntur per Curiales, Rectores, & Officiales, & alios subditos nostros multi, & innumerabiles arma ferunt, contra tenorem decreti nostri super hoc specialitèr editi. Quocirca hoc valdè molestum habentes: volumus, & vobis tenore præsentium committimus, & mandamus, quod nulli cuiusuis status, & conditionis existat permittatis, prætexto litterarum prædictarum, arma deferre, sub pœna in ipso decreto contenta, & apposita, nisi duntaxat illos, qui portare possunt vigore prænominati decreti nostri, & de hoc faciatis fieri cridas opportunas, vt nemo de ignorantia se valeat excusare. Datum Papiæ die xxij. Ianuarij MCCCLXXXXIIII.

Additio facta decreto super apprehensionibus bonorum spectantium Cameræ Domini.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Ordinauimus certas additiones factas super decreto apprehẽsionis bonorũ debitorum Cameræ nostræ, & Communium, Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, quas vobis mittimus præsentibus inclusas: Volentes, quod decretum ipsum cum additionibus prædictis obseruetis, & obseruari, & executioni mandari faciatis, ac addi posse alterum Decretum nostrum. Dat. Mediolani die xvj. Februarij MCCCLXXXXIIII. Milanus Paganus. A tergo Egregio Sapienti, & Prudentibus Viris Potestati, Domino Vicario prouisionis, Referendario, Iudici Datiorum, & Syndicis nostris Mediolani, cæterisque ad quos spectat.

Quarum additionum tenor in hac forma sequitur.

Nos Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia humanum esse probamus, si quid de cætero in publica, vel priuata causa emerserit necessarium, quod formam generalem, & antiquis legibus non insertam exposcat tunc legem dictari, & sic eam de nouo collectis omnibus recensere, vt, quæ humana oblitione ab initio forsitan sunt commissa,

Diuina

Diuina gratia prouisione debita censeantur. Igitur recolentes nos anno Domini MCCCLXXXXII. de mense Maij, volentes Cameræ nostræ, & omnium Communium nostro Dominio suppositorum, ac etiam Subditorum nostrorum indemnitati totis viribus prouidere, quoddam decretum ordinari fecisse super apprehensionibus bonorum debitorum Cameræ nostræ, & omnium prædictorum, & quia ab ipsius citrà editionem Decreti nominis aliqua emersissent, & in futurum aliqua posse contingere, quibus non extitit aliqualitèr prouisum ex eiusdem forma Decreti; ea propter prædictis ex certa scientia salubritèr prouidentes hoc nostro generali sancimus edicto, quod omnes proclamationes hactenùs factæ, & quæ in futurum fieri contingent occasione bonorum debitorum prædictorum secundum formam decreti prædicti, & relationum ipsarum, ac omnes comparitiones, iurium productiones, & in scriptis dationes, & ostensiones, probationes scripturæ, & acta exinde secuta, & quæ sequuntur ex consimilibus; seu occasione dicti decreti, & contentorum in eo, & dependen., connexorum, & emergentium ab eo, & omnia, quæ secutæ, & facta sunt, & fient, & sequuntur occasione dicti decreti, & contentorum in eo potuerunt, & possunt fieri quolibet die feriato, & non feriato, nisi sint, vel fuerint feriæ introductæ in honorem Dei, vel eius Sanctorum, & quod agitata, & quæ fient, vt præmittitur diebus feriatis vtsupra, nihilominùs valeant ita, & teneant, ac si facta fuissent, vel fierent diebus iuridicis, & minime feriatis.

Item volumus obseruari in quibuslibet apprehensionibus, & captionibus etiam personalibus, sequestrationibus, contestationibus, & depositis factis, & fiendis de bonis ipsorum debitorum, quæ etiam fieri concedimus diebus feriatis introductis in honorem Dei, vel Sanctorum eius, ne forsitan, temporis tarditate ipsa transire contingat in sinistrum. Declarantes etiam omnes sequestrationes, contestationes, & deposita tàm facta, quàm fienda de cætero etiam ipsis diebus feriatis, mandato, vel ad instantiam Georgini Moresini Syndici, & Procuratoris nostri, & Communium prædictorum, vel cuiuslibet alterius Syndici nostri, & Communium prædictorum, vel alicuius eorum valere, & obtinere roboris firmitatem.

Et quia intelleximus quosdam à veritatis tramite deuiantes occasione ipsarum proclamationum comparuisse per simulatos, & fictos contractus, ac per instrumenta, licet eorum occasione creditores non existant, vel saltim de minori quantitate, quàm sint summæ ipsis Instrumentis insertæ velle bona ipsorum debitorum, aut defendere, aut ad eos euocare, volentes huiusmodi fraudum materias amputare, hoc etiam generali sancimus edicto, vt quotiescumque dictus Georginus Syndicus, & Procurator vtsupra, vel aliquis substitutus, vel substituen. ab eo, vel aliquis alius Syndicus, & Procurator vtsupra, postulauerit coràm illis coràm quibus fieri debuerint comparitiones, & iurium productiones prædictæ, vel coràm alio quolibet Iusdicente competenti requirat exhibitionem, & ostensionem libri rationum alicuius ex comparentibus occasione præmissa, vel alicuius personæ, in cuius locum successerint, teneatur statim ipse coràm quo fuerit dicta exhibitio postulatà terminum competentem eius arbitrio statuere ipsi talitèr comparenti, ad exhibendum librum, seu libros prædictos, quo termino elapso, si ipsos libros non produxerint per se, vel legitimam personam si quos libros habuerit saltem communi, vel verisimili opinione, vel fama, vel etiam si contrà ipsum comparentem verificatum fuerit ex verisimili, vel communi opinione, vel fama dicta Instrumenta esse vltrà veram sortem, vel fictitia, vel simulata, vel falsa cadant, & cecidisse intelligantur

ligantur ipso iure, & facto ab omni iure, quod haberent, vel habere prætenderent in bonis prædictis, & quod etiam quilibet comparens, & de iuribus suis docens vtsupra, in comparitione sua, & iurium suorum productione, & ostensione iurare teneatur personalitèr, aut per Procuratorem habente speciale, & singulare mandatum ad iurandum; vt infra, quod in veritatem ipsam comparitionem, & iurium productionem, & ostensionem non fecit, nec facit per malitiam, nec in fraudem, sed credens iustam fouere causam, & quod Instrumenta, & iura, de quibus in ea comparitione, & in scriptis datione, & productione fit mentio sunt vera, & non ficta, nec simulata, & quod ipse talis comparens est verus creditor eorum occasione in toto, vel pro parte, possit tamen etiam iurare pro parte, quod si pro parte tantùm iurare voluerit, teneatur ipsam partem clarè specificare, & declarare, quod sacramentum si aliquis ex prædictis comparentibus non fecerit per se, vel per personam legitimam, vel facere omiserit eius comparitio, & iurium productio; & in scriptis datio non valeat, nec teneat, sed sit irrita ipso iure; hoc tamen intellecto, quod prædicta, quæ superiùs de sacramento diximus non vendicent sibi locum in ijs, qui comparuerint, & iura sua, vsque nunc produxerint, & dederint in scriptis secundum formam dicti nostri decreti. Volumus tamen, quod ipsi tales, qui comparuerint, & iura sua produxerint, & in scriptis dederint vtsupra, teneantur huiusmodi facere sacramentum infra mensem vnum post publicationem præsentis edicti immediatè sequen., alitèr enim & ipsæ eius comparitiones, & iurium productiones, & in scriptis dationes non valeant, nec teneant, sed pro non factis penitùs habeantur. Decernimus insuper, quod si quis falsum, vel non verum scientèr iurauerit occasione prædictis, vel aliqua earum, quod pro huiusmodi periurio cadat, & cecidisse intelligatur ab omni iure, quod haberet, vel pretenderet habere in bonis; quorum occasione comparuisset vtsupra, & vlteriùs ipso iure, & facto, & absque aliquo alio processu in pœna quadrupli valoris, seu æstimationis ipsorum bonorum, seu partis, quàm niteretur sic indebitè defensare, cuius pœnæ medietas perueniat in Cameram nostram, & alia medietas in accusatorem, seu notificatorem prædictorum, & etiam reputetur semper, & vbique periurus, & falsarius; quod si repertum fuerit aliquem habere ius in bonis, quorum occasione comparuisset, & iura sua in scriptis dedisset, pro aliquibus quantitatibus minoribus, quàm essent valoris, seu æstimationis ipsorum bonorum, quod tunc, & eo casu debeant eligi tres de melioribus, & magis timentibus Deum illius Ciuitatis, seu Terræ in qua, seu cuius territorio erunt ipsa bona, quæ bona fide, & sine fraude teneantur assignare cum consensu, & deliberatione Potestatis, & Referendarij, vel Potestatis tantùm (si Referendarius in loco non esset) ipsis tamen comparentibus pro quantitate dumtaxat, de quibus habuerint ius; vt præfertur, & reliquam dimittere Cameræ nostræ, seu illi Communi pro cuius credito bona ipsa fuerint apprehensa.

Præterea edicimus, & mandamus, quod postquam ipsa bona apprehensa fuerint secundum formam dicti nostri decreti, non possint de ipsis bonis, nec eorum occasione per aliquam personam, Commune, Collegium, & Vniuersitatem fieri aliqui contractus, vel distractus, aut aliquod instrumentum, vel aliquid aliud in præiudicium Cameræ nostræ, aut Communi prædictorum, vel alicuius eorum in petitorio, vel in possessorio, nec etiam in præiudicium alicuius acquisitoris ipsorum bonorum secundum formam decreti, aut alicuius, qui succederet in dictis bonis in nostra, vel dictorum Communium, aut alicuius eorum ius, statum, & locum, & quodquicquid secùs factum fuerit ipso iure irritum

tum sit, & inane, & prædicta omnia, & singula volumus locum habere, & inuiolabilitèr pro lege seruari, tàm in casibus præteritis, quàm futuris, & præsentibus quibuscumque in contrarium editis non obstantibus, quibus, in quantum præsentibus obuiarent, aliqualitèr ex certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis penitùs derogamus. Saluis tamen manentibus omnibus alijs contentis in nostro decreto, de quo superiùs fecimus mentionem. In quorum testimonium &c. Datum Mediolani die decimasexta Februarij MCCCLXXXXIIII.

Edicimus, decernimus, & mandamus, quod quælibet persona cuiusuis status existat, qui de cætero aliquid à nobis, vel à Camera nostra p tierit, vel requisiuerit asserendos vos, vel Cameram nostram eius esse debitores, vel aliquid de bonis, quæ tenentur, & possidentur, vel quasi, vel in futurum tenebuntur, & possidebuntur, vel quasi per nos, vel Cameram nostram sibi restitui, vel relaxari, vel hypothecata esse teneatur, & debeat in primo actu quem faciet post ipsam petitionem, vel requisitionem ipsius petitionis occasione iurare ad Sancta Dei Euangelia manibus corporalitèr tactis scripturis coràm illo, qui super contentis in ipsa petitione, vel requisitione debebit cognoscere, quod prædictam petitionem, vel requisitionem malitiosè, nec animo calumniandi, nec in fraudem non fecit, nec facit, & quod iura, quorum vigore consꝭ qui vult contenta in sua petitione sunt bona, & vera, & non fictitia, nec simulata, & vltra prædicta si in dicta petitione, vel requisitione asseruerit se creditorem, vel bona aliqua sibi ex prædictis bonis fore obligata pro aliquo credito iurare teneatur se esse verum creditorem eius, de quo prætendit se creditorem, & si postea reperta fuerit in aliquo falsum iurasse cadat ipso iure in pœnã quadrupli eius, vel valoris eius in quo reperiuntur falsum iurasse, quæ falsitas possit dirigi etiam per libros ipsius iurantis, ad quos exhibendum cogi possit per omnia iuris remedia per quemcumq; iudicentem si secundum dispositionẽ iuris verisimile erit ipsum iuramentum libros habere, in quibus scripta esse debeat ratio illius crediti, de quo agitur, & si recusauerit, vel neglexerit illos exhibere, habeantur pro confesso ipso iure, quod falsum iurauerit totalitèr, & si non iurauerit vtsupra, ipso iure succumbat in dicta sua petitione, vel requisitione, & super contentis in ea intelligatur esse, & ei perpetuum silentium impositum, ita quod super eis nunquam possit audiri, & cadat in pœnam quadrupli eius, vel valoris eius, quod requisiuerit, vel petierit, & prædicta, quo ad pœnas prædictas, volumus habere locum in illis personis, quæ verisimilitèr tempore quo supra sic iurabunt, vt præfertur, vel iurari debebunt, & præsens nostrum decretum volumus, pro lege inuiolabilitèr obseruari.

Quod nullus Officialis possit durante suo Officio recipere aliquem contractum obligatorium ab aliquo Subdito illius Terræ, in qua fuerit Officialis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Id decretum, quod nuper condi fecimus disponens, quod nulli Officiali nostro in aliqua ex Ciuitatibus, siue Terris nostris liceat durante officio suo per se, vel alium contractum obligatorium, nec mercimonium aliquid facere cum Subditis nostris suppositis eius regimini, tibi mittimus per copiam his inclusum. Mandantes tibi, quatenùs decretũ ipsum per loca consueta tuæ iurisdictionis statìm diuulgari facias, sic, quod verisimilitèr quisque iurisdictioni eiusdem valeat de ipso habere notitiam, & in volumine aliorum nostrorum

Decretorum

Decretorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani inseri, & describi à modo pro lege municipali obseruandum. Volumus insuper, quod decretum iam dictum, & litteras nostras suprascriptas per exempla mittas tuis litteris inuolutum, singulis Rectoribus Terrarum Diœcesis nostræ Mediolani habentium merum, & mixtum Imperium. Scribendo eis expressè de conscientia nostri, quod illud in iurisdictionibus eorum seruari, publicari, & registrari faciant per omnia veluti tibi mandamus, & quod ipsi Rectores indilatè te certificent per litteras suas de receptione talis decreti, & prout fecerint, quas litteras cũ receperis mittito nobis, non postponendo tamen harum habitione, & ad quas partes illud duxeris transmittendum nobis rescribere fine mora. Dat. Papiæ die xxj. Martij MCCCLXXXXIIII. Thomasius. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani, cuius quidem decreti tenor sequitur in hac forma, viz.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Audientes, quod aliqui Officiales Ciuitatum, & Terrarum nostro Dominio subiectarum, relictis eorum studijs publicis, & cura officij eisdem iniuncti, sæpè postposita priuatis eorum negotijs incendunt mercimonia, negotiationes, & contractus varios cum subditis nostris eorum gubernationi suppositis faciendo contra intentionem nostram, & nostrum salubre propositum, cupientesque Officiales nostros omni tempore quantum eis possibile circa tangentia eorum officium vigilare debere, & officijs per nos eisdem concessis iugitèr inhærere. Tenore præsentium ex certa scientia, duximus statuendum, quod aliquis Officialis noster in aliqua ex Ciuitatibus, siue Terris nostro Dominio suppositis quouis fungantur officio, de cætero non possit, nec debeat durante eius officio per se, nec per interpositam personam contractum aliquem, siue quasi contractum ex vna, siue vtraque parte obligationum, nec mercimonium aliquid facere, nec inire cum aliquo, siue aliquibus Subdito, vel Subditis nostris officio, curæ, siue administrationi Officialis prædicti, præterquam pro necessarijs ad vitam ipsius Officialis nostri, eiusque familiæ, & quilibet Officialis noster contrafaciens incidat in pœnam floren. centum auri nostræ Cameræ applicandorum quotiens contrafactum fuerit, & contractus non teneat ipso iure, & quod aliquis Officialis noster quouis nomine censeatur, pro aliquibus contractibus, vel quasi per eum ante eius officium celebratis, non possit durante eius officio per se, nec alium petere ius sibi reddi, nec fieri, nec processum aliquem facere, nec fieri facere in Ciuitate, siue Terra, in qua Officialis existat, maxime contra aliquem, siue aliquos suppositos Ciuitati, vel Terræ in qua officium exercet, & quilibet Officialis contrafaciens cadat à iure suo, hoc autem nostrum decretum obseruari volumus, & in voluminibus Decretorum, & Statutorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum inseri, aliquibus in contrarium editis non obstantibus.

Quædam detractiones, declarationes, & additiones factæ super decreto emanato contra famosos latrones.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Recolentes de quodam decreto, & edicto nostro condito, & ordinato sub datis Papiæ MCCCLXXXXIII., Indictione secunda die xxiij. Septembris contra falsificatores sigilli nostri, litterarumque, instrumentorum, & scripturarum nostrarum, & nostrorum, seu Cameræ, & Cancellariæ nostræ, necnon contra famosos latrones, & robatores stratarum, &

contra

contra inuadentes piratico more territorium nostrum, vel partem ipsius, & ad stratas publicas &c. prout in ipso decreto nostro latiùs, & seriosiùs continetur. Deliberauimus cum maxima causæ cognitione, ex certaque scientia, ex causisque rationabilibus, & iustissimis eidem decreto, & edicto nostro componi, & ordinari facere, componimusque, & facimus detractiones, declarationes, additiones, & limitationes, vt infra, viz.

Super, & in secundo capitulo ipsius faciente mentionem de famosis latronibus, & robatoribus stratarum, & inuadentibus piratico modo territorium nostrum, vel partem ipsius, & ad stratas publicas, qui homicidium non commiserint astrascinandis sine affide, volumus, edicimus, & mandamus, quod de cætero cum affide astrascinentur, non obstante, quod vigore secundi capituli prædicti in prima parte ipsius sine affide astrascinari deberent.

Item in eodem capitulo in prima parte ibi, & ad stratas publicas, cassamus, & cancellamus copulam, addimusque loco ipsius alternatiuam, vel cæteris, tàm pœnis secundum continentiam dicti capituli, firmis manentibus alijs in ipso capitulo comprehensis.

Item, & super octauo continente de proditoriè committentibus, & tractantibus contra Statum nostrum, vel Signoriam nostram astrascinandis &c. dictum capitulum, & contenta in eo dumtaxat ex certa scientia corrigimus, & cassamus, decernentes, & tenore præsentium salubritèr prouidentes, quod quælibet singularis persona, Commune, Collegium, & Vniuersitas, cuiuscunq; status, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existat de cætero quouis modo committens, vel tractans proditoriè contra nos, liberosque nostros, vel aliquem nostrum, Statumque nostrum, vel Signoriam nostram, & omnes, & singuli talibus committentibus, vel tractantibus præstantes auxilium, consiliũ, vel fauorem, necnon scientèr ipsos receptantes, & occultantes, siue receptari, & occultari scientèr facientes pœnis legalibus condemnentur, & puniantur. Mandantes tamen omnibus, & singulis Potestatibus, Rectoribus, Iusdicentibus, & Officialibus nostris præsentibus, & futuris ad quos punitio prædictorum in præsenti capitulo contentorum spectabit, & pertinebit, quatenus indilatè nobis notitiam facere debeant de personis prædictis talitèr committentibus, vel tractantibus, ipsisque auxilium, consilium, vel fauorem vtsupra, præstantibus, & receptantibus, siue receptari facientibus vtsupra, & de conditionibus, statu, & fama ipsorum, & de pœna, quæ ipsis imponenda veniret secundum iuris formam antequam processum aliquem contra ipsos formauerunt, vt de intentione nostri circa prædicta eisdem Officialibus, & Potestatibus nostris notitiam facere valeamus. MCCCLXXXXIIII. die iiij. Aprilis publicatæ fuerunt suprascriptæ additiones.

Quod antescriptum decretum habeat locum solummodo in Potestatibus, Capitaneis, Referendarijs, Iudicibus gabellarum, Officialibus Bulletarum, & Vicarijs.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volentes declarare decretum nostrum contra Officiales Ciuitatum, & Terrarum nostrarum diuersimodè contrahentes cum Subditis nostris eorum officio, siue curæ suppositis editum sub die vigesimoprimo mensis Martij proximè præteriti, licet sanè intelligendo declaratione non egeat, tenore præsentium declaramus, volumus, & mandamus decretum ipsum locum debere habere dumtaxat in Potestatibus, Capitaneis, Referendarijs, Iudicibus gabellarum,

O fficialibus

Officialibus bulletarum, & Vicarijs Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, necnon in ipsorum , & eorum cuiuslibet Officialibus in alijs verò partibus decretum ipsum sicut iacet volumus obseruari. Mandantes tibi, quatenùs hanc nostram declarationem facias, vt moris est per loca Iurisdictionis tuæ publicari, & inseri in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani penès Decretum antedictum, rescribendo nobis sine mora de receptione præsentium. Datum Papiæ die octauo Maij MCCCLXXXXIIII. Thomasius. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod pretextu litterarũ Domini nullus extrahatur extra iurisdictionem, nisi &c.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Copiam cuiusdam Decreti per nos nuper ordinati, mittimus tibi præsentibus inclusam, volentes, & tibi mandantes, quatenùs ipsum in locis consuetis Iurisdictionis tuæ publicè diuulgari facias, sic, quod ad notititiam quorumcunque peruenire possit. Dat. Papiæ die xxj. Maij MCCCLXXXXIIII. Thomasius signauit. A tergo Nobili Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis est.

Nos Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Moti plerumque precibus Subditorum nostrorum super hoc nos infestantium concedimus, quod quæstiones, quæ terminari debent in Ciuitatibus, & Terris nostris illùc remoueri debeant, & in Curia nostra, seu alibì agi, & terminari, de quo multæ querimoniæ subsequuntur asserentibus illis, qui coguntur causari extra Ciuitatem, vel Terram, in qua ipsæ quæstiones debent decidi, & terminari se consumi in hospitijs, quod quidem ipsis graue videtur. Cupientes itaque, sicut est nostri honoris, & debiti, super hoc de remedio opportuno prouidere, vt quantò plùs fieri possit in hoc æqualitas obseruetur, tenore præsentium edicimus, decernimus, & mandamus, quod in omnibus quæstionibus pendentibus, & de cætero occursuris, in quibus contingat nos ad instantiam aliquorum fint, qui velint quæstiones aliquas de iurisdictione propria vbi iuridicè terminari debent remouisse, vel deinceps remouere infrascriptus ordo debeat obseruari, vlz. Quod ille, vel illi, ad cuius, vel quorum instantiam, seu requisitionem hoc factũ fuerit primò, & antè omnia debeat idoneè satisdare coràm illis Iusdicentibus, quibus dictæ quæstiones commissæ fuerint per nos de soluendo omnes expensas, quas aduersarij facient in litigando, & stando extra domos suas, & hoc in casu quo ipsi, qui hoc postulauerint succumbant in causa, & quod ipsi Iusdicentes, quibus per nos dictæ quæstiones commissæ fuerint, teneantur, & debeant ipsas expensas taxare secundùm, quod circumspectioni suæ videbitur, non expectato alio mandato à nobis; & non obstante, quod requirentes ipsas quæstiones remoueri de iurisdictione propria allegent se habuisse iustam causam litigandi. Iubentes hoc generale decretum nostrum obseruari, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum inseri, & describi. In quorum testimonium &c.

De furiosis capiendis.

Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quia furiosorum, dementium, siue mentecaptorum actus per quos, vel nisi

distabile potest insurgere supra modum, & incomparabiliter abhorremus, fecimus ideò iàm multis annis elapsis contrà eosdem actus per nostrum decretum speciale conderi, quod ex præcessorum nostrorū negligentia iàm in desuetudinem nobis abijsse videbitur, cum nulla lege coerciti per iurisdictionem tibi commissam sentiamus ipsos vltrà, citraque discurrere pro libito voluntatis. Quare prouidere volentes quantumcumque nobis possibile sit, quod dictorum furiosorum, dementium, siue mentecaptorum actus penitùs reprimantur, mandamus tibi quatenùs decretum nostrum inclusi tenoris, quod aliàs per nos missum, nunc iterato examinari, & corrigi fecimus, prout nobis expediens visum fuit in tota iurisdictione per nos tibi commissa seruas, prout iacet, & facias inuiolabilitèr obseruari, rescribentes nobis statìm de receptione præsentium. Dat. Mediolani die xxvj. Iulij MCCCLXXXXIIII. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutū, Imperialis Vicarius generalis. Abhorrentes mirùm in modum temerarios actus amentium, qui, vt frequentèr accepimus cū querela, concitati furijs in Subditos nostros nonnumquā sæuiunt, nunc istum, nunc illum, prout furor arma ministrat, afficientes varijs incommodis, iniurijs, & feritis. Et eatenùs prouidere volentes, quemadmodum aliàs ordinauimus, & prout nostri est honoris, & debiti, quod huiusmodi mentecapti non possint ad prædictorum Subditorum nostrorum offensas, & damna manus suas violentas extendere, hoc nostro decreto edicimus, decernimus, & mandamus, quatenùs per Potestates, & Vicarios Ciuitatum, & Terrarum nostrarum fiat diligens inquisitio si in iurisdictione eis commissa sint aliqui furiosi, insani, & mentecapti, & in inquisitione seruetur talis modus vlz., quod in principio eorum officij præcipi faciant sub certa pœna applicanda Cameræ nostræ cuilibet Consuli, Parochiano, siue Antiano cuiuslibet Parochiæ, seu contratæ illius Ciuitatis, aut Terræ in qua iurisdictionem habebit, quod intenti sint ad sentiendum si in dicta Ciuitate, Terra, vel loco sint aliqui furiosi, insani, vel mentecapti, & illos sub pœna prædicta continuè dictis Potestatibus, seu Vicarijs dictarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum sine vlla exceptione denunt[ient], & si sint, vel fuerint, eorum scriptis nominibus interpellari faciant parentes ipsorum, fratres, consanguineos, vel agnatos, seu quos proximiores habebunt, si velint ipsos insensatos custodire, & tenere inclusos, annè, & vbi velint, mandent eisdem, quod tàm diligentèr hoc faciant, quod lædere, aut offendere nullum possint; in casu verò, quo non, vel sint talis conditionis ipsi furiosi, quod neminem habeant ad quem ipsorum custodia, vel cura pertineat: volumus, quod faciant eos carceribus mancipari, iniungentes illis ad quos spectat, quod de debitis alimonijs eisdem prouidere debeant. Si verò ipsi mentecapti non haberent bona propria, seu parentes, fratres, cognatos, vel agnatos, ad quos spectaret prouisio alimentorum ipsorum mentecaptorum, faciant eisdem de eleemosinis prouideri sicut fit alijs personis pauperibus carceratis. Cæterùm, quia hoc pluries mandasse recolimus, quod vsq; obseruatum esse comperimus: notificamus ipsis Potestatibus, & Vicarijs, quod quandocunq; senserimus in dicta eorum iurisdictione tales insanos discurrere, & quempiam damnis, aut offensis, vel iniurijs lacessire condemnabimus, & ex nunc, prout ex tunc condemnamus in florenis centum Cameræ nostræ applicandis, & hoc totiens quotiens contrafactum fuerit in prædictis, & vlteriùs tristis ille

Potestas,

Potestas, Vicarius, Rector, in cuius iurisdictione contingat nos adesse, si in ipsa reperiatur aliquis insanus, furiosus, vel mentecaptus, qui secundum dispositionem præsentis decreti nostri non sit reclusus.

De Ceruijs non capiendis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod statim per totam iurisdictionem per nos tibi commissam proclamari facias per loca consueta, quod nulla persona cuiusuis conditionis & gradus existat, audeat, vel præsumat aliquem Ceruium, vel Ceruiam capere, seu damnum, destructionem, vel læsionem ipsis inferre, sub pœna contenta in Ordinibus Caziarum nostrarum, rescribendo nobis de receptione præsentium. Dat. Papiæ die xxviiij. Augusti MCCCLXXXXIIII. A tergo Nobili Viro Potestati nostro Mediolani. Petrus signauit.

De Fortalitijs non construendis, nec reficiendis.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Quod inter cogitatus nostros multum reuoluimus assiduè concreuimus, vt plurimum nostro Statu, & nostrorum Subditorum conuenire pacificè Fortalitium vllum nouum non errigatur, & deruptum antiquum præter nostri licentia minime reficiatur; propterea in hoc salubri nostro perseuerantes proposito sicut alias iterato per hanc nostram paginam, quam pro lege, & decreto nostro seruari volumus, & iubemus in quacumque parte dominij nostri, vt publicè diuulgari in iurisdictione per nos tibi commissa, & in volumine aliorum Statutorum, & decretorum nostrorum illius nostræ Ciuitatis Mediolani, ac aliarum quarumcumque Ciuitatum, Comitatuum, & Terrarum nostro Dominio subiectarum, prout iacet ad litteram annotari, edicimus, decernimus, & mandamus, quod nulla persona, seu Vniuersitas cuiusuis præeminētię, vel cōditionis existat Fortalitium aliquod de nouo construere, vel construi, seu antiqua Fortalitia derupta, quæ non sint in Fortalitio reficere, seu refici, vel fortificari facere in aliqua parte Dominij nostri præsumat, sub pœna, haueris, & personæ, nisi impetrata, & à nobis obtenta licentia speciali, tuque circa hoc, quanrùm tibi grata nostra cara est, solertem diligentiam habeas, & nè prætextu aliquo construi possit nouum Fortalitium qualemcumque, seu antiquum diruptum refici, & fortificari, vt præfertur, de harum receptione nobis illicò rescribendo, & prout feceris. Dat. Papiæ xj. Decembris MCCCLXXXXIIII. Thomasius signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Pro Syndicatu Fabricæ Ecclesiæ Maioris Mediolani.

NOS Ioannes Galeaz Vicecomes, Comes Virtutum, Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Volentes ob reuerentiam Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Dominæ Sanctæ Mariæ, sub cuius vocabulo fabricatur Ecclesia Cathedralis nostra Mediolani, & ob deuotionem, quàm gerimus ad præfatam Dei Genitricem Beatissimam prouidere Fabricæ dictæ Ecclesiæ, præsenti Decreto, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, edicimus, decernimus, & sancimus, vt infrà.

Primò, quod Vicarius Domini Archiepiscopi Mediolani, qui per tempora erit, seu Vicarius Capitularis Ecclesiæ Mediolani sede vacante, & Vicarius officio

prouiſionum Communis noſtri Mediolani deputatus, & qui per tempora erit deputatus, ſeu eius Locumtenens, & ſaltem octo ex duodecim Præſidentibus, & qui per tempora præerunt officio dictarum Prouiſionum, & ſaltem tres ex Ordinarijs dictæ Eccleſiæ, & ſaltem octo ex alijs noſtris Ciuibus Deputatis dictæ Fabricæ, inter quos octo proximè dictos ſint adminus tres ex Iuriſperitis Collegij Iuriſperitorum Mediolani, & qui habeantur pro Deputatis, ex quo ſcribi ſe facient pro Deputatis; poſſint pro ipſa Fabrica; & nomine ipſius Fabricæ, conſtituere Syndicos, & Procuratores ipſius Fabricæ, & Deputatorum ipſius Fabricæ, prout meliùs dici poſſunt, vnum, & plures, & quemlibet eorum inſolidum, ità quod occupantis non ſit melior conditio, & quod vnus eorum inceperit, alius, & alij poſſint mediare, & finire, & prout eis videbitur, ad recipiendum quaslibet res, & pecuniarum quantitates debitas, & quæ in futurum debebuntur dictæ Fabricæ; & ad confitendum recepiſſe, & ad faciendum quibuslibet ſoluentibus, & a quibus fuerint confeſſi recepiſſe, etiam non interueniente reali ſolutione, firmam confeſſionem, & plenam liberationem, & ad inueſtiendum quamlibet perſonam, vnam, & plures, prout eis videbitur, tàm ad tempus, quàm in perpetuum, de quibuſcunque bonis, quæ teneantur, & in futurum tenebuntur nomine dictæ Fabricæ pro illo ficto, ſeu præſtatione, de quo, ſeu qua conuenerint. & ad vendendum quæcunq; bona, tàm mobilia, quàm immobilia, quæ teneantur, ſeu in futurum tenebuntur nomine dictæ Fabricæ pro illo pretio, de quo conuenerint, cum baylia promittendi defenſionem bonorum, quæ contingent vendi, in forma communi, cum obligatione dictæ Fabricæ, & bonorum ipſius Fabricæ, & cum renuntiationibus, & clauſulis, quæ in talibus ſolent apponi. Et item ad cedendum iura, & actiones titulo, & ex cauſa venditionis competentia, & quæ in futurum competent dictæ Fabricæ cuilibet perſonæ, cum promiſſionibus, ſacramentis, renuntiationibus, & clauſulis quibuſcumque, quæ in talibus ſolent adhiberi, & ad confitendum recepiſſe pretia, pro quibus continget bona vendi, & iura addi, & ad faciendum pacta, conuentiones, & tranſactiones, compromiſſa, & emologationes arbitramentorum, cum appoſitione pœnarum, & ſacramentorum, & cum obligationibus, renuntiationibus, ſolennitatibus, & clauſulis expedientibus, & in talibus apponi conſuetis, & ad faciendum quæcunque alia expedientia pro dicta Fabrica, de quibus, & prout videbitur ipſis conſtituentibus; hoc intellecto, quod ſi ex prædictis viginti vno numero fuerint ſolùm decem & ſeptem præſentes, & conſentientes; quod ipſi decem & ſeptem poſſint omnia ſupraſcripta, & infraſcripta liberè facere, & expedire, non obſtante abſentia, & contradictione aliorum quatuor. Item volentes prouidere emptoribus talium bonorum, quæ tenentur, & tenebuntur nomine Fabricæ prædictæ, vt emptores meliùs inueniantur, & meliùs, & faciliùs venditiones poſſint fieri, & pretia ipſorum in ipſam Fabricam conuerti, edicimus, decernimus, & ſancimus vt ſupra, quod ſi Deputati dictæ Fabricæ voluerint vendere aliquam rem immobilem, quæ teneatur, ſeu in futurum tenebitur nomine præfatæ Fabricæ, quod Syndicus, ſeu Procurator dictæ Fabricæ, ſeu Deputatorum ipſi Fabricæ conſtitutus modo ſupraſcripto debeat comparere coram Vicario Prouiſionum Communis noſtri Mediolani, ſeu eius Locumtenente, & ibidem in ſcriptis dare, quod vult vendere dicto Syndicario nomine talem rem immobilem, declarando eam per ſitum, ſeu locum, contratas, & cohærentias, & etiam per numerum perticarum, vel circa congrua congruis referendo, & ipſam talem ſcripturam dimittere Notarijs officij Prouiſionum in libro ponendam, & quod debeat curare, quod crida, ſeu proclamatio ſono

tubæ

tubæ præmisso fiat, mandato ipsius D. Vicarij corăm quo comparuerit ad dandum in scriptis vtsupra, seu eius Locumtenentis, vel iu cessoris, publicè ad scalas Palatij noui Communis Mediolani, & ad Arengheriam, quæ est super lobia de Oxijs positam in broleto nouo Communis nostri Mediolani hora sextæ, vel circa, seu hora Vesperarum, vel circa, de die clara, & ad loca Ciuitatis Mediolani, vbi proclamationes solent fieri, & hæc omnia in præsentia duorum testium, & fiat crida vtsupra tribus vicibus in vna hebdomada diuersis diebus, & alijs tribus vicibus in alia hebdomada sequenti diuersis diebus, & vna vice in altera hebdomada in publica platea contratæ, seu Parochiæ, in qua fuerint situatæ res vendendæ, & hoc si res situata esset in Ciuitate Mediolani, vel intra Corpora Sanctorum Mediolani, & si res esset extra Ciuitatem, & Corpora Sancta fiat crida vna vice vtsupra in publica platea illius Terræ, in qua, seu cuius territorio fuerit situata res vendenda vts., proclamando effectualitèr sicut talis Syndicus Fabricæ, seu Deputatorum Fabricæ dedit in scriptis, coràm ipso Vicario, seu Locumtenente, vel præcessore, se velle vendere talem rem immobilem cum declaratione præmissa de loco, contrata, cohærentijs, & numero perticarum, vel circa, & quod si qua persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas, est, volens dicere, habere, seu habens, vel habere prætendens ius aliquod in ipsa, vel super ipsa tali re vendenda, vel parte aliqua ex ea, debeat infra menses tres post ipsas omnes proclamationes immediatè sequentes, per se, vel alium eius nomine, coràm ipso Vicario, vel eius successore, vel Locumtenente comparere, & in scriptis dare, & ostendere ipsum tale ius, quod in ipsa, aut super ipsa te, vel aliqua parte ex ea habet, seu prætendit habere, dimissis copijs ipsius proclamationis fiendæ vna ad dictas scalas, & alia ad dictam Arengheriam, seu lobiam, & alia ad dictam plateam contratæ, seu Parochiæ, seu Terræ, in qua, seu cuius Territorio situata erit res vendenda, & quæ cridæ, & earum relationes, & impositiones fieri possint quolibet die feriato, & non feriato, nisi fuerint feriæ in honorem Dei, vel Sanctorum eius introductæ. Saluo, quod minores annis viginti, & absentes à Ciuitate, vel Comitatu Mediolani, & etiam furiosi, aut mentecapti, necnon dominæ viduæ, pro iure dotium suarum, vel rerum parafernalium, & aliæ personæ habentes, seu habere prætendentes ius occasione administrationis alicuius tutelæ, seu curæ, aut ius hypothecæ pro aliquo ficto libellario, aut pro aliquibus legatis, fideicommissis, institutione, seu substitutione testamentaria, vel alia qualibet successione ex testamento, vel ab intestato possint comparere infrà spatium sex mensium computandorum à tempore dictarum proclamationum vtsupra ad dandum in scriptis, & ostendendum ius suum per se, vel alium eorum nomine vtsupra, & non intelligantur absentes, qui infra mensem a tempore dictarum proclamationum computandum reperirentur, vel essent in Ciuitate, vel Comitatu Mediolani, & quod quilibet, qui, vt præmittitur, comparuerit ad dandum in scriptis, iurare debeat ad Sancta Dei Euangelia, manu corporalitèr tactis scripturis, quod id non facit per malitiam, nec fraudem, nec animo impediendi malitiosè venditionem illam cuius occasione comparebit, & quod iura, quæ dat in scriptis sunt vera, & nõ fictitia, & quod in veritate est creditor eius, de, & pro quo asserit habere ius in dicta re vendenda, & si non iurauerit vtsupra, perindè habeatur ac si non comparuerit.

Item edicimus, decernimus, & sancimus vtsupra, quod factis dictis proclamationibus, & elapsis dictis terminis trium mensium, & sex mensium singula singulis congruè referendo, si qua persona, Commune, Collegium, aut Vniuersitas,

uersitas, non comparuerit ad dandum in scriptis, & ostendendum eius ius; quod haberet, & habere prætenderet, in, aut super dicta re vendenda, aut aliqua parte eius per se, vel alium, quod eo casu talis Syndicus possit ipsam rem, & quamlibet partem ipsius vendere liberè, & etiam absque eo, quod dare teneatur fideiussionem, & ipsa venditio, & emptio possint liberè, vtsupra, fieri, absque eo, quod emptori, seu emptoribus, vel eorum hæredibus, & successoribus possit vllo tempore aliqua quæstio moueri super ipsa tali re, aut eius occasione per aliquam personam, Commune, Collegium, aut Vniuersitatem, quæ non cōparuerit, & ius suum in scriptis non dederit, & ostendiderit vtsupra, in prædictis terminis congruè referendo vtsupra, nec per eorum hæredes, immo ipsa talis res taliter vendita eo casu sit libera ab omni onere obligationis, & hypothecæ, & irreuocabiliter fiat emptoris, seu emptorum.

Si verò intra tempus prædictum trium mensium, vel sex mensium, singula singulis congruè referendo, comparuerit aliqua persona, Commune, Collegium, aut Vniuersitas, ad dandum in scriptis, & ostendendum ius suum, tunc Vicarius Prouisionum, seu eius Locumtenens possit, & debeat, ad instantiam cuiuslibet cuius interest, procedere, cognoscere, & terminare summariè, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij, & quantò summariùs, & expediens poterit, appellatione, & querela qualibet remota, & quolibet die feriato, & non feriato, exceptis ferijs introductis in honorem Dei, & Sanctorum eius; de iure cuiuscunque ipsorum, qui, vt præmittitur, comparuerint, & super præmissis omnibus, taliter, & talem finem imponendo, quod ipsa venditio possit procedere, & effectum sortiri, & de pretio responderi, & satisfieri possit, & debeat illis, seu illis, quibus de iure debebit, vel prout declarabitur, & terminabitur vtsupra, & in casu quo ipsa venditio non fiat, quod nihilominus similiter, & eodem modo vtsupra, cognosci, & terminari possit, & debeat de, & super ipsa re, seu rebus vendendis vtsupra, attribuendo cuique ius suum singula singulis congruè referendo, ita etiam, & taliter, quod illi, qui non comparuerint vtsupra, nullum ius habeant, nec habere intelligantur ad ipsam talem rem vendendam, neque venditam forma prædicta, nec ad eius pretium, saluo tamen iure cuilibet creditori comparenti in terminis vtsupra habendi, & possendi habere, & tenere ipsam talem rem pro maiori pretio si voluerit, quo casu ipse volens vendere cogatur vendere ipsi creditori volenti emere; & ita sit ipsa res libera, prout supra continetur si ipsa venditio facta fuerit, & si comparuerint plures creditores emere volentes, eo casu detur plus offerenti, & sit libera vtsupra. Si verò intra ipsos terminos cridatum singula singulis congruè referendo, comparuerit aliquis per se, vel alium pro eo, qui ostendiderit rem vendendam esse suam, vel sibi pertinere iure dominij directi, vel vtilis, vel quasi dominij, tunc, & eo casu ipsa res non vendatur, nec vendi debeat, ipso tali comparente inuito. In alijs verò casibus, quod vbi quis ostendiderit rem esse suam, vel sibi pertinere iure dominij directi, vel vtilis, vel quasi dominij, possit res vendi liberè etiam contra voluntatem comparentium, & libera transeat in emptorem vtsupra, sed de pretio respondeatur cōparentibus secundùm prioritatem, & potioritatem iurium, & de pretio disponatur, vt de re ipsa disponeretur.

Item edicimus, decernimus, & sancimus vtsupra, quod ipsæ cridæ habeantur pro solenniter factis si preco, seu precones retulerint coram dicto Vicario Prouisionum, seu eius Locumtenente, vel successore, & ad officium Gubernatorum Statutorum Communis nostri Mediolani se ipsas cridas fecisse iuxta formam prædictam, in qua relatione scribantur nomina eorum testium, in quo-

 rum

rum præsẽtia factæ fuerint ipsæ cridæ, & quod impositiones, quæ fient preconi, seu preconibus scribantur ad officium prouisionum Communis Mediolani; & quod relationes ipsarum cridarum ponantur in scriptis ad ipsum officium prouisionum infra dies octo, post ipsas omnes cridas, & proclamationes factas.

Item edicimus, decernimus, & sancimus; quod illi solummodo sint Deputati dictæ Fabricæ, & pro Deputatis dictæ Fabricæ habeantur, qui pro Deputatis dictæ Fabricæ erunt nominati per Vicarium Prouisionum, & duodecim Præsidentes Prouisionibus Communis nostri Mediolani, qui per tempora erunt, & quorũ nomina erunt scripta in vno libro, qui stet in camera officij dictæ Prouisionis, & qui Deputati durent donec fuerint reuocati per dictos Vicarium, & duodecim Deputatos officio dictarum Prouisionum, & quam reuocationem facere possint ipsi Vicarius, & duodecim, prout eis placuerit.

Item edicimus, decernimus, & sancimus, vt meliùs reperiantur, qui assumant officium Syndicatus, & procuræ, quod prædicti, qui habent virtute præsentis decreti auctoritatem, & bayliam constituendi Syndicos, & Procuratores vtsupra, habeant plenissimam potestatem concludendi, & solidandi rationes cum suprascriptis Syndicis, & Procuratoribus, & liberandi quoscunque Syndicos, & Procuratores ab omni, & toto eo de quo essent debitores Fabricæ, seu Deputatorum Fabricæ, & ab omni, & toto eo, quod ab eis posset peti, seu requiri per Deputatos dictæ Fabricæ, etiam non interueniente reali solutione, vel satisfactione.

Item edicimus, decernimus, & sancimus, quod prædicti, qui habent virtute præsentis decreti auctoritatem, & bayliam constituendi Syndicos, & Procuratores vtsupra, possint constituere quoslibet officiales opportunos, & expedientes ad negocia prædictæ Fabricæ expedien., & ipsis officialibus salaria ordinare, & ipsos officiales reuocare, & eorum loco alios subrogare, & in ipsis disponere, prout viderint, pro vtilitate dictæ Fabricæ conuenire. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ die xxiij. Decembris MCCCLXXXXIIII., Indictione tertia. Philippinus.

Quod non fiant, neque reficientur aliqua Fortalitia.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Pridie per litteras nostras edictales datas Papiæ die xj. Decembris proximè præteriti decreuimus, atque mandamus, quod nulla persona, seu Vniuersitas cuiusuis præeminentiæ, vel conditionis existat Fortalitium aliquod de nouo construere, vel construi, seu antiqua Fortalitia derupta, quæ non sit in Fortalitio reficere, vel fortificare, seu refici, vel fortificari facere præsumat in aliqua parte Dominij nostri, sub pœna haueris, & personæ, nisi à nobis obtenta licentia speciali; nulla mentione factâ in eisdem litteris nostris, quod tu teneretis nobis notificare quoscunque eiusmodi nostræ intentioni contrafacientes, quare, vt vnusquisq; Officialis noster sit à modo magis solicitus, & intentus ad notificandum nobis eos, qui contra tenorem prämissarum litterarum nostrarum aliqualitèr attemptabunt, imponimus harum tenore tibi, & cuicunque successori tuo pœnam floren. mille nostræ Cameræ applicandam eis, qui tempore sui regiminis nobis notificare omitterent constructionem talium nouorum Fortalitiorum, & refectionem aliorum antiquitùs diruptorum in districtu, seu attributa districtus, & iurisdictionis Ciuitatis nostræ Mediolani, siue loca, in quibus erunt huiusmodi Fortalitia, sint exempta,

vel

vel habeant merum, & mixtum Imperium, siue non. Volentes, & tibi expressè mandantes, quatenùs has pœnales additiones litteras penès alias antedictas registrari facias in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani, & de ipsarum receptione nobis rescribas. Dat. Papiæ die xiij. Ianuarij anni MCCCLXXXXV. Thomasius signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod Banniti consignantes Bannitos forenses non habeant præmium.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Vt dubietas, & obscuritas tollatur, quàm parit decretum nostrum faciens mentionem de præmio, quod consequi debent capientes, & consignantes Bannitos in eo, quod simplicitèr, & generalitèr demonstrare videtur Bannitis consignantibus aliquos alios Bannitos de territorio nostro præmium dari debere. Ipsi decreto addentes, volumus, & declaramus, quod Banniti consignantes aliquos alios Bannitos, & non Subditos nobis pro maleficijs similitèr commissis in forenses, & non subditos nobis à dicto præmio intelligantur exclusi, & protinùs excludantur. Et hanc intentionem, & declarationem nostram publicari volumus, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum nostri Communis Mediolani registrari penès aliud decretum supradictum, quod emanauimus sub data Mediolani die vigesimoprimo Augusti anni MCCCLXXXXIII. de harum receptione, & prout feceris nobis indilatè rescribendo. Dat. Papiæ die xxvj. Ianuarij MCCCLXXXXV. Thomasius signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod nullus vadat ad impetrandum in Curia Romana, Castra, Terras, Possessiones, vel Iura, aut redditus alicuius beneficij sine licentia Domini.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Multis respectibus nos iustè mouentibus, volumus, & tibi mandamus quatenus per Ciuitatem nostram Mediolani, & iurisdictionem per nos tuæ curæ commissam in locis consuetis statìm facias publicè proclamari, quod aliquis cuiuscunque gradus, status, conditionis, vel dignitatis existat non audeat, nec præsumat in Romana Curia imperrare, sub aliquo titulo, aliqua Castra, Terras, Villas, loca, possessiones, vel iura, nec redditus, siue fructus aliquos alicuius Episcopatus, Abbatiæ, Prioratus, Præposituræ, nec alterius dignitatis, seu beneficij nostri territorij, absque nostri licentia, sub pœna indignationis nostræ. Et vlterius nostri arbitrio auferenda, faciendo præsentes litteras nostras in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani inseri, & describi, ac de ipsorum receptione, & prout feceris in præmissis nobis tuis litteris intimando. Dat. Papiæ die quarto Iulij MCCCLXXXXV. Thomasius signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod Cerui, neque Ceruiæ capiantur.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Volumus, quod statìm per totam iurisdictionem per nos vobis commissam proclamari faciatis per loca consueta, quod nulla persona cuiusuis conditionis,

nis, & gradus existat, audeat, vel præsumat aliquem Ceruium, vel Ceruiam capere, vel damnum, destructionem, vel læsionem ipsis inferre, sub pœna contenta in ordinibus caziatum nostrarum. Dat. Papiæ die xxiiij. Iulij MCCCLXXXXV. Philippinus. A tergo Nobili Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod habentes licentiam portandi arma committentes cum armis aliquam feritam puniantur, tam pro portatione armorum, quam pro ferita.

DOminus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Mittimus tibi præsentibus inclusum quoddam decretum per nos nuper editum contra illos, qui habens licentias à nobis arma portare, huiusmodi licentijs persæpè non verentur abuti. Volentes, quod hoc decretum nostrum in locis publicis, & consuetis iurisdictionis tuæ diuulgari facias, & describi in volumine aliorum Decretorum nostrorum obseruandum de cætero per te, & successores tuos inuiolabilitèr sicut iacet. Datum Papiæ die primo Augusti MCCCLXXXXV. Antonius signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

NOS Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Molestum habentes, quod Subditi nostri nostris gratijs abutantur, & quod propter dictas gratias, rixas, & feritas committant, & ob hoc transeant impunitum, hoc est, quod cum nonnullis ex Subditis Terrarum nostrarum concesserimus arma portare, & in nonnullis partibus Territorij nostri decretum de inhibitione portationis armorum ob certas causas non vigeat, & ob hoc tales arma portantes rixas, rumores, atque feritas committant cum dictis armis, edicimus, decernimus, & mandamus, quod si contingat de cætero aliquem ex prædictis Subditis nostris cum armis facere aliquam feritam, quod ille, seu illi talitèr facientes feritas vltra pœnam eis infligendam causa feritarum illatarum teneantur ad pœnam dicti nostri decreti quemadmodum tenerentur si non haberent dictam gratiam, vel si ibi vigeret dictum nostrum Decretum, & Rectores ad quos spectat, vel spectabit in futurum iurisdictio in dicto loco teneantur, & debeant tales punire de portatione armorum, vlz., si fuerit de die in floren. decem, & si fuerit de nocte in floren. viginti applicandis Cameræ nostræ, sub pœna dupli dicto tali Rectori omittenti dictas tales condemnationes facere Cameræ applicari. In quorum &c.

Quod nullus vendat Castrones, nisi sint bene rasi.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum. Volumus, quod in Ciuitate nostra Mediolani, & Comitatu faciatis publicè proclamari, quod non sit aliqua persona vendens carnes ad Beccariam, quæ audeat, vel præsumat vendere, aut vendi facere ad Beccarias eorum, nec in aliqua alia parte Ciuitatis, & Comitatus Mediolani aliquas carnes Castronorum, nisi ipsi Castroni sint perfectè rasi, sub pœna amittendi tales Castrones, seu valorem ipsorum, quam nostram intentionem volumus, quod inseri faciatis in volumine Statutorum, & Decretorum nostrorum Ciuitatis nostræ prædictæ. Rescribendo nobis de receptione præsentium, & de ordine quem apposueritis in prædictis. Dat. Papiæ die iiij. Octobris MCCCLXXXXV. A tergo Nobili, & Sapienti Viris Potestati, & Iudici Datiorum nostris Mediolani.

Quod

Quod Banniti capientes alios Bannitos non stent per quadraginta miliaria propè offensos, nisi habuerint pacem.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum. Volumus, & ex certa scientia tibi mandamus, quod in fine illius nostri Decreti, quo cauetur Bannitos de vita capientes, vel capi facientes alios Bannitos de simili, vel maiori delicto de eorum bannis eximi debere, addi facias hæc verba videlicet. Quod si huiusmodi Banniti de eorum bannis exempti, vel de cætero eximendi occasione decreti prædicti pacem non habuerint cum offensis, non possint habitare, vel morari in locis vicinis per quadraginta miliaria illi loco vbi habitauerint offensi, vel eorum maior pars, nec ad ea accedere, & hoc infra limites territorij nostro Dominio subiecti, & si contrafecerint capi possint, & subsequenter debita pœna puniri, dicta exemptione nequaquam obstante. Datum Papiæ die vigesimo Octobris MCCCLXXXXV. Antonius signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod habentes litteras speciales à Domino facientes feritam cum armis puniantur in quadruplo.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum. Contra illos, qui præter intentionem nostram abutuntur licentijs nostris portationis armorum, ordinauimùs decretum tenoris his inclusi, quod volumus, vt registrari facias in aliorum nostrorum Decretorum volumine Statutorum; quod nostri Communis Mediolani per quælibet etiam consueta loca iurisdictionis per nos tibi commissæ publica diuulgari à modo, prout iacet ad litteram inuiolabilitèr obseruandum, de cuius quidem receptione statim nobis rescribere rescribas. Dat. Papiæ die decimo Nouembris MCCCLXXXXV. Thomasius signauit. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Comes Virtutum. Ne illi qui per speciales litteras nostras licentiam habent arma ferendi ipsis causam habeant abutendi hac nostra lege, atque decreto disposuimus talium corrigere prauū actum, vt formidine pœnæ ipsis delinquendi materia restringatur, & proinde serie præsentium sancimus, edicimus, decernimus, & mandamus, quod quælibet persona cuiuscunque status, vel conditionis existat habens, & quæ in posterum habebit à nobis licentiam arma portandi per speciales litteras nostras vtsupra, & feritam, seu delictum committens cum armis condemnetur in quadruplo eius quantitatis, in qua rationabilitèr veniret condemnandus, si, nulla habita licentia, pro armorum delatione cum ipsis armis delinquisset. Decernimus insuper, & mandamus, quod ad huiusmodi pœnæ solutionem etiam illi principales, qui, vt præfertur, habent licentiam à nobis, teneantur pro socijs, & familiaribus suis delinquentibus cum armis, quos vigore licentiarum huiusmodi eis concessarum velint arma deferre, casu quo ipsi eorum socij, seu familiares ad dicta pœnæ solutionem habiles minime noscerentur. Dat. Papiæ die x. Nouembris MCCCLXXXXV., quarta Indictione.

Quod nullus cogatur soluere onera pro alio.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum. Propter querelas districtualium Ciuitatum, & Terrarum nostro Dominio subiectarum se aggrauantium molestari pro oneribus aliorum, ordinauimus quoddam generale Decretum

continen tem

continente his inclusum, eatenùs volumus, quod ipsum decretum nostrum sicut iacet inuiolabilitèr obseruari faciatis, eumque diuulgari vbi expedit, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum Ciuitatis nostræ Mediolani ad perpetuam rei memoriam inseri, & apponi. Dat. Melegnani die xxij. Aprilis MCCCLXXXXVI. Ioannes Antonius. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Comes Virtutum. Multiplices querimonias, iteratisque vicibus recepimus à nonnullis districtualibus Ciuitatum, & Terrarum nostro Dominio subiectarum se aggrauantibus in immensum. Quod dum contingentes portiones onerum eis incumbentium persoluerint adhuc pro non soluentibus, & inobedientibus soluere compelluntur, quas proinde nobis cum instantia sapiùs supplicarunt, vt super hoc velimus de opportuno remedio prouidere, ne ex huiusmodi grauitatibus, vt eis asserunt importabilibus ad finalem consumptionem perueniant. Nos itaque non semel, sed pluries super hoc matura deliberatione prahabita, & participato cum Reuerendo Spectabilibus, & Egregijs Consiliorum nostrorum, tam Papia, quàm Mediolani, disposuimus per speciale Decretum nostrum opportuno, & salubritèr his querelis remedium apponere, quo circa prasentium tenore, & ex certa scientia, ac de nostra mentis firma proposito sancimus, volumus, & mandamus, quod de catero nullus ex nostris Subditis, qui suam contingentem partem onerum impositorum, & de catero imponendorum soluerit pro alijs non soluentibus possit aliqualitèr molestari, impediri, vel inquietari, onere salis dumtaxat excepto, quod tamen prasens Decretum nostrum locum habere non volumus in Terris illis, qua recuperant salarium nostrum per modum talearum, & non datiorum, vel gabellarum, sed in ipsis Terris ipsum salarium nostrũ more solito exigatur. Volentes, & mandantes, quod hoc nostrum decretum pro lege municipali obseruetur inuiolabilitèr, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum inseratur, & ad perpetuam rei memoriam registretur. In quorum testimonium prasens Decretum fieri iussimus, & registrari.

Quod Magistri à lapidibus viuis non recedant de territorio Domini.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum. Decretum, quod nupèr condidimus ad obuiandum ne magistri à lapidibus viuis habitan. territorium nostrum audeant ire ad laborandum extrà territorium prædictum, vt Fabrica Ecclesiæ Maioris nostræ Ciuitatis Mediolani de ipsis magistris indigentiam non supportet, tibi mittimus his inclusum, volentes, quod decretum ipsum obseruando, & obseruari faciendo ad litteram sicut iacet facias illud publicè diuulgari in partibus, & locis iurisdictionis per hos tibi commissæ, talitèr, quod ipsi magistri de ipso prætendere nequeant ignorantiam, ac registrari in libris Statutorum Communis nostri Mediolani ad perpetuam rei memoriam, prætereà, vt præsens decretum nostrum ad cunctorum magistrorum notitiam meliùs deuenire possit studeas diligentiùs informari, qui sunt principaliores magistri à lapidibus viuis in dicta tua iurisdictione commorantes, & illos vltra proclamationes prædictas de Decreto nostro prædicto specialitèr auises, seu facias auisari, rescribendo nobis de receptione præsentium, & sicut feceris in præmissis. Dat. Papiæ die nono Septembris MCCCLXXXXVI, Ioannes Thomasius. A ter. Egregio Viro Potestati nostro Mediolani præsenti, & futuris.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum. Prouidere volentes, quod Fabrica Ecclesia Maioris nostra Ciuitatis Mediolani non deficiant magistri à

lapidibus

lapidibus viuis, quorum maxime indigentiam esse audiuimus, edicimus, & per hoc nostrum speciale decretum decernimus, & iubemus, quatenùs nullus magister à lapidibus viuis habitans, vel qui de cætero habitabit in territorio nostro audeat, vel præsumat ire ad laborandum extra territorium nostrum prædictum sine nostri speciali licentia, sub pœna cuilibet ipsorum Magistrorũ contrafacientibus haueris, & personæ. Volentes, & mandantes hoc decretum nostrum publicari, & pro lege municipali haberi, & de cætero obseruari debere, in volumine quoque decretorum nostrorum, & Statutorum Communium, Ciuitatum, & Terrarum nostrarum inseri, & describi ad perpetuam rei memoriam. In quorum testimonium has fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari.

Quod nullus Ambasciator Domini debeat impetrare sine licentia Domini.

DVX Mediolani &c. Comes Virtutum. Fieri nuper iussimus quoddam decretum, cuius exemplum tibi mittimus his inclusum. Volentes, & tibi mandantes quatenùs de eo facta debita proclamatione in locis publicis, & cõsuetis iurisdictionis per nos tibi cõmissæ, vt ad quorũcunq; notitiã deuenire possit, illud subsequentèr in volumine Statutorum, & aliorum decretorum nostræ Ciuitatis Mediolani inseri paritèr, & describi facias. Dat. Papiæ die octauo Ianuarij MCCCLXXXXVII. Antonius signauit. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Comes Virtutum. Inordinatus amor temporalium rerum, & sui ipsius, suorumque excessiua charitas, hoc plerumque conficiunt, quod homines, præcipuè in rebus publicis constituti, plus sua commoda, quã aliena conspiciunt. Hinc enim cũ exigente negotiorum, & temporum varietate Ambasciatores, Nuncios, & Procuratores nostros ad diuersos Principes, & Dños, diuersaque climata destinemus, aliquando reperuimus eos fuisse ad impetrandum beneficia, priuilegia, & litteras fauorabiles in sui, suorumque seruitium, quam expeditioni commissionum per nos ipsis factarum vacauisse, quod quantum sit nostri, suique honoris ij qui talia patrauerunt meminisse debebant, cum & mandatorum fines sint summa diligentia obseruandi, & nulli eorum terminos quoquo modo liceat euagari; quapropter intendentes de cætero super hoc de opportuno remedio prouidere, præsenti decreto sancimus, quod sub pœna nostræ indignationis, nullus cuiusuis præeminentiæ, vel conditionis existat, qui à modo mittetur per nos pro Ambasciatore, nuncio, seu procuratore nostro ad aliquos, Dominos, tàm Ecclesiasticos, quàm Seculares, seu Communitates aliquas audeat, vel præsumat sine speciali licentia nostra impetrare pro se, siue pro filijs, fratribus, nepotibus, consanguineis, vel alijs quibuscunq; beneficia aliqua, Priuilegia, vel alias litteras fauorabilitèr vltra commissionem per nos ipsis factam oretenùs, vel in scriptis. In quorum &c. Dat. Papiæ die vij. Ianuarij 1397. quinta Indictione.

Quod nullus de nouo faciat, vel destructum reparet Castrum, vel Fortalitia.

DVX Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Sentientes, quod in territorio nostro contra, & præter intentionem nostram à non longo tempore citrà multi Fortalitia reparauerunt, ac fortificauerunt, & de nouo reparare,

parare, & fortificare intendunt, & quodammodo de nouo construere, tùm propter licentias concessas per eos quos misimus ad visitandum dictas Fortalitias, tùm propter quandam generalitatem litterarum nostrarum, quàm latè quisque impetratus est, ad reprimendum effusam tàm latè licentiam, quæ in læsionem pacifici status nostrorum subditorum, potiùs quàm commodum posset resultare, hoc præsenti decreto nostro edicimus, & mandamus, atq; decernimus; quod nulla persona cuiuscumque status, gradus, aut conditionis existat, audeat, vel præsumat aliqua ratione, vel causa, titulo, seu colore quèm hactenùs habere prætendisset fortalitiam aliquam de nouo construere, veterem fortificare; vel aliqualitèr reparare sine nostri speciali licentia, & mandato, & hoc sub pœna cuilibet contrafacienti confiscationis Cameræ nostræ fortalitiæ, quam totalitèr construxisset, seu reparasset, & vlteriùs floren. mille auri eidem irremissibilitèr auferen., & applican. Cameræ nostræ. Et hæc omnia non obstantibus aliquibus, quæ contra hanc intentionem nostram reperirentur esse concessa. Non intendendo propterea, quod si quis in aliquo castro, seu loco, qui nunc sit in bona fortalitia, & hactenùs per quadraginta saltem annos in fortalitia continuè conseruatus sit reparari fecerit in eo statu, & forma in quibus nunc sunt aliquos pontes, merlos, aliquam partem muri, seu spaldi, & etiam foueas, quæ propter vetustatem à modo diruerent aliqua parte deficerent his incurrere debeat pœnam supradictam. Datum Papiæ 3. Augusti MCCCLXXXXVII.

Quod mulctæ factæ per Potestates, & Officiales non sint vitiatæ ex eo, quod excedant formam à iure communi traditam.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum, Imperialis Vicarius generalis. Cum plerumque contingat per Potestates, Rectores, & Officiales Ciuitatum, & Terrarum nostrarum nostro Dominio subiectarum propter varios, & diuersos excessus mulctas infligi, quarum aliquæ aliquando sunt vltra formam à iure communi taxatam, & ex hoc dubia multa vertuntur vtrum dictæ mulctæ in totum debeant vitiari propter dictum excessum, àn ne declaramus nostræ intentionis existere, quod dictæ mulctæ nullatenùs vitiari, vel infringi possint ex eo, quod excedant formam à iure communi traditam, & taxatam. Decernentes per hoc præsens nostrum Decretum, quod generale esse volumus, & seruari in toto dominio nostro, quod per Syndicatores nostros videantur, & diligentèr examinentur dictæ mulctæ, & vbi reperiant eas legitimè factas, & secundum formam iuris, faciant ipsas inuiolabilitèr obseruari; vbi verò viderint eis excedere modum à iure traditum referant quàm citiùs poterunt omnia consilio nobis existenti, & etiam Vicarijs nostris, qui postea in prædictis disponent secundum quod eis iustum videbitur, & honori nostro conuenire. In quorum testimonium præsentes fieri fecimus, & registrari, ac nostri sigilli munimine roborari. Datum Papiæ die vltimo Septembris MCCCLXXXXVII.

Quod nullus vadat ad stipendium Inimicorum.

DVX Mediolani &c. Comes Papiæ, & Virtutum Comes. Formam cuiusdam nostri decreti nuper editi tibi mittimus inclusam, volentes, quod decretum ipsum in locis consuetis, prout iacet, facias publicè proclamari, deinde in volumine Decretorum nostrorum, & Statutorum illius nostræ Ciuitatis inseri,

& registrari, & inuiolabilitèr obseruari, rescribendo nobis de receptione præsentium, & prout feceris in prædictis. Dat. Belzoiosij die quintodecimo Nouembris MCCCLXXXXVII. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

IOannes Galeaz Dux Mediolani & Papiæ, ac Virtutum Comes. Considerantes fidelitatem, rectitudinem fidei, & obsequia grata, quas, & quæ Subditi Dominis suis naturalibus præstare tenentur, quantumcumque delinquunt Subditi ab Inimicis, siue emulis suorum naturalium Dominorum stipendia capescentes, & quod nefandus est contra Dominos suos, eorumque Subditos prorumpentes reuerentiam, fidelitatem, & obedientiam Dominorum suorum, eorumque perfectum honorem, & commodum, quod tota mente, totisque viribus procurare tenentur penitus postponentes: Cupientesque Subditos nostros iam lapsos ab inceptis retrahere, & ne alij in tanto errore labantur in posterum, quantum nobis sit possibile prouidere, hoc nostro generali decreto duximus salubritèr prouidendum: Quod aliquis Subditus noster cuiusuis status, gradus, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existat non audeat, nec præsumat de cætero se fermare ad aliquod stipendium alicuius Domini, seu Communis, seu legæ, qui, vel quæ emuletur, vel inimicetur nobis, nunc, vel in futurum, vel contra nos Ciuitates, Terras, Subditosque, vel Collegatos nostros, nec contra eorum, seu eorum aliquos, vel aliquas facere, vel venire, sub pœna banni, rebellionis, & vitæ, ac confiscationis omnium suorum bonorum Cameræ nostræ ipso iure, & facto applicandorum. Quodque omnes Subditi nostri iam fermati ad quoduis stipendium cuiuscumque Domini, seu Communitatis, vel legæ emulantium, vel inimicantium nobis, supra infra vnum mensem à die publicationis præsentis nostri decreti proximè sequuturi recedere debeant à stipendio prædicto, & ab offensis nostris Ciuitatum, Terrarum, Subditorumque, seu Collegatorum nostrorum abstinere; sub pœna prædicta. Mandantes quibuscumque Potestatibus, Capitaneis, Rectoribus, & Officialibus nostris præsentibus, & futuris, quatenùs hoc nostrum Decretum statim diuulgari, & publicari faciant, & in voluminibus Statutorum, & Decretorum nostrorum, Ciuitatumque, & Terrarum nostrarum inseri, & pro lege, & decreto nostro inuiolabilitèr obseruari:

Decretum factum super ordine tenendo in præstantijs, quæ fiunt Domino.

DVX Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Certum per nos editum ordinem nuper super facto impræstitorũ per nonnullos Ciues, & alios do Ducatu huius nostræ Ciuitatis factorum, tàm anno præterito, quàm præsenti, ac quæ fieri contingeretin futurum &c. vobis mittimus præsentibus inclusum, volentes, quod penès vos duodecim, vocatis certis adiunctis, ac Syndicis ipsius Communis Ciuitatis nostræ publicare dictum ordinem debeatis, & procedere ad electionem Officialium. & Campsorum, aliaque faciendum, & exequendum, de quibus, & secundum, quod per ipsum requiratur ordinem; sed aduertatis huiusmodi electionem cum tanta diligentia, tamquam bona deliberatione facere omnis breuitèr dilectionis, affectu prætermisso, quod ipsi eligendi iuxta casus exigentiam sint personæ sic notabiles, & valentes, legalissimæque, ac sufficientes, quod exinde semper meritò veniatis commendandi. Intendentes, & decernentes præsentium con-

tinentia,

tinentia, quod Commune dictæ nostræ Ciuitatis obligatum sit, & esse intelligatur ipso iure, & facto ad omnia, & singula contenta in dicto ordine firmitèr, & solennitèr attendenda, & obseruanda, ac si omnis auctoritas, & solennitas, tàm iuris, quàm facti, & tàm intrinseca, quàm extrinseca, quæ dici, aut excogitari posset interuenisset in prædictis, & circa præmissa; quem quidem ordinem, & omnia, vt præfertur, in eo contenta ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis etiam iubemus seruari debere præcisè prout iacet, & inuiolabilitèr pro lege haberi, contradictione, & exceptione cessantibus quibuscumque, & ita obseruari ordinetis, & faciatis de cætero diligentèr cum effectu. De receptione autem præsentium, quas cum ordine memorato ad rei memoriam in volumine aliorum Ordinum, Statutorum, & Decretorum nostrorum, & Communis nostri iam dicti registrari faciatis, & inseri, scribatis Raymundo de Verziano, & Iacobino de Porris Magistris Intratarum nostrarum, necnon secundum, quod in prædictis prouidendum, ac exequendum duxeritis auisamentum seriatim. Datum Mediolani die xviiij. Aprilis MCCCLXXXXVIII. Iacobinus signauit. A tergo Egregio, Sapientique, ac Prudentibus Viris Dominis Potestati, Militi, Vicario, & duodecim prouisionum Communis nostri Mediolani.

MCCCLXXXXVIII die primo Ianuarij. Ordo seruandus pro forma, & regulatione impræstitorum Ciuitatis Mediolani, vt infra vlz.

PRimò, quod in Ciuitate Mediolani per Commune dictæ Ciuitatis eligantur, & constituantur tres Ciues probi, sufficientes, & bonæ famæ viri secundum electionem magis conuenientem consuetudinibus, & moribus ipsius Ciuitatis, qui nuncupentur Officiales impræstitorum, & qui obseruent, & obseruare teneantur benè, fidelitèr, & sollicitè præsentem ordinem, & omnia in eo contenta cum affirmatione sacramenti eis præstandi per Præsidentes negotijs iam dicti Communis.

Qui quidem Electi, & Constituti vtsupra, habeant librum vnum in folijs membranarum formæ magnæ & coopertum assidibus, qui intituletur liber impræstitorũ Communis Mediolani inceptus die primo Ianuarij MCCCLXXXXVIII actus, & ministratus per tales declarantes nomina Officialium prædictorum, in quo quidem libro dicti Electi faciant creditores ordinatè omnes, & singulos de quibuscumque quantitatibus denariorum per ipsos, & quemlibet eorum mutuatorum anno MCCCLXXXXVII. & de cætero mutuandorum dicto Communi per modum portatarum respondentium libris Communis eiusdem, in quibus ipsi, qui mutuauerunt, & mutuabunt facti sunt, & fient creditores, iuxta creditum quorum fiant debitores per portas respondentes prædicto libro impræstitorum suprascriptorum exprimendo in dictis creditis fiendis vtsupra ad vniuscuiusque capitulum, nomina, & cognomina ipsorum, cum nominibus partium, Parochiæ, & locis in quibus habitabunt, necnon quantitates per totas litteras sine vlla abbreuiatione vlz. quorumlibet quantitatum dicto anno MCCCLXXXXVII. mutuatarum sub die primo Ianuarij suprascripto, & aliarum numerationum ab indè in antea fiendarum annos, dies, & menses, quibus numerationes ipsæ factæ erunt.

Item, quod prædictis Electis vtsupra, assignetur per dictum Commune locus tutus, & idoneus propinquus alijs officijs publicis vbi dicti Electi residentiam faciant pro ipso officio exercendo, & qui Electi teneant clauem singularem diuersam Cameræ, seu Armarij, in quo tenebuntur dictus liber, & scriptura

scripturæ, super quo libro nullus scribat, nisi solùm ipsi Electi, & cuius libr scripturas plena fides adhibeatur, tamquam scripturis publicis, & omni solennitate munitis, absque vlla cauillatione, vel exceptione, & qui liber sub fida, & secreta custodia teneatur per suprascriptos Electos talitèr, quod nemini fiat copia, vel notitia scripturarum in ipso libro contentarum, præterquam illis dumtaxat personis, quorum legitimè intererit, quibus ad omnem eorum instantiam, & requisitionem fiat gratis, & liberè scriptum vnum per modum reperitur, vel alia copia per ipsos omnes Electos subscripta, prout opus fuerit, & duxerit requirendum, cui tali scripto, siue copiæ plena fides adhibeatur tamquam scripturæ publicæ, & autenticæ.

Item, quod suprascripti Electi faciant rationes, & bulletas solutionum exinde expedientes, vigore quarum de infrascripta intrata ad hoc specialitèr ordinata per infrascriptum Campsorem respondeatur eis; qui mutuauerunt, & mutuabunt in futurum vtsupra ad computum de octo pro centenario quolibet anno absque vlla retentione, vel diminutione, quæ bulletæ subscriptæ sint, vel saltem signatæ manibus, & habeantur infrascriptorum trium pro fixis, & stabilibus ad rationes, & solutiones fiendas pro censu prædictorum octo pro centenario quolibet anno vlz. in fine mensis Iunij proxime futuri totius eius, quod habere debebunt pro censu prædicto à die prima Ianuarij suprascripta, vsque per totum dictum mensem Iunij, & in fine mensis Septembris prox. fut. totius eius, quod habere debebunt pro dicto censu à Kalendis mensis Iulij prox. fut. vsque per totum mensem Septembris, & sic successiuè in futurum obseruetur, & fiat ordinariè singulis tribus mensibus in fine cuiuslibet tertij mensis singula singulis congruè referendo.

Item, quod solutiones dicti census fiant de intratis datij Gabellæ salis Communis prædicti hoc modo vlz. Quod pro præsenti anno MCCCLXXXXVIII. Rationatores Communis prædicti, iuxta debitum factum per eos Conductori dicti datij pro incantu datij ipsius dicti præsentis anni, ex opposito debiti ipsius faciant creditorem dictum Conductorem de omni, & toto eo, quod facto calculo per dictos Electos capit census omnium denariorum vtsupra mutuatorum pro toto dicto præsenti anno, iuxta mandatum ipsorum Electorum in scriptis dandum ipsis Rationatoribus subscriptum manibus saltem duorum ex ipsis Electis, & per consequens ipse Conductor per ipsos Electos fiat debitor in vno alio libro per eos compillando, ista de causa, de tota ipsa quantitate de qua factus erit creditor vtsupra per portatas in dictis libris sibi inuicem paritèr correspondentes, & sic dictus Conductor dare, & numerare teneatur, & debeat infrascripto Campsori primo, & principalitèr, ac præfixè ante diem vigesimam mensis Aprilis proximè futuri pro sexta æqua parte census prædicti totius dicti anni, & ante diem vigesimam mensis Madij proximè futuri pro alia sexta æqua parte, & ante diem vigesimam mensis Iunij proximè futuri pro alia sexta æqua parte, & à dicto mense Iunij in antea vsque ad finem dicti præsentis anni singulo mense ante diem vigesimam cuiuslibet mensis duodecimam, & æquam partem pro rata cuiuslibet mensis de tota quantitate dicti eius debiti, vsque ad plenariam, & integram satisfactionem debiti ipsius pro toto ipso præsenti anno. In nouis autem incantibus in futurum singulo anno fiendis post deliberationem incantus datij gabellæ salis prædicti cuiuslibet, anni facto debito per Rationatores prædictos Conductori ipsius datij de toto incantu prædicto totius anni ipsius iuxta solitum, statìm ex opposito ipsius debiti, faciant ipsi Rationatores creditum dicto Conductori de omni, & toto eo, quod capiet census ipsorum mutuorum anni

ipsius

ipsius secundum, quod in scriptis mandabunt Electi antedicti, seruatis modis scripturarum debiti, & crediti, ac alijs omnibus prout supra exprimitur, & tunc idem Conductor teneatur, & debeat respondere Campsori iam dicto prefixè ante diem vigesimam cuiuslibet mensis partem æquè duodecimam totius eius debiti prædicti dicti anni vsque ad finem cuiuslibet anni, & plenariam satisfactionem debiti prædicti vt supra, de quibus omnibus solutionibus & receptionibus dicti Electi faciant confessiones debitas Conductori prædicto, in quibus exprimant librum, & folia vbi, & in quibus facient debitorem dictum Campsorem, & creditorem eundem Conductorem signandas saltem per vnum ex ipsis Electis, & Campsorem prædictum, & ita sit, & esse intelligatur dictus conductor semper, & omni tempore liberè, & absolutus à debito prædicto, nec debiti ipsius occasione possit aliqua ratione, iure, vel causa, aut prætextu aliquo prouocari, impediri, vel molestari, tam nomine Communis ipsius, quàm quouis alio nomine. Casu verò quo dictus Conductor pro toto, vel eius parte debiti cessaret, vel tardaret solutiones prædictas possint prædicti Electi, & eis liceat nunc, & in futurum conuenire, & realitèr, ac personalitèr arctare dictum Conductorem, & eius socios, participes, & fideiussores ad soluendum, & integralitèr satisfaciendum dicto Campsori quicquid debuerit pro præmissis, & ad hoc efficaciùs, & celeriùs exequendum teneantur quilibet Potestas, Potestates, Referendarij, & Offitiales omnes præstare brachium omnimodi Officij, cum auxilio, consilio, & fauore debitis, & opportunis ad omnem dictorum Electorum requisitionem, & exinde teneatur Campsor prædictus solutiones dicti census debitè, & integralitèr, ac incunctantèr facere quibuscunque creditoribus occasione ipsorum mutuorum secundum formam, & tenorem bulletarum fiendarum, & subscribendarum, vel signandarum, vt superiùs in suprascripto proximo capitulo est expressum.

Item, quod si, & quandocumque contingat de cætero aliqua impræstita de nouo fieri, quod dictus Conductor ad omnem requisitionem dictorum Electorum teneatur, vltra suprascriptam denariorum summam, de qua eidem factum erit debitum, & creditum, vt in præcedenti capitulo proximo fit mentio, exbursare, & numerare dicto Campsori omnem quantitatem denariorum, quam requirent dicto conductori pro solutione census impræstitorum ipsorum fienda, de quibus denariorum quantitatibus fiant debita, & credita, ac quæque alia seruentur, quæ, & prout in proximo præcedenti capitulo continetur.

Item, quod per idem Commune eligatur vnus sufficiens, & idoneus Campsor, qui receptionibus, & solutionibus præmissis debitè intendat secundum scripta, & bulletas ipsi Campsori fiendas per ipsos Electos iuxtà formam, & tenorem supranotatos, ac rationes ordinatè ponat, & ducat cum Communi prædicto in vno libro per se ab alijs rationibus separato, & de ipsis rationibus se intelligat, ipsasque concludat cum Electis suprascriptis, quodque pro ipsis rationibus talitèr conclusis arctari non possit, nec teneatur ad aliquam aliam vlterius rationem reddendam.

Item, quod si contingat aliquem creditorem impræstitorum suprascriptorum velle creditum suum titulo venditionis, vel alio quouis titulo in alium transferre, quod prædicti Electi vnanimitèr de tali creditore possint, & eis liceat atque debeant scripturam debitam facere, & creditum illud portare ad creditum illius personæ talitèr acquirentis secundum voluntatem dicti primi creditoris, dum tamen de tali alienatione, vel translatione constet per publicum

blicum Instrumentum, quod producatur in forma, & remaneat penes Electos prædictos per eos saluandum in Archiuijs dicti Officij, & tunc ipsi secundario creditori respondeatur de censu modo, & forma superius specificatis, & habeatur loco suprascripti primi creditoris, & ex hoc non intelligatur quicquam solui debere pro datio Instrumentorum.

Item, quod officium dictorum Electorum, atque Campsoris sit firmum, & stabilem maneat eorum vita durante, & ab eo moueri non possint, nisi ex speciali causa alicuius notabilis defectus, quibus Electis, & Campsori taxetur salarium competens soluendum de intratis ordinarijs Communis prædicti, de quo salario contenti, & taciti esse, & stare debeant, absque quod vlterius aliquid quaque de causa percipere possint, nec debeant occasione dicti officij, sub pœna priuationis officij prædicti.

Item, quod de libris papyro, cera, incaustro, & alijs necessarijs pro dicto officio exercendo dictis Electis, & Campsori prouideatur expensis ipsius Communis secundum, quod prouident alijs officijs prænominati Communis.

Quod qualiæ non capiantur cum quaquarolis, & cantatricibus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Nuper ediximus obuiare intendentes ne venationes à qualeis deuastentur, & ordinauimus quoddam decretum nostrum, cuius copiam vobis mittimus his inclusam. Volentes, & mandantes, quatenùs decretum ipsum in iurisdictione vobis commissa faciatis, visis præsentibus, publicè diuulgari, & inuiolabilitèr, prout iacet ad litteram, obseruari, Magistris Intratarum Extraordinariarum nostrarum de receptione præsentium rescribendo subsequentèr. Datum Papiæ die octauo Maij MCCCLXXXXVIII. Petrus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti inclusi talis est.

DVX Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Sentientes, quod super territorio dominij nostri per nonnullos cum quaquarolis, & cantatricibus qualeæ capiuntur, & venationes qualearum pro inde multiplicitèr deuastantur, quod molestum habemus non modicum, præsentis nostri decreti tenore edicimus, volumus, & iubemus, quod nulla persona cuiusuis conditionis, gradus, & status existat, audeat, vel præsumat ire ad capiendum, seu aucupandum, nec capi, vel aucupari facere in aliqua parte territorij nostri ad aliquas qualeas, siue qualemos cum aliquibus quaquarolis, siue cantatricibus, sub pœna cuilibet contrafacienti totiens quotiens contrafecerit, tàm si ceperit, quàm si non ceperit floren. sex, quàm pœnam peruenire volumus pro tertia parte ad Cameram nostram, pro alia verò tertia parte in accusatorem, seu accusatores, & pro reliqua tertia parte Rectori, seu quorum iurisdictioni talia committentur, & per quos talium delinquentium condemnationes fieri contingent, & exigentur. Decernimus quoque, & iubemus, quod quilibet accusare possit tales contrafacientes, & circa id cuilibet accusatori cum eius sacramento, & vno teste adhibeatur plena fides, volumus etiam, quod quilibet accusator possit, & debeat accusas, seu denuncias facere coràm Rectore super cuius iurisdictione reperti fuerint delinquentes infra tertiam diem à die inuentionis factæ computandā. Qui quidem Rectores teneantur, & debeant contra huiusmodi delinquentes procedere, & ipsos

iuxta formam præsentis nostri decreti condemnare, & condemnationes ad Cameram nostram infrà quindecim dies proximè futuros destinare, ac eas exigere subsequentèr, & exactas Thesaurario ipsarum caziarum transmittere infra terminum antedictum, sub pœna salarij vnius mensis sibi irremissibilitèr auferenda. Non intendentes, quod ex præsenti nostro decreto alijs ordinibus caziarum nostrarum in aliquo derogetur. In quorum &c.

Quod studium Papiæ fiat in Placentia.

DVX Mediolani &c. Papiæ, & Virtutum Comes. Certis moti respectibus ordinauimus, quod studium nostrum Papiensem ad Ciuitatem nostram Placentiæ se transferat indilatè: idcirco volumus, quod statim per Ciuitatem nostram Mediolani publicè in locis consuetis proclamari facias, quod omnes Doctores in studio nostro Papien. prædicto legere soliti ad ipsam nostram Ciuitatem Placentiæ, se absque mora, transferant; Scolares verò iuribus audire, & studere consueti, necnon, qui de nouo ad studium generale ire volunt ad præfatum nostrum studium Placentiæ se conferant. Præterea etiam per ipsam Ciuitatem proclamationes fieri faciatis, quod non sit aliqua persona nobis subdita cuiusuis status, gradus, & conditionis existat, quæ audeat, vel præsumat ad aliquod studium generale extra nostrum territorium ire, sed vbi audire disposuerint, & studere in studio generali ad memoratum nostrum studium Placentiæ se transferant, sub pœna cuilibet contrafacienti haueris, & personæ, iuxta decreti nostri aliàs super hoc conditi formam, & tenorem, quod de nouo confirmantes per hatum seriem inuiolabilitèr obseruati iubemus, de receptione præsentium, & prout feceritis nobis vestris litteris intimando. Dat. Melegnani die xxviij. Octobris MCCCLXXXXVIII. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Quod nullus se transferat durante Epidimia ad aliquas Terras ad quas contingat Dominum esse sine licentia, & si quis voluerit querelare habeat recursum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Volumus, quod decretum præsentibus introclusum statim per illam nostram Ciuitatem, & loca consueta, necnon per omnes Terras, & loca dicti nostri Ducatus facias publicè diuulgari, & proclamari per modum, quod ad notitiam quorumcumq; possit verisimilitèr peruenire. Dat. Cusagi die decimoseptimo Nouembris MCCCLXXXXVIII., septima Indictione. Petrus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis sequitur.

IOannes Galeaz Dux Mediolani, Papiæ, ac Virtutum Comes. Volentes de salubri remedio posteriùs prouidere, vt ex tabe pestifera contagionis loca, & personæ locorum, in quibus nos esse contingat inficiantur, quod Deus auertat, decernimus, & ex certa scientia mandamus, quatenùs, durante Epidimia præsentialitèr vigente, nulla persona cuiuscumque status, conditionis, & gradus, seu alia quæuis audeat, nec præsumat venire, nec se transferre equester, nec pedester, seu alio quouis modo ad loca, terras, villas, seu partes, in quibus nos esse continget sine nostri licentia speciali; contrafacients verò prædictis,

prædictis, seu alicui prædictorum statim carceribus mancipetur, in eisque includatur, quibus inclusus, & detentus teneatur, vsque ad annum vnum, & diem, & vltra arbitrio nostro puniatur. A prædictis autem exceptamus, & exceptatos esse volumus Consiliū nostrū Secretū, & Consilium nostrū Iustitiæ, familiaresque eorum, Magistris Intratarum nostrarum, & familiares de Curia nostra. Decernentes tamen, quod omnes exteri, qui pro negotijs suis, siue nostris aliquid agere haberent, possint habere recursum ad Consilium nostrum Secretum, per quod, prout casus exigerit, prouidebitur, siue debita nobis notitia fiet.

Item, quod si qua persona voluerit de iniuria, siue violentia euidenti, seu manifesta sibi illata querelare, habeat, & habere debeat recursum ad Dñum Episcopum Nouariensem, & ad Consilium nostrum Secretum prædictum, & ad loca, in quibus continget ipsum nostrum Consilium residentiam facere, per quod Consilium nostrum, audita, & examinata, cuiuslibet prouidetur prout conueniet, nobisque id, quod superinde prouisum, prouidendumque erit referretur. Cæteri verò Subditi nostri pro alijs casibus ipsis imminentibus recursum habeant ad Consilium nostrum Iustitiæ residens in Placentia. Hoc autem edictum nostrum volumus, ac mandamus inuiolabilitèr obseruari, sub pœnis prædictis, ipsumque proclamari, & diuulgari per omnes Terras, Villas, Ciuitates, vel loca Ducatus Dominij nostri in locis publicis, & consuetis talitèr, quod ad quorumcumque notitiam valeat verisimilitèr peruenire. Dat. Cusagi die xvij. Nouembris.

Quod nullus debeat euaginare gladium in præsentia Domini.

DVX Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Volumus, quod decretum præsentibus introclusum statim per Ciuitatem nostram Mediolani, & loca consueta, necnon per omnes Terras, & loca dicti nostri Ducatus facias publicè diuulgari, & proclamari per modum, quod ad notitiam quorumcumque possit verisimilitèr peruenire. Dat. Cusagi die primo Decembris MCCCLXXXXVIII., septima Indictione. Petrus signauit. A tergo Egregio Militi Domino Potestati nostro Mediolani.

Tenor introclusi decreti talis sequitur.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes, Volentes malitijs hominū obuiare, & considerantes, quod parum sperandū fore de tutela aliorum locorum si in locis, in quibus nos esse contingat de omnimoda tutela, indubitataque personarum salute prouisum fore non reperiatur. Idcircò ex certa scientia euidentissimis earum cogitationibus intercedentibus, sancimus, edicimus, & decernimus, quod nulla persona cuiuscumque status, conditionis, & gradus, aliauè quæuis audeat, nec præsumat euaginare spatam, gladium, seu dagam, nec aliud arma, nec insultum cum lancia granalina, nec cum aliquibus alijs armis facere, causam offensam inferendi contra aliquam personam vbi nos esse continget, siue in fortalitio, siue extra fortalitium, seu alibi esse reperiamur, sub pœna amputationis manus, qua pœna irremissibilitèr, ipsoque iure puniatur contrafaciens prædictis, vel alicui prædictorum, etiam si delictum non fuerit confirmatum, & prædicta locum habeant si sanguis effusio secuta obinde non fuerit, si autem obinde sanguis effusio interuenerit, vel subsecuta fuerit, pœna capitis irremissibilitèr puniatur

tur contrafaciens vt supra, bonaque contrafaciens vt supra Cameræ nostræ confiscata esse intelligantur. Prædictum enim decretum nostrum volumus inseri in volumine aliorum decretorum nostrorum. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Cusagi die xvij. Decembris. MCCCLXXXXVIII.

Quod condemnati ad Syndicandum non habeant officium, nisi &c.

DVX Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Conditum per nos decretum contra Officiales nostros, quos condemnari contingat ex aliqua violentia, extorsione, barataria &c. mittimus vobis præsentibus introclusum. Volentes, quod illud voce præconia per Ciuitatem nostram Mediolani, in locis consuetis publicari faciatis; & subsequentèr in volumine Decretorum nostrorum, ac Statutorum ipsius Communis nostri Mediolani ad perpetuam rei memoriam prout iacet ad litteram inseri paritèr, & describi de receptione præsentium, & prout feceritis nobis vestris litteris intimando. Dat. Papiæ die xiiij. Februarij MCCCLXXXXVIIII. Antoniolus. A tergo Egregio Militi Potestati nostro Mediolani.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Papiæ, ac Virtutum Comes. Attendentes, quod nihil sanctiùs est in Superiore regente, quàm modum, & ordinem apponere, vt Collaterales, Syndicatores, Potestates, Vicarij, Capitanei, Rectores, Exactores, Administratores, & cuiuscumque generis, & maneriei Officiales à suo superiore, seu eius auctoritate constituti gubernacula suæ administrationis rectè, iustè, & absque illiciti macula gerant; ea propter ad refrenandum multorum violentias, extorsiones, facinora, & alia illicita, qui abruptis debitè fidelitatis iustitiæ, obedientiæ, ac Virtutum habenis gubernacula administrationis per nos, & etiam auctoritate nostra eis attributa non rectè, seu non iustè gerunt præsenti nostro decreto, motu proprio, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis nutu diuino à Cæsarea dignitate nobis concessæ edicimus, ordinamus, statuimus, & decernimus, & pro lege nostra generali in nostro vniuerso Dominio præsenti, & futuro inuiolabilitèr obseruari volumus: Quod si de cætero contingat aliquem Collateralem, Syndicatorem, Potestatem, Vicarium, Capitaneum, Exactorem, Administratorem, Rectorem, & cuiuscumque generis, & maneriei Officialem condemnari ex aliqua violentia, extorsione, barataria, seu quocumque illicitò commisso, ratione alicuius administrationis ex prædictis officijs vt supra, forti dumtaxat excepto officio, & negligentia per quemcumque nostrum; seu auctoritate nostra in prædictis Iusdicentem condemnari non possit ad aliquod officium, gubernationem; vel administrationem alicuius regiminis constitui, vel aspirare, nisi per speciales nostras litteras à nobis signatas, & in quibus expressè, specialitèr, & specificè causa, & causæ dictæ suæ condemnationis exprimantur, & nobis recitentur, quam, & quas per condemnationem sub pœna eius officij priuationis exprimi volumus, & si quis ad aliquid ex prædictis aspirauerit, prædictis non seruatis, omnia eius bona Cameræ nostræ applicentur, & ex nunc, prout ex tunc applicata esse intelligantur, & si bona prædicta sic applicata non ascendant ad quantitatem floren. centum, quod quilibet ex prædictis condemnatis vt supra recludantur in carceribus non relaxan. ante annum, quæ omnia, & singula prædicta obseruari volumus, & mandamus per vniuersum nostrum Dominium, non obstantibus aliquibus legibus, statutis, prouisionibus, decretis, & ordinamentis etiam specialem, &

derogatoriam

derogatoriam clausulam habentibus huic nostro decreto, seu alicui parti huius obuiantibus quoquo modo, quibus in hac parte, quantum obuient expressum, & ex certa scientia motu proprio, de nostraque potestatis plenitudine à Cæsarea dignitate, Diuino nutu vtsupra, tributæ derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus hoc inseri in volumine Decretorum &c. In quorum testimonium præsens nostrum Decretum fieri iussimus, & registrari. Dat. Papiæ die quartodecimo Februarij Millesimo trecentesimo nonagesimo nono, septima Indictione.

Quod decretum conditum super bonis certorum malefactorum publicandis habeat locum in quolibet maleficio.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæ, Virtutumque Comes, ac Dominus Pisarum. Quoddam decretum per nos nuper ordinatum super facto bonorum bannitorum nostræ Cameræ confiscandorum mittimus tibi præsentibus inclusum, volentes, quod illud in locis consuetis iurisdictionis per nos tibi commissæ publicè diuulgari facias, ac in volumine aliorum Statutorũ, Decretorum, & Ordinamentorum nostrorum, & Communis nostri Mediolani inseri, & describi, sic quod ad notitiam quorumcumque peruenire possit pro obseruatione eiusdem. Datum Papiæ die decimonono Iulij MCCCLXXXXVIIII. Antonius signauit. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur Egregio Militi Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis est.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum Dominus. Aliàs nostro generali decreto mandasse recolimus, quod omnia bona Bannitorum, in certis casibus in ipso nostro decreto seriosiùs comprehensis, à die commissi criminis, ipso iure, nostræ Cameræ confiscata essent, & intelligentur, mandamus, quod circa apprehensionem, & incorporationem ipsorum bonorum taliter confiscatorum, necnon circa satisfactionem quorumcumque in ipsis bonis nostræ Cameræ, vt præfertur, confiscatis aliqua iura meliora, vel potiora, quàm Camera nostra habere prætendentium certam solennitatem seruari debere, prout ex tenore dicti nostri decreti dignoscitur contineri. Verùm quia dispositio decreti præfati, & solennitatis, de quibus in eo mentio habetur loqui videntur solummodo in casibus in antedicto nostro decreto expressatis, & occurrat multotiens pro nonnullis alijs casibus, & delictis bona malefactorum, & delinquentium nostræ Cameræ, tàm iuris, quàm Statutorum, vel aliorum mandatorum nostrorum dispositione applicari, & confiscari, ad quos casus fortè dici posset decretum ipsum, & disposita in eo se extendere non posse, vt omnis tollatur dubietas, tenore præsentium declaramus, ac de nostræ plenitudine potestatis decernimus, & mandamus, quatenùs id quod per formam dicti nostri Decreti statutum, & ordinatum est in casibus in antedicto nostro decreto comprehensis, tàm circa incorporationem bonorum confiscatorum, quàm circa quascumque alias solennitates cridarum comparitionum sacramentorum, ac in solutum dationum, siue assignationum, de quibus ipsum nostrum decretum loquitur, & disponit, se de cætero extendat, & extendere debeat, ac locum habere, & obseruari in quibuscumque alijs casibus, in quibus aliquo iure, Statuto, Decreto, vel Ordinamento, siue mandato nostro bona aliqua malefactorum, quorumcunq; nostræ

nostræ Cameræ applicata essent, & quæ applicarentur, seu applicari quouis modo continget. Volentes insuper, & mandantes, quatenus ista nostra intentio pro lege, & decreto nostro de cætero obseruetur, ac in volumine Statutorum, & ordinamentorum nostrorum, & Communis nostri Mediolani inseri, & registrari ad perpetuam rei memoriam debeat. Dat. Papiæ die xviiij. Iulij MCCCLXXXXVIIII., Septima Indictione.

De pœna corrumpentis cognoscendo carnaliter Religiosas.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum Dñs. Decretũ quod modo nuper ordinamus, & in vniuerso nostro Dominio practicari, & seruari debere volumus, si & quando casus exigerit vobis mittimus per copiam præsentibus introclusam. Mandantes vobis, quatenus illud statim in locis consuetis per iurisdictionem per nos vobis commissam publicè proclamari faciatis, vt clarius innotescat, & illud idem dumtaxat effectualiter, faciatisque ipsum in volumine aliorum Decretorum, & Ordinamentorum nostrorum, & Communis nostri Mediolani registrari. Dat. Papiæ die vigesimo Septembris MCCCLXXXXVIIII. Rescribendo nobis de præsentium receptione. Antoniolus signauit. A tergo Egregio Militi Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis est.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum Dominus. Quoniam nobis in Terris vbi Ducalis nostræ Dominationis gerimus Principatum commissum celesti dispositione cognouimus, vt cura tuendæ, ampliandæque Reipublicæ multimodam curam, apertas delinquentium culpas, & maleficia quantum possumus ex Iustitiæ debito puniamus, & quo nostrorum facinorum Subditorum in proximos grauiora, nedum in Deum ob Christi præcipuè notam iniuriam inferuntur, qui dedicatas eis personas propriè spiritualiter sibi coniungit in copulã, eò magis si quando sic fallitur incitemur ad executionem brachium Iustitiæ talia contra demerita. Igitur ad compescendum fortiùs carnalium motus illicitos, ac procaces lasciuorum gestus, quibus boni mores persæpè corrumpuntur, & ne (sicuti displicenter aliquando nostras peruenit ad aures) immoderati homines, ita faciliter suggerente maligno, prorumpant ad turpia, sed vt metu pœnæ grauioris terreantur, & arceantur pariter ab actibus detestandis: Tenore præsentium, & ex certa scientia decernimus, volumus, & mandamus, ac pro lege, & decreto nostro sancimus, quod si quis cuiusuis conditionis, status, dignitatis, aut gradus extiterit in Ciuitate aliqua, vel Terris nostris, seu in aliquali loco, aut territorio nostro in Monasterio aliquo Monialem aliquam, aut aliam Religiosam professam, vel etiam Monasterium incedentem in habitu corruperit, ipsam cognoscendo carnaliter, quod propter huiusmodi crimen capite puniatur. Mandantes Potestatibus, Vicarijs, Capitaneis, Rectoribus, & Iusdicentibus quibuscumque nostris ad quos spectat, quibus hæ fuerint præsentatæ, quatenus in locis consuetis statim voce præconia hoc nostrum decretum faciant diuulgari, & illud casibus in præmissis dumtaxat exequantur, & obseruent, ac exequi faciant, & inuiolabiliter obseruari, atque in actis publicis registrari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari. Dat. Papiæ die quarto Augusti MCCCLXXXXVIIII., septima Indictione. Antoniolus signauit.

Quod

Quod nullus praestet auxilium committentibus contra Statum Domini.

DVX Mediolani &c. Papiae, Angleriae, Virtutumque Comes, ac Pisarum, & Senarum Dñs. Pro euidenti repressione, & debita punitione eorum, qui committentibus cõtra Statum, & Honorem nostrum praebent auxilium, consilium, vel fauorem, ordinari fecimus decretum nostrum tenoris inclusi. Volentes, quod decretum ipsum in iurisdictione vestra faciatis publicè diuulgari, ipsamque in volumine aliorum decretorum nostrorum inseri, ac describi, & de caetero inuiolabilitèr obseruari. Dat. Papiae die secundo Octobris MCCCLXXXXVIIII. Thomas signauit. A tergo Egregio Militi Potestati nostro Mediolani.

Tenor decreti talis est.

DVX Mediolani &c. Papiae, Angleriae, Virtutumque Comes, ac Pisarum, & Senarum Dominus. Quia ij, qui contra Statum, & Honorem Principis quouis modo agere moliuntur in medio suorum conatuum, plerumque deficiunt si ad prosequendum, ac perficiendum, quod praua mente concipiunt desuit, qui eisdem auxilia, & consilia praebeant, seu fauores, Ideò vt quibusque malè dispositis auferatur materia delinquendi, praesenti edicto, & decreto nostro, quod pro lege in omnibus Ciuitatibus, & Terris nostris haberi volumus, & seruari, edicimus, decernimus, & mandamus, quod si quis committenti contra formam, & honorem nostrum scienter, & dolose praestiterit actualiter auxilium, consilium, vel fauorem, ipso facto incidat, & incidisse intelligatur in illam poenam in quam inciderent contra Statum, & Honorem nostrum committentes, ipsisque poenis subijciatur, & condemnetur, quibus subijci, & condemnari debet ille, qui dedisset auxilium, consilium, vel fauorem. Mandantes vniuersis, & singulis Officialibus nostris, ac Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, ad quos spectat praesentibus, & futuris, quatenus praesens decretum nostrum in iurisdictione eis cõmissa publicari faciant, ipsumque firmiter obseruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari. Dat. Papiae die secundo Octobris MCCCLXXXXVIIII.

Additio facta decreto facto contra Officiales committentes Baratarias, & delinquentes in eorum officijs.

DVX Mediolani &c. Papiae, Virtutumque Comes, Pisarum, & Senarum Dominus. Additionem, quam fieri fecimus decreto nostro disponenti contra Officiales nostros Baratarias committentes &c. Vobis dirigimus praesentibus introclusam, volentes, quod huiusmodi additionem addi faciatis in fine praedicti nostri decreti, & voce praeconia diuulgari per loca consueta, illamque pro ñde inseri, & describi in volumine Statutorum, & Decretorum illius nostrae Ciuitatis ad perpetuam rei memoriam. Dat. Papiae die xxj. Ianuarij MCCCC. Antonius signauit. A tergo quatuor sigillatarum sigillo praefati Domini continetur. Egregio Militi Potestati nostro Mediolani.

Tenor additionis introclusae talis est.

POrrò, quia intelleximus nonnullos Rectores, Potestates, & Officiales nostros, & aliquos de eorum familijs, postquam sentiunt se fefellisse contra formam dicti decreti, & proinde Syndicari debere soluunt poenam condemnationis,

tionis, in quam se incurrisse cernunt, & faciunt sibi fieri bulletinos de solutione prædicta, & similitèr de absolutione, ad finem, quod effugiant pœnam priuationis Officiorum nostrorum taxatam superiùs. Non intendimus, quod ex hoc sint exempti à dicta pœna, quinimmo non obstantibus prædictis solutionibus, & bulletinis acceptis, ac absolutionibus in eam incurrisse pœnam intelligantur eo ipso perindè ac si essent condemnati. Dat. Papiæ die xxj. Ianuarij MCCCC., Inditione octaua.

Quod Castroni non rasi non vendantur, nec conducantur in Territorio Domini.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, & Senarum Dominus. Cupientes, quod vsus, & commercium castronorum solùm strictorum, siue machatorum, & non rasorum de territorio nostro tollatur omninò, ordinari fecimus decretum inclusi tenoris. Volentes, quod decretum ipsum in iurisdictione vobis commissa faciatis publicè diuulgari, ita quod ad omnium habitantium, & conuersantium qualitercumque in ipsa iurisdictione possit peruenire notitiam, ne sit aliquis, qui in futurum eius ignorantiam valeat allegare, & vt ipsum decretum, quod de cætero pro lege teneri volumus, & seruari in promptu habeatur, mandamus vobis, & successoribus vestris quatenùs de sex mensibus in sex menses prædictum decretum publicari faciatis. Rescribentes nobis, & Magistris, Siscalchis Curiæ nostræ de receptione præsentium, & de executionibus, quæ de cætero fient in præmissis. Dat. Papiæ die secundo Februarij MCCCC. Thomas. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur. Egregio Militi Potestatj nostro Mediolani.

Tenor decreti talis est.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, & Senarum Dominus. Certis euidentibus respectibus moti, disposuimus, quod in vniuerso territorio nostro penitùs tollatur commercium, & vsus castronorum solùm strictorum, siue machatorum in testiculis, & non bene rasorum, seu totalitèr præcisorum; quapropter præsente nostro decreto edicimus, decernimus, & mandamus, quod nulla persona, societas, vel Collegium cuiuscumque gradus, & conditionis existat, audeat, vel præsumat conducere, tenere, vendere, alienare, emere, vel aliquo alio titulo distrahere, aut conduci, teneri, vendi, alienari, emi, vel alio titulo distrahi facere in vniuerso territorio nostro; seu in aliqua eius parte aliquos castronos cum testiculis solùm strictis, vel machatis, & non rasis, vel præcisis, sub pœna cuilibet contrafacienti floren. duorum pro quolibet castrono solùm stricto, vel machato, & non bene raso, vel præciso, & vlteriùs ipsius castroni amissionis, quæ pœna pro tertia parte Cameræ nostræ, pro altera tertia parte accusatoribus, seu denuntiatoribus, & pro alia tertia parte executoribus applicetur, præterea, ne, sub prætextu agnorum grossorum, seu arietum circa hanc dispositionem nostram, possit fraus vlla commiteti, decernimus, & mandamus, quod nulla persona, societas, Vniuersitas, vel Collegium cuiuscumq; gradus, & conditionis existat, audeat, vel præsumat in vlla parte territorij nostri alere, tenere, conducere, vendere, emere, vel alio titulo alienare aliquos agnos masculos, nisi sint lactantes, & adhuc ab vberibus lac suggentes, nisi illos in illa quantitate tantùm, quæ sufficiat ad producendum, & conseruandum

sobolem, & stirpem ipsorum agnorum, castronorum, pecudum, & arietum, sub pœna prædicta pro quolibet agno reperto non lactente, & ariete vltra quam sufficiat, vt præfertur, qua quidem pœna applicetur, vt superiùs declaratur. Et vt ad præmissa seruanda quisque sit cautior, volumus, quod quilibet Officialis noster sapè, & sapiùs inquiri faciat per iurisdictionem sibi commissam si sint aliqui contrafacientes in præmissis, & contrafacientes puniat pœna superiùs limitata. Mandantes quibuscumque Vicarijs, & Syndicatoribus nostris, quatenùs tempore Syndicatuum inquirant contra quoscumque Potestates, Vicarios, Capitaneos districtuum, siue Deuetuum, & Officiales victualium si fuerint diligentes, vel negligentes in prædictis, & repertos negligentes puniant secundum quod inspecta negligentia, viderint conuenire. In quorum testimonium &c. Dat. Papiæ die secunda Februarij MCCCC., octaua Indictione. Thomas.

De pœna petentis indebitè aliquid à Camera Domini, & de pœna retinentium penès se de pecunijs, & rebus Domini, siue alterius Communitatis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes. ac Pisarum, & Senarum Dominus. Decreta duo, quæ condi fecimus, vnum scilicet contra indebitè petentes à nobis, & Camera nostra, alterum verò contra Thesaurarios, & Officiales nostros, nostrarumque Ciuitarum, & Terrarum, ac quaslibet personas retinentes penès se de pecunijs, & rebus nostris &c. mittimus vobis præsentibus inclusa. Volentes, quod ipsis, voce præconia diuulgatis, per Ciuitatem nostram Mediolani, & alia loca consueta iurisdictionis vestræ faciatis obseruari, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum prout iacent ad litteram ad perpetuam rei memoriam inferi pariter, & registrari, de harum receptione nobis indilatè scribendo. Dat. Papiæ die nono Februarij MCCCC. Thomas signauit. A ter. Egregio Militi Potestati nostro Mediol.

Tenor primi decreti dictis litteris inclusi.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, & Senarum Dominus. Cognoscentes, quod licet importunitatis plùs debito petentium vtroque iure, viz., tàm canonico, quàm ciuili sit improbata, tamen nonnulli, Deum postergantes, & auaritiam eidem, tamquam ipsa cecati, proponentes à nobis, & à Camera nostra indebitum percusis, vel plùs debito pecunie, & etiam bona, quæ per nos, vel Cameram nostram vel nostro, vel Cameræ nostræ nomine tenentur, & possidentur, vel quasi, eis restitui, vel relaxari, asserentes ea sibi pertinere tamquam Domini, vel quasi, vel eis obligata pro aliqua quantitate, vel pro aliquo credito, licet in aliquo non sint creditores, vel sint de minori quantitate, vel non sint eis aliqualitèr obligata, vel sint eis obligata, sed non pro tanto credito, & malos ab illicitis sapè abstinere formidine pœnæ, & ad nos spectare subditos nostros, & alios in territorio nostro errantes ab illicitis compescere; propterea per præsens nostrum decretum edicimus, decernimus, & mandamus, quod quælibet persona cuiusuis conditionis, & status existat, qui de cætero aliquid à nobis, vel à Camera nostra petierit, vel requisiuerit, asserendo nos, vel Cameram nostram eius esse debitores, vel aliquid de bonis, quæ tenentur, & possidentur, vel quasi, vel in futurum tenebuntur, & possidebuntur, vel quasi, per nos, vel Cameram nostram sibi restitui, vel relaxari, vel hy-

potbecata esse, teneatur, & debeat in primo actu quem faciet post ipsam petitionem, vel requisitionem ipsius petitionis occasione iurare ad Sancta Dei Euangelia, manibus corporaliter tactis scripturis, coram illo, qui super contentis in ipsa petitione, vel requisitione debebit cognoscere, quod prædictam petitionem, vel requisitionem malitiosè, nec animo calumniandi, nec in fraudem non fecit, nec facit, & iura, quorum vigore consequi vult contenta in sua petitione sunt bona, & vera, & non fictitia, nec simulata, & vltra prædicta, si in dicta petitione, vel requisitione asseruerit se creditorem, vel bona aliqua sibi ex prædictis bonis fore obligata pro aliquo credito iurare teneatur se esse verum creditorem eius de quo prætendit se creditorem, & si postea reperta fuerit in aliquo falsum iurasse, cadat ipso iure in pœnā quadrupli eius, vel valoris eius in quo reperiretur falsum iurasse, quæ falsitas possit dirigi etiam per libros ipsius iurantis, ad quos exhibendos cogi possit per omnia iuris remedia per quemcumque Iusdicentem, si, secundum dispositionem iuris, verisimile erit, ipsum iurantem libros habere, in quibus scripta esse debeat ratio illius crediti, de quo agitur, & si recusauerit, vel neglexerit illos exhibere, habeatur pro confesso ipso iure, quod falsum iurauerit totaliter, & si non iurauerit vt supra, ipso iure succumbat in dicta sua petitione, vel requisitione, & super contentis in ea intelligatur esse, & sit ei perpetuum silentium impositum, ita quod super eis vnquam possit audiri, & cadat in pœnam dupli eius, vel valoris eius, quod requisiuerit, vel petierit, & prædicta, quo ad pœnas prædictas, volumus habere locum in illis personis, quæ verisimiliter habuerint iustam causam credendi contenta in sua requisitione esse vera tempore quo sic iurabunt, vt præfertur, vel iurari debebunt, & quod præsens nostrum decretum volumus pro lege inuiolabiliter obseruari, & in volumine aliorum Decretorum inseri ad perpetuam rei memoriam. In quorum testimonium præsens nostrū decretum fieri iussimus, & registrari. Dat. Papiæ die nono Februarij MCCCC., octaua Indictione.

Tenor secundi decreti in antescriptis litteris inclusi.

IOannes Galeaz Dux Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, & Senarum Dominus. Recolentes aliàs condidisse Decretum disponentem, quod omnes, & singuli Thesaurarij, & Officiales nostri, nostrorumque Ciuitatum, & Terrarum quibusvis officijs, ministerijs, & negotiationibus deputati teneantur, & debeant infra quintam diem à die qua ipsas recipere contingent aliquas pecunias nostras, siue nobis, & Cameræ nostræ, vel Communitatibus nostris computandam super eorum officij libris pecunias profiteri, & de ipsis pecunijs se constituere debitores Cameræ nostræ, siue dictarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, quarum nomine reciperent, diem receptionis, & causam, & in quibus dictæ pecuniæ processerint declarando, & hoc sub pœna quadrupli, in quo quadruplo computaretur pecunia recepta, & nos ad ipsum decretum condendum motos fuisse, vt dicti Thesaurarij, & Officiales pecunias iam dictas, seu earum vsum non incorporent, nec in eorum vtilitatem conuerterent, & detrimentum, & iacturam Cameræ nostra, & dictæ Communitates non supportarent contra iuris debitum. Et animaduertentes per ipsum nostrum decretum non fore prouisum contra alios, qui non sunt tales Thesaurarij, vel Officiales, sed tantùm intercipientes vsum pecuniarum Cameræ nostræ, vel etiam alicuius dictarum Communitatum, & in eorum vtilitatem conuertentes,

tentes, nec etiã contra intercipientes alias res, quàm pecunias dictæ Cameræ, vel alicuius ex dictis Communitatibus, & ex facti experientia, cognouerimus pro præterito tempore nonnullos tales intercipientes, & conuertentes fuisse, & ex hoc magnam iacturam successisse dictis Cameræ, & Communitatibus. Idcircò volentes talibus interceptionibus obuiare, & materiam eas faciendi auferre, supplentes dictum nostrum decretum edicimus, determinamus, & mandamus, quod nulla persona cuiusvis conditionis, & status existat audeat, nec præsumat capere, nec accipere indebitè pecuniam, vel aliquam aliam rem pertinentem, vel spectantem nobis, vel Cameræ nostræ, vel alicui ex dictis Communitatibus, nec sic iam accepta retinere, nec etiam licitè acceptam, vel accipiendam postquam accepta fuerit si restituenda erit nobis, vel dictæ Cameræ, vel alicui ex dictis Communitatibus retinere illatæ, & si qua persona contrafecerit prædictis, vel alicui prædictorum incurrat, & incidat pænam quadrupli vtsupra, & hoc ipso facto, & iure, & totiens quotiens contrafecerit prædictis, vel alicui prædictorum. Et prædicta volumus habere locum in illis personis, quæ pecuniam, vel aliam rem in qua mutuum cadit, mutuo accepissent, vel acceperent à nobis, vel à Camera prædicta, vel ab aliqua ex dictis Communitatibus respectu pecuniæ, vel rei de quâ si erunt debitores licet tempore debito non soluerint, vel non soluerint pecuniam, vel rem, de qua tenerentur occasione talis mutui dictæ Cameræ, vel alicui ex dictis Communitatibus, at etiam volumus illos, qui pecuniam, vel rem sic iam acceptam pertinentem vtsupra, infra quindecim dies à præsentatione præsentis decreti computandos restituerint Cameræ prædictæ, vel dictis Communitatibus sit restituendu pœnam prædictam euitare, & hoc præsens decretum nostrum volumus inuiolabiliter pro lege seruari, & in volumine aliorum decretorum nostrorum inseri. In quorum testimonium præsens nostrum Decretum fieri fecimus, & registrari. Dat. Papiæ die nono Februarij MCCCC. octaua Indictione.

Quod stipendiarij non vadant inferendo damna per territorium Domini.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, & Senarum Dominus. Propter continuas querelas, quas suscepimus occasione stipendiariorum, & aliorum armigerorum, qui transeuntes per territorium nostrum quotidiè subditis nostris offensiones, damna, & prædas inferunt, & inferre moliuntur, fecimus decretum ad obuiandum prædictis, & prouidendum ne talia damna prædictis nostris Subditis inferantur, quod aliqui stipendiarij equestres, vel pedestres existentes ad stipendia præfati Domini, nec aliquæ aliæ gentes armigeræ cum stipendio, vel sine, cuiuscumque conditionis existant, non audeant, nec præsumant ire per territorium præfati Domini absque litteris præfati Domini sine licentijs suorum Officialium ad quos spectaret tales licentias concedere, alitèr stipendiarij prædicti, & aliæ gentes armigeræ vtsupra, quæ irent vtsupra, possint impunè capi, arrestari, derobari, & offendi per quoscumque Officiales, gentes, & Subditos præfati Domini, & prædicta vult fieri præfatus Dominus ad tollendum offensiones, & damna, quæ quotidiè inferuntur Subditis præfati Domini per stipendiarios, & gentes prædictas. Datum Papiæ die xxvij. Februarij MCCCC.

Pro

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumq; Comes, ac Pisarũ, Senarum, & Perusij Dominus. Vt malæ dispositionis auferatur materia, & occasio delinquendi, præsenti nostro decreto edicimus, decernimus, & mandamus, quod si quis præsentialitèr detentus, seu qui in futurum detineri, arrestari, aut carcerari contingat de mandato nostro, quod ab ore nostro procedat, siue per litteras nostras, dummodo causa talis detentionis, quæ per litteras nostras fietaliqualitèr spectent ad factum, seu Statum nostrum, & non respectet solum factum alicuius personæ singularis, à carceribus in quibus fuerit detentus de cætero fugam arripuerit, ipso facto pœnam incidat capitalem, eandemq; pœnam incurrat quicumque huiusmodi carceratis detentis ad arripiendum fugam auxilium dederit, & iuuamen. Datum Papiæ xxviij. Aprilis MCCCC.

Quod nullus recipere debeat aliquam inuestituram ab aliquo Religioso ad longius tempus nouem annorum. Et quod nullus habens exemptionem debeat receptare super suo debentes sustinere onera cum alio Communi. Et quod nullus vadat ad habitandum extra territorium Domini cum sua familia, & sunt tria decreta.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, Senarum, & Perusij Dominus. Tria decreta, quæ ordinari fecimus vnum super inuestituris non recipiendis de aliquibus rebus, & possessionibus alicui Ecclesiæ, seu loco Pio spectantibus, seu pertinentibus; aliud contra eos, qui recusant in locis debitis onera sustinere, & se transferunt ad loca immunia, vel exempta; & tertium contra eos, qui de territorio nostro se absentant tibi mittimus præsentibus introclusa. Volentes, quod decreta ipsa in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani, seu aliorum Decretorum nostrorum inseri facias, & describi, & in locis publicis, & consuetis prædictæ Ciuitatis nostræ, & Ducatus publicè diuulgari, ita quod ad omnium, & singulorum possint notitiam peruenire, & ea prout iacent de cætero inuiolabilitèr obseruari. Cæterùm, ne quis dictorum nostrorum Decretorum possit ignorantiam prætendere, volumus, quod prædicta decreta etiam ordinatè transmittas per omnes Terras Ducatus, & Diœc. dictæ Ciuitatis nostræ, quæ habeant merum, & mixtum imperium, seu alitèr non essent Iurisdictioni tuæ suppositas cum speciali mandato ex commissione nostra, quam præsentium tenore tibi facimus procedente, quod ipsa decreta debeant firmitèr obseruari. Auisesq; Dominum Archiepiscopum, & reliquos Prælatos, & Religiosos iurisdictionis tuæ ad huiusmodi nostri decreti dispositionem. Rescribendo nobis de præsentium receptione, & in quibus locis destinaueris prædicta decreta. Dat. Belzoiosij die vigesimo Maij MCCCCI. Thomas. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur. Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor Decretorum talis sequitur vlz.
primum decretum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, Senarum, & Perusij Dominus. Non solùm Dominorum, & Principum curæ incumbit, quantum fuerit possibile prouidere, ne in Subditorum bonis vlla in-

debita læsio fiat, & ne etiam multò magis Ecclesiarum substantiæ dissipentur, sine quibus non possunt Diuina Officia celebrari; nàm quantumcumque fuerit rerum temporalium magnitudo, si spiritualium cura negligetur, proxima fit ruinæ. Considerantes igitur modo perpetuæ, vel diutinæ inuestituræ sub honestatis, & vtilitatis spetie, plerumq; suis bonis Ecclesiasticis spoliari. Et volentes huiusmodi detrimentis Ecclesiarum obuiare ex animi nostri certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis hoc præsenti nostro decreto decernimus, & iubemus, quod persona aliqua cuiuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, aut dignitatis existat, non audeat, nec præsumat de cætero de nouo se inuestiri facere ab aliquo Archiepiscopo, Episcopo, Abbate, Priore, Ordine Ecclesiastico, Prælato, Rectore, Magistro, Ministro, Officiali Ecclesiastico, Benefitiali, Conuentu, Capitulo, vel Monasterio, nec ab aliqua Abbatissa, Priorissa, Ministra, Rectrice, vel Gubernatrice alicuius Ecclesiæ, Monasterij, vel loci Pij, vel Sacri, seu Ecclesiastici, nec ab eis, vel eorum aliquo nouam inuestituram accipere de aliqua possessione, vel re ad aliquam Ecclesiam, Monasterium, vel Pium locum Sacrum, vel Ecclesiasticum nostri territorij pertinente vltra nouem annos, & si quem de cætero nouam inuestituram ab aliquo prædictorum vtsupra, diuisim, vel coniunctim accipere contingat ad annos nouem de possessione, vel re ad Ecclesiam, Monasterium, Pium locum Sacrum, vel Ecclesiasticum pertinente vtsupra, completis primis nouem annis, se reinuestire facere, vel reinuestituram accipere non præsumat de illa eadem possessione, vel re directè, nec per indirectum, nec per interpositam personam, nec aliquo alio quæsito colore, nisi elapsis alijs nouem annis post finem primæ inuestituræ, sub pœna amissionis tanti quanti esset valor rei locatæ, quæ pœna applicetur Cameræ nostræ, saluo in omni casu iure melioramentorum, quæ in tali re per ipsum conductorem, vel eius nomine facta fuissent in consequendo ipsa melioramenta alitèr, quam per nouam inuestituram, si, & prout de iure sibi competit. Volumus tamen, & contenti sumus, quod alius dictam inuestituram accipere possit ad alios nouem annos, dummodo Ecclesiæ conditio non deterioretur grauitèr ex secunda inuestitura, attentis qualitate rei, & tempore, quo dicta inuestitura in dictum alium fiat. Quicquid autem contra huius nostri decreti tenorem, & dispositionem factum fuerit per prædictos irritum esse decernimus, & mandamus. Et vlteriùs quemlibet contrafacientem pœnam incurrere volumus prædictam nostræ Cameræ applicandam ipso iure, & facto totiens quotiens contrafecerit. Hortamur insuper Reuerendos Patres, DD. Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Ordines Ecclesiasticos, quoscumque Prælatos, & quascumque alias personas subditas nostro territorio, vt nullus, & nulla eorum, vel earum velit aliquem inuestire de aliqua possessione, vel re ad suam Ecclesiam pertinente vltra nouem annos, quibus completis non velit eundem amplius reinuestire, nisi vtsupra, & si ipsorum aliquis de ipsa possessione, vel re voluerit alterum inuestire, ita demùm hoc faciat, dummodo Ecclesiæ suæ conditio non deterioretur ex secunda inuestitura, attentis qualitate rei, & tempore quo dicta inuestitura in dictum alium fieret.

Secundũ Decretũ in supr ascriptis litteris introclusum continentẽ, quod habentes exemptiones non recceptent debentes sustinere onera cum alio Communi.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, Senarum, & Perusij Dominus. Æquissimum arbitramur, vt qui gratijs

Principum

Principum abutuntur, totalitèr eis priuentur, & inter alios abusores maxime indigni sunt vti, & gaudere munificentia Dominorum, qui eam in damnum, & praeiudicium concedentium, Subditorumque suorum conuertere satagunt, & procurant, quales sunt habentes immunitates, & exemptiones pro se, & eorum Subditis, & eorum munimine alienos Subditos receptantes. Cùm itaque ad notitiam nostram peruenerit, quod aliqui debentes sustinere onera in aliqua ex Ciuitatibus, Terris, vel locis nostro dominio suppositis, vel cum aliqua Communitate, seu Collegio volentes ipsorum onerū supportationem euitare se transferunt ad alias Terras, Loca, Villas, Communitates, Collegia immunes, vel exemptas, immunia, vel exempta, ex qua translatione dictis Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus onera soluere debebant, magnum damnum, grauamen, & dispendium sequitur, & materia alijs sic se transferendi praebetur, quod valdè inconueniens est, & detestabile, & iura abhorrent; ideò huic fraudi ne locum habeat obuiare, & vtilitati praedictarum Terrarum, Villarum, & locorum, & hominum eorum sic damnum, grauamen, & dispendium supportantium prouidere volentes, edicimus, decernimus, & iubemus, vt, quicumque immunes, vel exempti quouismodo receptantes, & qui receptabunt talitèr se transferentes, & qui in futurum sic se transferent, vltra poenas alias per nostrum decretum statutas, seu ordinatas, incurrant ipso iure poenam amissionis, & amittant, & amisisse intelligantur ipso iure immunitatem, vel immunitates, & exemptionem, vel exemptiones, quas haberent, siue tales Communitates Terrarum, Villarum, vel locorum immunium, vel exemptorum, siue aliae Communitates, vel Collegia, vel singulares personae vna, vel plures. Et hec habeant locum in futuris sic receptantibus talitèr se transferentes, vel qui se sic transferent in praeteritis autem, & praesentibus idem habeat locum, sed postquam eis, vel ei, qui sic receptauerint, vel receptauerit vtsupra denuntiatum fuerit, quod eos excumiare debeant vel debeat, & expellere de Terris, Villis, locis, Communitatibus, & Collegijs praedictis infra tres dies tunc prox. fut. non excumiauerint, vel expulerint, vel non excumiauerit, & expulerit vtsupra, & postea iterato sic receptauerint, vel receptauerit. Et hoc pro nostro Decreto haberi volumus, & inuiolabilitèr obseruari.

Tertium Decretum in antedictis litteris introclusum continentem, quod nullus vadat ad habitandum extra territorium Domini cum sua familia.

DUX Mediolani &c. Papiae, Virtutumque Comes, ac Pisarum, Senarum, & Perusij Dominus; Attendentes, quod dominantium interest prouidere suos Subditos à territorio ipsorum dominantium se non absentare cum eorum familijs. Nam ideò iura disponunt per ipsos dominantes tales absentantes posse vindicari, & quod meliùs sit iura ipsorum Dominantium illaesa seruare, quàm post laesionem remedium quaerere, & quod etiam ipsi Dominantes viretenus curare habeant, vt eorum territoria liberis hominibus sint, & permaneant repleta, ac etiam intendere commodis suorum Subditorum, & ne incommoda eos sequantur, & per consequens tales absentationes prohibere, ex quibus multa incommoda sequuntur non solùm sic se absentantibus, sed etiam illis, qui à talibus absentationibus se abstinent, vt experientia

experientia rerum magistra docuit, & docet, sentientesque nonnullos Subditos nostros se cum eorum familijs à nostro territorio absentasse, & absentare, & ad aliena territoria se transtulisse, & transferre cum familijs suis ibidem habitaturos, ideò ne talia occurrant prouidere volentes, edicimus, decernimus, & per hoc præsens nostrum decretum iubemus, mandamus, & ordinamus, quod aliqua persona nobis, seu dominio nostro Subdita, non audeat, nec præsumat se à nostro territorio cum eius familia, vel parte eius familiæ absentare, & ire habitatum extra territorium nostrum, sine nostri speciali licentia, sub pœna baueris sui perdendi, quàm pœnam ipso facto incurrat, & vltra sub pœna standi in carceribus per annum vnum continuato tempore.

Quod per certos Custodes nihil recipiatur à Carceratis, nec aliquid extorquatur ab eis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, Senarum, & Perusij Dominus. Quoddam editum Decretum super extorsionibus, quæ fiunt Carceratis &c. mittimus vobis præsentibus introclusum. Volentes, quod illud tàm in Ciuitate nostra Mediolani, quàm in quibuscunque Terris merum, & mixtum Imperium habentibus Ducatus, & Diœc. eiusdem nostræ Ciuitatis, alijsque locis consuetis vestræ Iurisdictionis statìm publicari, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum prædictorum Ciuitatis, & Terrarum inseri, ac obseruari faciatis, de harum receptione nobis indilatè scribendo. Data Papiæ die sexto Februarij Millesimo quadringentesimo secundo. Antoniolus. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur. Magnifico Militi, & Comiti Domino Potestati nostro Mediolani.

I*Oannes Galeaz Dux Mediolani &c. Papiæ, Virtutumque Comes, ac Pisarum, Senarum, & Perusij Dominus. Volentes de indemnitatibus, & commodis Subditorum nostrorum salubritèr prouidere, prout etiam ex debito tenemur, vt iura testantur, sentientesque plures ex Subditis nostris mandato Vicariorum nostrorum, & aliorum Officialium nostrorum captos fuisse, & ipsorum Vicariorum, & Officialium carceribus non positis, nec deliberatis ad incantum alicui custodi municipatis, & in eis detentos, & pro captione, & custodia ipsorum sic detentorum, quamplurimas quantitates pecuniæ, & rerum fuisse ab eis extortas, vel acceptas per custodes eorum, vel alios de familia, seu Curia ipsorum Vicariorum, quod nobis satis absonum videtur, habito præcipuè respectu, quod ipsis Vicarijs, & Officialibus congruũ salariũ taxari fecimus pro se, & eorum familijs, & de eis responderi, prout congruum extitit. Ideò edicimus, decernimus, & mandamus, quod à talibus captis, vel carceratis, vel detentis non liceat, nec licitum sit, nec possit, nec debeat aliquis ex prædictis Vicarijs, vel Officialibus, nec aliquis de eorum familia, seu Curia, nec alia persona aliquid extorquere, nec quouis modo accipere directè, nec per indirectum per se, nec per interpositam personam, nec aliquo quouis quæsito colore ab aliquo ipsorũ sic captorum, vel talibus carceribus mancipatorum, vel in eis detentorum, vel eorum, qui de cætero sic capientur, vel talibus carceribus sic mancipabuntur, vel in eis detinebuntur pro prædictis captione, mancipatione, vel detentione, vel custodia, vel alitèr, sub pœna quadrupli, quàm ipso facto incurrant, & incurrisse intelligantur applicanda pro medietate Cameræ nostræ, & pro alia medietate ei à quo extorsio, seu acceptio ipsa facta fuerit,*

rit, & etiam sub pœna cuilibet ex dictis custodibus, vel alijs (exceptis Vicarijs, vel Officialibus) duorum illuum curli eis dandorum effectualiter, & hoc præsens Decretum nostrum volumus pro lege seruari, & nostro Decreto, & in volumine nostrorum Decretorum inseri, & per totum nostrum territorium vires habere, & diuulgari. Dat. Papiæ die vj. Februarij MCCCCII.

Decretum super remissionibus talearum, & mutuorum, ac aliorum etiam pro parte spectan. Communi Mediolani.

NOS Domini Mediolani &c. Papiæ, Angleriæ, Virtutumq; Comites, ac Bononiæ, Pisarum, Senarum, & Perusij Domini. Accepimus vestras litteras tenoris ijs inclusi, quarum continentiam attendentes, contenti sumus; ac per præsentes remittimus condemnationes omnes Communi huius nostræ Ciuitatis pertinentes factas à die quinta huius mensis inclusiuè retro; de quibus, & prout mentionem faciunt litteræ memoratæ, quemadmodum remisimus illas, quæ Cameræ nostræ spectabant iuxta effectualem litterarum vestrarum requisit., volentes, quod condemnationes ipsas de quibuscumque libris, listis, filzijs, & scripturis, in, & super quibus descriptæ reperiantur cancellari, & annullari ex toto cū earum quartis plur. faciatis per modū quo condemnati ipsi exindè in futurum molestari nequeant aliqualitèr; faciendo etiam superinde, tàm in præmissa Ciuitate, quàm in nostro eius Ducatu opportunas fieri proclamationes ad singularem condemnatorū ipsorum euidentiam. Dat. Mediolani die viiij. Augusti MCCCCIII. cum deliberatione Consilij. Bernardus. A tergo Nobili, Sapientique, & Prudentibus Viris Vicario, & duodecim prouisionum, & Syndicis Communis nostri Mediolani.

Sequitur tenor introclusarum.

Illustrissimi Principes, ac Excellentissimi Domini Domini. Receptis die hesterna litteris gratiosis vestræ Ducalis Dominationis super remissione talearum, & mutuorum hinc retrò impositorum, necnon condemnationum vestræ Cameræ spectantium, ac debitorum datij cartesellarum mentionem facientibus &c. ipsas litteras, earumque tenorem, & effectum diuulgari fecimus voce præconia ad scalas Palatij huius vestræ Ciuitatis, & per loca consueta Ciuitatis eiusdem, illudq; ordinauimus fieri per Ducatum eiusdem Ciuitatis, sed quia (Serenissimi Domini) adhuc in Commune istud vestrum Mediolani sunt certæ aliæ condemnationes dicto Communi spectān. quæ tamen sunt pro maiori parte inexigibiles, & quæ si remitterentur procederet in maximam consolationem hominum istius Ciuitatis, & Ducatus sicut remissæ sunt condemnationes spectantes prædictæ vestræ Cameræ; Et sentientes per aliquos murmurari pro eo, quod ipsæ condemnationes ita remissæ non sunt quemadmodum prædictæ spectantes Cameræ vestræ; propterea prælibatæ Dominationi supplicamus, vt dignetur remittere prædictas condemnationes ipsi Communi spectantes, mandando per suas litteras opportunas de huiusmodi gratia publicam debere fieri cridam, & proclamationem in Mediolano pro consolatione, & contentamento vestrorum pauperum Subditorum. Dat. Mediolani die viij. Augusti MCCCCIII. Vestri fideles Locumtenens Vicarij, duodecim prouisionum, & Syndici Communis Mediolani. A tergo, Illustrissimis Principibus,

citibus, & Excelsis D. D. Ducissæ, & Duci Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comitissæ, & Comiti Angleriæ, ac Bononiæ, Pisarum, Senarum, & Perusij Domini.

Decretum de modo procedendi contra quoscumque de crimine læsæ Maiestatis.

DVX Mediolani &c. Cum facilitas veniæ incrementum præbeat delinquendi, illis potissimè, qui in prædictis, & cæteris iniuriarum generibus assuet in aliorum spolijs, & depopulationibus gloriantur, reliquorũq; iactura locupletari se conspiciunt, & contra Statum nostrum etiam perperàm moliuntur; quod etiam euenire conspicimus, quia multi sæpè confisi propter ignorata parentum suorum nomina, vel loca habitationum suarum, vel errorem citationum, aut alias solemnitates in procedendo requisitas à Statutis nostræ Ciuitatis Mediolani, vel nostris, aut prædecessorum nostrorum Decretis contra eos non posse legitimè procedi spem assumunt. Propterea ne ex hoc malitia, & multitudo, aut maneries delinquendi contra Statum nostrum crescere videantur, quæ talibus deficientibus procedendi modis impunita sæpissimè remanetent. Ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis præsenti decreto sancimus, decernimus, volumus, & mandamus, quod Potestas noster Mediolani præsens, & futurus possit, & valeat citari facere, sono tubæ præmisso, quoscumque tam Ciues, quàm forenses contra quos procedi velit prætensa occasione de aliquo crimine læsæ Maiestatis, seu turbationis Status nostri, vel inuasionis, seu detentionis Castrorum, seu Terrarum, vel Fortalitiorum nostrorum, seu aliquorum ex eis ad scalas Palatij noui Communis Mediolani sitas in Broleto nouo Communis præd. &c. tribus diebus in hebdomada, hora sextæ, vel circa, seu hora vesptarum, vel circa, & quod inquisitio, quæ formabitur præmissorum occasione apponatur per copiam ad dictas scalas, & ibidem dimittatur per seruitorem Communis Mediolani. Quibus peractis habeantur pro legitimè citatis, & solenniter, itaut procedatur, & procedi possit per ipsum Potestatem, absque alia litis contestatione ad receptionem informationum cuiuslibet ad condemnandum, vel absoluendum, prout ei videbitur fore fiendum alia citatione non facta, nec alibi portata inquisitione prædicta, nec alibi alio processu requisito, in quibus omnibus de nostræ plenitudine potestatis etiam absolutè omnem defectum iuris, & facti supplemus. Volentes etiam, & mandantes, quod ipsa inquisitio possit fieri, & super ea procedi, etiam absque descriptione nominis patris dictorum malefactorum, & Parochia, seu loco, vel Terra habitationum ipsorum malefactorum, prout ei Potestati videbitur, & placuerit pro suo libito voluntatis. Et quod processus, & sententiæ, qui, & quæ fieri, & proferri contingat, ordine præmisso dumtaxat seruato, ita valeant, & teneant ac si ipsi malefactores essent legitimè, & solenniter citati ad eorum proprias domos habitationum, & legitimè inquisiti & cætera solennia procedendi iuxta formam Statutorum Communis nostri Mediolani seruata, & etiam ac si nomina patrum suorum ibi forent descripta, & aliæ solennitates iuris municipalis, & communis forent in inquisitione, & citatione seruata. Et hoc volumus, & mandamus de cætero inuiolabiliter pro nostris lege, & Decreto obseruari debere, aliquibus Statutis, seu legibus nostris, vel Communis nostri Mediolani, seu Communibus nequaquam obstantibus. Quibus in quantum obuiarent ex certa scientia dumtaxat

penitùs

pænitùs derogamus, & derogatum esse volumus, & iubemus. Decernentes, quod præsens decretum nostrum trahatur ad præsentia dumtaxat, & futura, faciatq; idem Potestas Mediolani inseri, & describi in volumine decretorum nostrorum. In cuius memoria præsentes fieri iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xvij. Augusti MCCCCVII. Indictione decimaquinta.

Decretum, quod Syndicator non possit aliquem absoluere Officialem, nec aliquam aliam personam, nisi priùs habuerit litteras Ducales manu DD. signatas.

DVX Mediolani &c. Ad obuiandum fraudibus, quæ committi possent. Serie præsentium edicimus, decernimus, & mandamus, quod de cætero nullus Syndicator noster, seu Deputatus, aut deputandus ad syndicandum per nos, seu de mandato nostro aliquem Officialem, Rectorem, vel aliam quamuis personam in territorio nostro habeat bayliam faciendi, nec facere possit, neque debeat aliquam absolutionem in Syndicatu sibi commisso, vel committendo, nisi priùs per eum nobis facta notitia, & habito à nobis responso per litteras nostras manu nostra signatas de ipsa absolutione fienda, & si de cætero vllam absolutionem alitèr fieri contingat pro nulla habeatur, nulliusque valoris sit pænitùs, & momenti. Volentes, quod de præmissis fieri facias proclamationes publicas per loca consueta huius nostræ Ciuitatis, ac præsentes litteras nostras, quas pro lege, & decreto nostro seruari mandamus in volumine aliorum nostrorum Decretorum ad perpetuã rei memoriam inscri, & describi. Dat. Mediolani die vj. Iulij MCCCCVIII. Vbertus. A tergo. Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Pro incantu datij Notariæ maleficiorum.

NOtaria maleficiorum Communis Mediolani cum vtilitate, prærogatiuis, commoditatibus, & emolumentis, quæ percipi possunt ex illis parte, & partibus Ducatus Mediolani, quæ præsentialitèr tenentur per Illustriss. Principem, & Excellentiss. D. D. Ducem Mediolani &c. locanda est ad annum vnum incipiendo in Calendis Ianuarij prox. fut. anni MCCCCXI. resigo, & periculo Incantatoris, & cum pactis, & ordine infrascriptis viz.

Primò, quod Notarij maleficiorum Communis prædicti possint recipere, & habere pro qualibet inquisitione formata, & pro citatione fienda super prædicta inquisitione, & pro responsione, & satisdatione per inquisitos omnibus computatis iuxta taxationem aliàs factam in summa ss. x. den. viij. Imper., & si foret talis inquisitio super qua sequerentur fieri alios actus, quam supradictum est, quod pro alijs scripturis fiendis possint ipsi Notarij habere den. iij. tertiol. pro qualibet linea congruè scripta, & prout seruatum fuit pro tempore præterito.

Item, quod dicti Notarij possint, & debeant recipere, & habere pro prorogationibus cuiuslibet banni ss. ij. Imper.

Item, quod dicti Notarij possint habere, & recipere de quolibet eximitione banni de maleficio ss. vj. Imper.

Itẽ de qualibet sentẽtia, siue absolutoria, siue condẽnatoria in pecunia lata si fuerit à lib. j. vsq; in lib. xxv. tertiol. possint habere, & habere debeant ss. x. Imper. & si fuerit à libris xxv. tertiol. supra, vsque in libris centum habeant ss. xv. Imper.

Imper., & si fuerit à libris centum supra habeant libram vnam Imper., & si fuerit in criminali pro qua pœna sanguinis ingerarur, quod possint habere solutiones prædictas in duplum pro quolibet condemnato, seu absoluto.

Item, quod de descriptione bonorum, quæ fieri contigerit si fuerit in Ciuitate, & Suburbijs, vel Corporibus Sanctis Mediolani possint recipere sol. x. Imper. & si fuerit in Comitatu, seu Ducatu Mediolani longè per miliaria decem possint habere sold. xx. Imper., & si à decem miliaribus supra, possint habere vltrà dictos sold. xx. Imper. ad computum sold. 1. pro quolibet miliario, & si contigerit pro ipsis bonis aliquas defensiones, vel scripturas fieri, quod vltra solutiones prædictas accipere possint pro scripturis fiendis ad computum denariorum trium tertiol. pro qualibet linea congruè scripta, & quod nullus alius Notarius, nec Officialis possit, nec liceat aliquas descriptiones facere sine prædictis Notarijs, seu aliquo eorum, sub pœna floren. xxv. pro qualibet vice.

Item, quod Vicarij, & Syndicatores Illustrissimi Domini Domini nostri tempore quo syndicabunr Vicarios, & Rectores scilicet Dominos Potestatem Capitaneos Comitarus, & alios Officiales, sub quibus exercuerint Officium prædictum maleficiorum non possinr, nec debeant ipsos Notarios, vel eorum socios syndicare, nec contra eos in syndicatu, nec per syndicatum procedere aliquo modo, nisi vt infra videlicet. Quod si facta fuerit querela ipsis Syndicatoribus, quod ipsi Notarij scarpassent, vel occupassent aliquam querelam, vel denunciam, aut falsitatem commisissent in dicto officio, quod possit procedi contra eos eo casu de illa sola re de qua forer facta querela ipsis Syndicatoribus, priùs ipsa querela verificata per testes, & non alio modo.

Item, quod non sit aliquis Notarius, seu Cancellarius, nec aliqua persona in futurum, quæ se intromittat de officio maleficiorum prædictorum, nec de inuentionibus bladorum, salis, ferri, & huiusmodi, nec de aliquibus scripturis officio maleficiorum spectantibus præterquàm Notarij prædicti, & eorum socij sub pœna floren. centum auri applican. pro medietate Cameræ Illustris. D. D. nostri, & pro alia medietate ipsis Notarijs, & de prædictis adhibeatur plena fides vni ipsorum Notariorum cum eius sacramento, & vno teste fidedigno, vel alicui scripturæ subscriptæ manu dicti Notarij, qui se intromisisset vtsupra.

Item, quod Potestas, & Capitanei, Vicarij, Officiales, & Iusdicentes habentes merum, & mixrum Imperium præsentes, & futuri Ciuitatis, & Ducatus Mediolani non possint, nec debeanr se intromittere de dictis Notarijs, nec ipsos turbare, nec molestare in dicto Officio pro aliquibus querelis, quæ fierent de ipsis causa dicti Officij, & quod ipsi Notarij, vel eorum socij sint, & esse debeant Notarij maleficiorum cuiuslibet Officialis, Rectoris, Vicarij, Capitanei habentium merum, & mixrum Imperium tàm in Ducatu, quàm in Ciuitate Mediolani, & non possint renere, nec habere alios Notarios, nec Cancellarios, quàm ipsos Notarios maleficiorum, seu eorum socios, qui exerceant dictum officium maleficiorum, & quæcumq; quæ spectare possint ad ipsum eorum officium tàm in ordinario, quàm extra ordinario, sub pœna salarij vnius mensis applicanda vtsupra, & adhibeatur fides ipsis Notarijs, seu vni eorum vtsupra; eo saluo, & reseruato, quod Egregius, & Sapiens Vir Dominus Iacobus de Ghisulphis Commissarius, & generalis Vicarius, & Rector Illustris. Principis, & Excellentissimi D. D. nostri Ducis Mediolani &c. possit habere, & tenere vnum Norarium sibi fidum pro secretis occurrentibus officio suo, dum tamen emolumentum quodlibet ex scripturis, tam ordinarijs,

ordinarijs, quàm extraordinarijs per eum Notariũ fiendis processum perueniat Incantatoribus, seu Notarijs maleficiorum prædictorũ, conueniente se tamen dicto Notario cum ipsis Incantatoribus, seu Notarijs de participatione dicti incantus Notariorum maleficiorum prædictorum, vel alitèr de solutione eidem Notario pro digna mercede suarum scripturarum, & laboris sui fienda per dictos Incantatores, seu Notarios.

Item, quod ipsi Notarij teneantur, & debeant solutionẽ dicti Officij facere, cui, vel quibus placuerit Dominis Magistris Intratarum extraordinariarum singulo mense, prout soluitur pro alijs datijs Communis Mediolani, & cum illo cambio, quod soluitur pro alijs Notarijs Mediolani.

Item, quod fiant, & emanentur litteræ pro parte Illust. Dominationis Vestræ Potestati Mediolani, Executori, Vicario, Capitaneo portarum, & Capitaneis Ducatus, quod ponant ipsos Notarios, & eorum socios in possessionẽ officij prædicti, & positos manuteneant, & defendant, & quod procedant in criminalibus, & alijs dicto officio, tàm in ordinario, quàm in extraordinario spectantibus, & tangentibus sicut processum est per eos hinc retrò, & quod non permittant Cancellarios suos, nec aliquos alios, præterquam Notarios prædictos, & eorum socios, intromittere dicto officio, sub pœna prædicta applicanda vtsupra, excepto dicto Domino Iacobo de Ghisulphis, qui possit habere, & tenere Notarium in omnibus, & per omnia, prout in nouo capitulo superiùs descripto continetur.

Item, quod incantetur dicta Notaria suis resegis, & periculis, & cum pacto de rapis, & spinellis, prout incantantur alia datia Communis Mediolani.

Confirmatio Priuilegiorum Terræ Modoetiæ facta per Illustriss. Dominum Dominum Philippum Mariam Ducem Mediolani &c.

PHilippus Maria Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Supplicato inter cætera nobis pro parte nostrorum fidelium dilectorum Communis, & hominum Terræ nostræ Modoetiæ, quod omnia Statuta, Decreta, & Ordinamenta dictæ nostræ Terræ, & antiqua Priuilegia ipsis Communi, & hominibus priscis temporibus, tam per felicis recordationis olim Sacratissimos Imperatores, quàm inclytarum memoriarum Dominos Prædecessores nostros concessa confirmentur, & locum habeant, & habere debeant modo, & forma vsitatis tempore felicis recordationis Domini genitoris nostri. Volentes dictis supplicantibus specialitèr complacere, decernimus harum serie, & volumus, quod Statuta, Decreta, Ordinamenta, & Priuilegia de quibus agitur seruari debeant, & seruentur, quo, & eo modo, quo seruabantur tempore celeberrimæ memoriæ Illustrissimi Domini Genitoris nostri olim Patris Ducis Mediolani. Mandantes vniuersis, & singulis Officialibus, & Subditis nostris præsentibus, & futuris ad quos spectat, & spectare possit in futurum, quatenùs has nostras litteras obseruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli impressione muniri. Dat. Mediolani die xxiiij. Februarij MCCCCXIII., sexta Indictione. Signat. Conradinus.

Quod non possit procedi criminalitèr pro delicto, quod habuerit originem à contractu.

DVX Mediolani, Veronæ &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Pullulantibus crebris querimonijs nonnullorum, contra quos criminalitèr processum

 est,

est, & proceditur, tàm per te, quàm per diuersos alios Iusdicentes, & Officiales nostros, siue per accusam, aut querelam, vel denunciam, esto quod assertum delictum pro quo processum est, & proceditur sumatur ex negotio, quod originē habuit à contractu, quod fuit, & est penitùs alienum ab intentione nostra disposuimus legē imponere, sub qua quisq; clarus à modo sit qualitèr debeat in talibus se habere, ne nostri Subditi exasperante malitia opprobriosè vexentur, fatigēturq; plùs, quàm patiatur debitū rationis; propterea hoc edicto, & decreto nostro, quod prò lege haberi, & inconcusè seruari perpetuo volumus, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum Ciuitatis nostræ Mediolani volumus scribi, & inseri ad contestum, & litteram, prout iacet, edicimus, decernimus, & mandamus, quod per te, nec aliquem ex Iudicibus Curiæ tuæ, nec etiam per officium alicuius Executoris, & Vicarij nostri, etiam Capitanei, Iusdicentis, & Officialis nostri in Ciuitate, & Ducatu nostris Mediolani, quicumque sit, & per tempora erit (circumscriptis etiam omni baylia, & arbitrio, quod, & quàm haberet vltra dispositionem iuris) de cætero non possit, nec debeat, sub pœna indignationis nostræ, criminalitèr procedi per querelam, denunciam, vel accusam quouis modo contra quamuis personam pro aliqua re, vel causa, seu asserto delicto, quæ, vel quod sumi possit ex negotio, quod originem habuit a contractu, & sapiat naturam contractus, & quantumcumque processum foret eiusmodi processus pro nullo habeatur, & nullius efficaciæ sit, valoris, & momenti; faciendo Decretū id, sono tubæ præmisso, ad scalas Palatij Broleti noui Cōmunis nostri Mediolani, & in alijs locis consuetis publicè diuulgari. Ita quod ad omnem notitiam verisimilitèr valeat deuenire, de ipsiusq; receptione, ac prout feceris nobis illicò rescribendo. Dat. Mediolani die xj. Martij MCCCCXIII. Innocentius. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur Spectabili Viro Potestati nostro Mediolani.

Quod alius, quàm Potestas Mediolani se non intromittat de aliquo Notario, & quomodo ipse Potestas facere debeat antequam se intromittat.

DVX Mediolani, Veronæ &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Super ijs, quæ continet, & deposcit inferiùs annotata petitio Abbatum, & Vniuersitatis Collegij Notariorum istius nostræ Ciuitatis. Volentes remedio prouidere, attentis salubris in ea narratis etiam Statutis, & Ordinibus disponentibus de modis procedendi contra Notarios de falsitate, aut alio errore criminatos præsentium continentia decernimus, volumus, & iubemus, quòd de cætero per Officium D. Bartholomæi de Falconibus generalis Vicarij, & Executoris nostri, aut successorum, siue alterius cuiusvis Iusdicentis in dicta nostra Ciuitate Mediolani procedi non possit, nec debeat contra aliquem Notarium inculpatum de aliqua falsitate, seu aliquo errore, præterquam per officium Potestatis nostri Mediolani, cui soli cum Curia sua, & non alij pertineat iurisdictio, & cognitio contra tales hoc ordine semper seruato. Quod per præsens antequam procedat, idem Potestas tàm præsens, quàm futurus debeat casum illius proponere Abbatibus dicti Collegij, ac ipsos, & eorum motiua superindè patientèr audire, idemq; maturè, ac deliberatè procedere, non vtendo aliquo arbitrio, vel baylia sibi concessis, aut in futurum concedendis, sed solummodo seruata forma iuris, Statutorumq; & Ordinamentorum Ciuitatis iam dictæ, sed has litteras ad perpetuam memoriam registrari volumus,

volumus, & inseri in volumine aliorum ordinum nostrorum Ciuitatis præmissæ, ac prout iacent omni tempore inconcusè seruari.

Tenòr petitionis.

ILlustrissimæ Ducali Dominationi Vestræ significant humilitèr, & cum omni reuerentia fideles seruitores vestri Abbates, & Vniuersitas Collegij Notariorum huius Almæ vestræ Ciuitatis Mediolani, quòd, si in futurum effectum sortiri deberent, quæ à modicis diebus citrà sunt initiata contra aliquos ex Supplicantibus ipsis præsertim per Vicarium præsentem, suumq; antecessorem D. Bartholomæi de Falconibus generalis Capitanei, & Executoris vestri, Supplicantes ipsi, dispositi sunt eorum Officium Notarij protinùs relinquere, hinc est, quod non multis diebus elapsis præcessor ipse præsentis Vicarij ad certam lamentelam ore tenùs sibi factam de Arasmino Pagano Not. Mediolani, ipsum Arasminum detineri fecit, & strictè carceribus mancipari, eoq; sic detento, (prout specialitèr incumbit eorum Abbatum, & aliorum Officialium dicti Collegij Officio) comparuerunt ipsi Abbates, & quamplures ex authenticis Collegij memorati coràm eo præcessore, ad effectum, vt si deliquisset ipse Not. debita pœna puniretur, & si non, eius bona fama seruaretur illæsa, & quia ipsi Abbates, & Notarij visis, & diligentèr intellectis, quæ obijciebantur, non cognoscendo ipsum Notarium in aliquo deliquisse, acquiescere voluerunt eius voluntati ad modicum tempus interuallum, post quorum recessum ad torturam poni fecit ipsum Arasminum, ac eidem infligi ictus quinque curli, & demùm ad duos dies eum insontem à carceribus liberauit, non tamen pœna inflicta sublata; modo autem, & nouitèr præsens Vicarius detineri fecit, & carceribus mancipari Beltraminum de Stephanonibus Not. de certa, vt asseritur falsitate calumniatum, ac eidem dari ictus quinque curli, & sic ad modicam etiam non veram querimoniam deferendam de ipsis Notarijs, quæ facilitèr si talia sortirentur effectum Notarij memorati in personis, & hauere ipsius destruerentur, cum autem per Statuta vestra, & Communis vestri Mediolani disponatur qualitèr, quomodo sit per ipsos Abbates, & eorum collegas contra calumniatos procedendum tanquam personas pleniùs instructas, & informatas super cognitione errorum, & falsitatum, quæ committi possunt, & incurrunt in huiusmodi Notariæ officio dignemini de vestri solita clementia. præmissis omnibus attentis, etiam considerato, quod ipsi Abbates, & Officiales promptiores erunt in veritatem reperiendo de quolibet errore, & falsitate, quos committi continget, prout experientia docuit manifestè, nàm anno proximè præterito tunc Abbates, qui eorum solicitudine repererunt in falsitate Franciscum Micherium Not., eum tradiderunt in manibus Potestatis vestri Mediolani vltimo supplicio puniendum, sed obtinuit gratiam à Dominatione prælibata, edicere, disponere, & mandare, per vestras oportunas, & patentes litteras, quod deinceps si quis voluerit de aliquo Notario se conqueri super aliquo errore, vel de aliqua falsitate, quod prædicta agantur coràm Abbatibus prædictis, qui superindè reddent, & promptè, & solicitè cuiq; Iustitiæ complementum, vel saltem, quòd prædicta agantur coràm prædicto vestro Potestate, & cum scientia, & deliberatione Abbatum prædictorum, & non coràm aliquo alio; quodq; Vicarius præsens in facto ipsius Beltramini procedat cum scientia, & deliberatione ipsorum Abbatum, & non alitèr, prout firmitèr credunt esse vestræ bonæ intentionis. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari nostrique

nostrique sigilli munimine roborari. Dat. die V. Octobris MCCCCXIII. Indictione septima. Innocentius.

Quod nullus transeat fossatum Ciuitatis Mediolani sub pœna pedis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes. Sentientes sæpiùs transiri fossatum nostræ Ciuitatis Mediolani per nonnullos defraudare quærentes datia nostra contra Decreta, & Ordines nostros. Volumus, & tibi mandamus quatenùs in quibuscumque locis consuetis dictæ nostræ Ciuitatis Mediolani facias nostri parte publicè proclamari, quòd nulla persona cuiuscumque conditionis, gradus, & status existat, audeat, vel præsumat de die, nec de nocte transire fossatum dictæ nostræ Ciuitatis, sub pœna vnius pedis declarata in ipsis ordinibus nostris, & quod nullus quicumq; sit, debeat in ipso fossato tenere de nocte aliquam nauem causa piscandi, nec aliud faciendi, sub eadem met pœna vnius pedis. Rescribendo Magistris Intratarum nostrarum de receptione præsentium, & publicatione dictæ cridæ. Dat. Mediolani die xxvij. Martij MCCCCXVII. Iacobinus. Antonius. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani.

Aliud Decretum super pontibus, & stratis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Appetentes plurimum, quod stratæ, & pontes, tàm Ciuitatis nostræ Mediolani, quàm eius Ducatus, tàm pro itinerantium commodo, quàm etiam pro placere nostro bene reparentur, & reparatæ teneantur sic, quod per eas, & eos tàm eques, quàm pedes transire possit absque incommodo, atque disturbio. Et attendentes satis naturale, & conueniens fore iuxta formam prouisionum Communis Mediolani, quòd qui aliquam vtilitatem gaudent, seu percipiunt ex aquis defluentibus teneri debeant, ac teneantur ad contribuendum reparationi, & manutentioni pontium existentium, & opportunorum pro dictis aquis etiam stratatum, nullo seruato priuilegio, immunitate, nec gratia, vt reparationi huiusmodi celerior, & salubrior modus sit, decernimus harum serie ex certa scientia, quod vniuersi, & singuli, tàm Prælati, quàm Clerici, & laici, & seculares, quibusuis nominibus nuncupentur, teneantur contribuere, & contribuant, viz. quilibet pro sua rata, & debita portione reparationi stratarum, & pontium prædictorum, non obstantibus aliquibus priuilegijs, immunitatibus, & gratijs quouismodo concessis, quas in hoc dumtaxat non intendimus, nec volumus cuipiam obseruari debere. Mandantes obinde Iudici nostro stratarum Mediolani, & Ducatus, tàm præsenti, quàm futuro, quatenùs solenniter procedat, & procedant ad debitas reparationes huiusmodi, fiendas quoscunq; ad eas compellendo, aliquibus priuilegijs, exemptionibus, ac gratijs in hoc dumtaxat cuipiam non seruatis. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli impressione muniri. Dat. Mediolani die xxv. Februarij MCCCCXVIII., Indictione vndecima. Signat. Conradinus.

Priuilegium Abbiatisgrassi.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes Viso Priuilegio per Illustrem quondam dignæ memoriæ Dominam Blan-

cam de Sabaudia auiam olim nostram Communi, & hominibus nostris Terræ Abbiatisgrassi aliàs concesso, subsequentèrq; per Illustrem quondam celebris memoriæ Dominam genitricem nostram etiam confirmato sub tenoribus infrascriptis videlicet.

NOS Comitissa Virtutum &c. Vt dilecti nostri Commune, & homines nostræ Terræ Abbiatis sub vmbra Domini nostri potiantur, & gaudeant beneficijs, & priuilegijs, quibus tempore celebris memoriæ Illust. quon. Dominæ Blanchæ de Sabaudia matris nostræ dilectissimæ gauisi fuerunt; idcircò litteras, gratias, & concessiones eisdem nostris Communi, & hominibus concessas, factas, & indultas per præfatam quon. Dominam matrem nostram, quarum tenor sequitur in hæc verba vlz. Nos Blanca de Sabaudia Consors Magnifici, & Excelsi D. D. Galeaz Vicecomitis Mediolani &c. Imperialis Vicarij generalis, Abbiatisq; Grassi Domina generalis. Cum pro parte nostrorum hominum de Abbiate pluries sit nobis illata querela, quòd tàm pro executionibus sibi factis, coràm Iudicibus Mediolani multa, & periculosa damna, & inconuenientia subsequantur in deserendo suarum Terrarum laboreria, & custodia dictæ Terræ nostræ, quàm etiam ex intollerabilibus expensis, & varijs infestationibus, quæ sibi ex lungis causarum cauillationibus inferuntur cum expensæ persæpè summas debitorum excedant, propter quod ipsi homines nostri lunga afflictione vexati inceptas causas intercisas relinquunt ex quo in causa succumbunt, & proprijs iuribus spoliantur. Et cupientes nostrorum Subditorum commodis prouidere, & contra incommoda amputare nociua, statuimus, prouidimus, decernimus, & ordinamus omni modo, iure, via, & forma, quibus meliùs possumus, quod Vicarius noster Abbiatis nunc existens, cæteriq; eius successores possint, & debeant, in quibuscumque causis, quæstionibus, litibus, & controuersijs cuiuslibet rei, siue quantitatis, & valoris sint, vel existant, vel existere possent verten. coràm eis, & quæ decætero verti contingent quocumque modo iura reddere, pronunciare, & determinare, quibuscumque personis tàm de Abbiate, quàm aliundè petentibus in dicto Burgo nostro coram ipso nostro Vicario, obseruando formã decreti, & Statutorum compilatorum per Magnificum Dominum Consortem nostrum præfatum super iure reddendo in partibus Seprij, & Bolgariæ, quæ sunt penès ipsum Vicarium nostrum subscriptorum per Petrum Panigarolam Notarium ad Statuta Communis Mediolani, ita quod à modo in antea nullus ex prædictis hominibus nostris de Abbiate possit, nec debeat ex aliqua ciuili causa per aliquem Ciuem Mediolanensem, nec aliunde citari, nec ad causam vocari vllo modo, vel forma coràm aliquo Iudice, vel Rectore extra ipsum nostrũ Burgum Abbiatis, nec per aliquem Officialem, præterquam per ipsum nostrũ Vicarium, contra aliquem ex ipsis hominibus nostris de Abbiate fieri processus sed coràm prædicto Vicario nostro terminentur, & diffiniantur omnes eorum processus causarum ciuiliam iuxta formam suprascripti Decreti. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari, nostrique sigilli appensione muniri. Datum Papiæ MCCCLXXIII. die tertio mensis Iunij, vndecima Indictione. Tenore præsentium approbamus, ratificamus, confirmamus, & de nouo concedimus dictis Communi, & hominibus nostris in omnibus, & per omnia prout in eis litteris pleniùs continetur, vsq; ad beneplacitum nostrum duraturis. Addentes illis insuper, ac decernentes, declarantesque Potestatem Mediolani, nec aliquos Iusdicentes ipsius Ciuitatis præsentes, & futuros, in eadem Ciuitate non habere, nec exercere posse aliquam iurisdictionem in dictum nostrum Commune, Nobiles, Burgenses, seu districtum ipsius nostræ

Terræ Abbiatis, nec in eorum, seu alicuius ipsorum bonis, siue debitis, siue sint in dicta Ciuitate Mediolani, seu eius Ducatu, vel alibi directè, vel per indirectum, vel aliquo colore quæsito per qua voluntas, & intentio nostra, quæ sunt, vt dicti Commune, & homines nostri, & eorum bona, sibique debita quomodocunque sint a iurisdictione Iusdicen. in dicta Ciuitate Mediolani totalitèr exempti, & exempta possint ad aliqualitèr infringi, vel impugnari, non obstante etiam, quod contractus sit alibi celebratus, & si quod in contrarium fuerit attentatum, modo qualicumque, decernimus de plenitudine potestatis nostra, & ex certa scientia, tamquam à non habentibus Iurisdictionem aliquam, & non à suis Iudicibus gesta, & facta non valere, & viribus omnino carere. Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ concessionis, quam iussimus registrari, muniriq; appensione sigilli nostri infringere, vel ei ausu temerario contrariare; si quis autem hoc attentari præsumpserit, indignationem nostram, nec sine debita punitione se nouerit incursurum. Dat. Papiæ die xxvj. Madij MCCCLXXXXIIII., Indictione secunda. Signat. Teodorus.

Supradictum Priuilegium, eiusq; confirmationem suprascriptam, ipsiusque Priuilegij, & confirmationis continentias, & effectus ad contextum, & litteram velut iacent, harum serie, ex certa scientia, ac de nostræ Ducalis plenitudine Potestatis approbamus, ratificamus, emologamus, & paritèr confirmamus. Mandantes Potestati, necnon Vicario, & duodecim Prouisionum, ac Syndicis Communis Ciuitatis nostræ Mediolani, & Vicario supradictæ Terræ nostræ Abbiatisgrassi, cæterisq; omnibus, & singulis Officialibus, & Subditis nostris ad quos pertineat, seu spectet, aut pertinebit, & spectabit quomodolibet in futurum, quatenùs huiusmodi Priuilegij confirmationem obseruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari, contraq; suos tenores aliquid non attentent, & attentari vllo modo non faciant, nec permittant. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xxiiij. Nouembris MCCCCXVIII. duodecima Indictione.

Alia littera pro immunitate habentium duodecim filios.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Nostræ intentionis est, quod exemptiones quæcumque tàm à nobis, quàm à iure concessæ propter numerum duodecim liberorũ debeant quibuscumque inuiolabilitèr obseruari, & ita mandamus vobis, quod exequamini, & exequi faciatis omni prorsus exceptione remota. Dat. Vigleuani die decimonono Decembris MCCCCXVIII. Martiannus. A tergo Egregijs Viris Magistris Intratarum nostrarum.

Decretum de Clericis prima tonsura incedentibus in habitu, & tonsura.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Editum per nos nuper super facto quorundam habentium priuilegio Clericali in vituperium ordinis Clericalis, & plurimarum læsionum quoddam Decretum vobis dirigimus infra descriptum videlicet. Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Ad tollendum inuolucra, perplexitates, confusiones, deceptiones, atque fraudes occurrentia in Ciuitate nostra Mediolani, eiusque Ducatu, quæ committuntur, & fiunt per nonnullos se Clericos prætendentes sub velamine

mine Clericatus, & pro quibus tædiosis querimonijs afficiuntur admodùm aures nostræ, edicimus, volumus, decernimus, & iubemus hoc præsenti nostro decreto, quod inseri volumus, & describi in volumine aliorum nostrorum decretorum, & pro lege, decretoq; nostro de cætero obseruari debere, quod si contingat per Clericum primæ tonsuræ solùm causam, litem, controuersiam, seu quæstionem moueri contra aliquem, & versa vice per aliquem contra talem Clericum, & ipse Clericus non incesserit in habitu, & tonsura Clericali tempore citationis factæ, & præsentatæ personalitèr, vel ad domum, aut alitèr, prout decreta, vel statuta disponunt, tàm pro se, quàm contra se, talis tractetur, habeatur, & reputetur pro mero laico in iudicio, & extra iudicium, & tamquam merè secularis in omnibus, & per omnia, omni exceptione remota respectu, causæ, vel causarum super qua, vel quibus citatus est, & hoc nedum in causa principali, sed etiam in causis appellationis, seu appellationum si quam, vel quas interponi contigerit, & vsque ad sententiæ, seu sententiarum latarum in huiusmodi causa, seu causis executionem plenam, & perfectam, & ipsius executionis tuitionem, seu defensionem per Iudicem secularem, non obstante, quod in ipsis causis, executione, & tuitione pendentibus, ille talis Clericus habitum assumpserit, & tonsuram. In quorū &c. Volentes, & vobis mandantes, quatenùs decretum ipsum formalitèr, prout iacet publicari faciatis, & subsequentèr inseri, & describi in volumine aliorum decretorum nostrorum, ac pro lege, & decreto nostro de cætero inuiolabilitèr obseruari. Datum Cusagi vltimo Februarij MCCCCXVIIII. Martianus.

Decretum, quod mulieres sine liberis existentes nequeant quicquam disponere per testamentum, nec alitèr de bonis parafernalibus donatis, seu scherpa durante decennio postquam iuerint ad maritum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Quoddam decretum editum super mulieribus maritatis, seu maritandis sine liberis existen. ante complétum decimum annum à die qua ad copulam iuerit matrimonialem, quod vllo modo nequeant per testamentum, codicillos, donationes causa mortis, legatum, neq; alio quouis modo de bonis eorum parafernalibus donatis, seu scherpa aliqualitèr disponere, tibi mittimus præsentibus inclusum, volentes, quod illud, tàm in Ciuitate nostra Mediolani, quàm in quibuscumq; Terris Ducatus eiusdem merum, & mixtum Imperium habentibus, alijsq; consuetis locis iurisdictionis per nos tibi commissæ statìm publicari, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum prædictæ Ciuitatis, & Terrarum inseri facias paritèr, & seruari, de earum receptione illud nobis rescribendo. Dat. Mediolani die xxiij. Maij MCCCCXVIIII. Teodorus. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur Spectabili Viro Potestati nostro Mediolani.

Tenor inclusi Decreti sic sequitur.

DVX Mediolani &c. Papie, Angleriaque Comes. Id nobis præcipuè incumbit cura, tàm vlz. salubritèr prouidere, quàm fraudibus, & deceptionibus, quæ quotidiè inter nostros Subditos per directum etiam, & indirectum continuè committuntur nostris prohibitionibus, & sanctionibus obuietur. Cum itaq, nonnullorum Subditorum nostrorum crebris querimonijs

nijs perceperimus, quòd licet ipsi Subditi nostri magnis cum laboribus, & expensis eorum filias, sorores, attinentes, vel alias quaslibet matrimonio copulent, eisq; vltra dotem conuentam tradant, seu donent cum satis magna impensa bona parafernalia, mobilia scherpam vulgaritèr nuncupatam, & de iure, ac ex antiquissima, & approbata consuetudine dicta bona parafernalia donata, seu scherpã, quæ cõmunitèr infra plures non consumuntur annos denoluantur, deficientibus liberis, ad dotantes, & succedentes ipsi mulieri ab intestato, attamen ne iuri fiat fraus, & prætacta consuetudo laudabilis deludatur, perceperimus quamplurimorum relatu, quòd mariti, seu opere eorum vxores suas persæpè inducunt, & cogunt interdum ad testandum, & de bonis ipsis parafernalibus donatis ad libitum ipsorum maritorum diuersimodè disponendum in ipsorum maritantium, & succedere debentium ab intestato non modicũ detrimentum. Consideratione igitur præmissorũ, & attento, quod tales mulierum dispositiones potiùs maritorum, quam mulierum dici possent ægre ferentes, nec pati intendentes, tám apertas fraudes iuris, & dictæ consuetudinis corruptelam præsenti nostro edicto perpetuo valituro edicimus, decernimus, & mandamus, quod quæuis mulieres Ciuitatum, & Terrarum territorij, & districtuum nostrorum maritatæ, seu maritandæ, sine liberis existentes, ante completum decimum annum postquam ad copulam iuerint matrimonialem vllo modo nequeant per testamentum, codicillos, donationes causa mortis, legatum, neque alio quouis modo de bonis eorum parafernalibus donatis, seu scherpa aliqualitèr disponere, neque ea alicui relinquere. Quinimmo ipsa talia bona parafernalia donata, seu scherpa venientibus ab intestato superstitibus, vsque ad quartum gradum secundum iura ciuilia computandum reuertantur, & perueniant ad ipsos dotantes, & succedentes ab intestato ipsis talibus mulieribus decedentibus sine liberis intra dictum decimum annum, omnibus machinatione, fraude, dolo, testamentis, codicillis, & legatis, seu alijs quibuscumque dispositionibus contra formam huius nostri Decreti factis protinùs cessantibus. Edicentes, & mandantes ex nunc ipsa talia testamenta, & quaslibet alias dispositiones contra hoc nostrum Decretum fienda nullas, & nulla esse, & nullius valoris penitùs, & momenti. De præfatis autem rebus, seu scherpa ad pias causas disponere dictas mulieres permittimus quouis modo, atque in ipsos dotantes, & ab intestato venientes supradictis nequaquam obstantibus. Dat. Mediolani die vigesimo Maij MCCCCXVIIII., Indictione xij.

Decretum, quod à sententijs latis per Dominos de Consilio, vel Magistros non possit appellari.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Si in Syndicatu per vos fiendo de olim Potestate nostro Mediolani, & Curia sua porrectus sit, seu porrigatur aliquis libellus contra dictum Potestatem, seu eius Vicarium, vel aliquem ex Iudicibus suis pro eo, quod non detulerint aliquibus appellationibus interpositis à sententijs latis per Spectabiles, Egregios, & Sapientes, dilectos nostros de Consilijs nostris, & Nobiles Viros Magistros Intratarum nostrarum, vel aliquos ex eis, volumus, quod tales libellos non admittatis, nec super eis aliqualitèr procedatis cum nostræ firmæ intentionis fuerit, atq; sit, quod à sententijs latis per præfatos de Consilijs nostris, & Magistros non possit, nec debeat appellari, querelari, nec aliqualitèr supplicari. Datum Mediolani die xvij. Iunij MCCCCXVIIII. Teodorus. A tergo Egregio, Nobilibus, Sapientibus, & Prudentibus Viris Vicario Prouisionũ Communis nostri Mediolani, & socijs deputatis ad Syndicandum olim Potestatem nostrum Mediolani.

DVX Mediolani &c Papiæ, Angleriæq; Comes. Visis respon siuis ad nostras litteras vestrum, & aliquorum aliorum, quibus hoc commiseramus super abusus, fraudibus, & inuolucris solitis, seu possibilibus fieri cum ponuntur ad cridam bona immobilia vendenda sine fideiussoribus &c. Declaramus prædicta attentata fuisse, & attentari contra mentem prouisionem condentium super dictis bonis vendendis, & ideò volumus, & vobis mandamus, quatenùs pro extirpatione, & resecatione horum repertorum octo abusuum, fraudum, & inuolucrorum in introcluso præsentibus folio distinctè annotatorum seruetis, & seruari à modo inuiolabilitèr faciatis effectualitèr has octo prouisiones, & remedia in eodem folio seriosiùs etiam annotatis, tamquam efficaciores obindè repertos, faciendo dictos abusus, fraudes, & inuolucra, & contrarias eis datas prouisiones, & remedia talitèr cum præsentibus nostris litteris registrari, quod ex ipsis abusibus, fraudibus, & inuolucris per præmissas prouisiones, & remedia eligenda quispiam à modo in delusionem cadere non veniat, nec errorem. Dat. Mediolani die xxv. Iulij MCCCCXX. Ioannes. A tergo Prudentibus Viris Vicario, & duodecim prouisionum Communis nostri Mediolani.

Abusus, fraudes, & inuolucra solita, seu possibilia fieri per ponentes ad cridam bona immobilia vendenda &c. de cætero iuxta formam dictarum litterarum cum eorum prouisionibus, & remedijs subijciant, vt infra videlicet.

Primò, quia cum prouisio requirat, ponentem ad proclama possidere, contingit interdum ipsum ponentem ante comparitionem de volendo vendere possessionem à se abdicare, seu desinere possidere aliquo titulo, seu modo, vt, cum sibi videbitur, detegat ipsum proclama non valere.

Secundò, quia cum proclama noceat habentibus ius in re, quæ ponitur ad cridam tempore quo ponitur, siue venditio sequatur, siue non, ac etiam ius acquirentibus à die proclamationum, vsq; ad diem venditionum, si tamen venditio fiat infra annum, & non alijs, contingit interdum per ipsos ponentes antequam ponatur, fieri aliquas obligationes conditionales, vel in diem, vel compromissa in longum protrahenda vlz. post terminum dictarum cridarum, vel similia fieri, vel etiam puras, seu conditionales fieri obligationes etiam postquam posuerint, quibus non nocet, nisi vt supra; facta autē postmodū venditione, purificatis dictis conditionibus, vel factis arbitramentis, sicq; nata tunc actione incipiunt illa bona petere, nec eis potest de proclama opponi.

Tertiò, quia ipsi ponentes antequam ponant, vel post pacisci possunt cum aliquibus eorum creditoribus, vel ius in re habentibus, quod dictum proclama eis non noceat, ex quo emens postea post annum à dicto ponente non possit vti dicto proclamate cōtra ipsos paciscentes.

Quartò, quia cum dicta prouisio non contineat Clericos, potest aliquando contingere aliquem non publicè Clericum ponere bona ad proclama, & demùm, cum sibi videbitur, poterit se fuisse Clericum ostendere, & sic effectum dicti proclamatis deludere.

Quintò, aliqui possessores, vt fraudent creditores, aut alios ius habentes transferunt bona, seu eorum possessionem in alium, qui postmodum ipsa bona ponit ad cridam, ex quo ipsi ius habentes ignorantes ipsa bona fore sibi obligata cum nihil habeant agere cum ipso ponente non contradicunt, & sic remanent defraudati.

Sextò, quia, vt bona nō possint intelligi multas petias terrarum sub vno corpore, & vnitis cohærentijs ponunt ad cridam, & è conuerso de vna petia plures faciunt.

Septimò,

Septimò, quia aliquando aliqui creditores, vigore iurium suorum, bona suorum debitorum apprehendunt, & demùm ipsa ponunt ad proclama, sicque ipsis factis liberis secundum formam dictæ prouisionis postmodum vigore dictorum iurium alia bona, vel apprehendunt, vel ab alijs possessoribus creditoribus defendunt.

Octauò, quia persæpè contingit, quod aliqui non animo vendendi, sed bona nō tantùm ab alienis debitis, quibus forent obnoxia, sed à proprijs liberandi bona ponunt ad proclama, & nemine contradicente bona ipsa libera efficiuntur, quæ postmodum ipsimet ponentes retinent, vel iàm anno præterito vendunt, & creditores eorum iuribus suis priuati remanent.

Prouisiones, & remedia contra præmissa sunt, vt infra declaratur.

PRimum, quod ponens ad cridam teneatur iurare, quod ipsam rem, quàm vult poni ad cridam verè, realitèr, ac nomine suo proprio, & non alieno possidet, ac ad sui commodum.

Secundum, quod ipsi habentes tales obligationes conditionales, vel in diem ex compromissis, vel alio quouis modo aliquo ex contractu celebrato infrà annum ante comparitionem, teneantur comparere, & in terminis in dicta prouisione limitatis, & dicta sua iura in scriptis dare, alitèr ab eis exclusi remaneant respectu bonorum ad cridam positorum, exceptis dotibus, & casibus euictionum in quibus nihil innouetur. Quodque dicta bona non cadant in aliquam obligationem puram, vel cōditionalem, vel in diem ex contractu descendenti, vel ex compromisso, quod, vel quæ facta reperiantur infra annum vnum à tempore dictarum comparitionis, seu etiam proclamationū in antea.

Tertium, quod dicta talia pacta, vel conuentiones non noceant, quin bona posita ad cridam transeant libera in ementes etiam post terminum.

Quartum, quod in casu quo illi, qui ad cridam posuerint compareanr postea Clerici, quod prosit dictum proclama contradicentibus, & emptoribus, & non ipsi ponenti, nec alijs.

Quintum, quod ipsi ponentes ad cridam teneantur nominatim in comparitione exprimere, & in cridis postmodum exprimatur à quo, vel à quibus immediatè datum dominij, vel possessionis habuerit, & hoc si habuerint infra annum vnum ante dictam comparitionem.

Sextum, declaratur, quod si ponentes sciuerint aliquam vnionem, seu separationem, vel diuisionem factam fuisse infra annum proximè præteritum de bonis, quæ ponuntur ad cridam, de quo stetur sacramento ipsius ponentis, teneantur ipsam vnionem, vel diuisionem, seu separationem exprimere in comparitione, & etiam in cridis exprimatur.

Septimum, quod dicta bona sibi cedant in solutum, vsq; ad concurrentem quantitatem veri crediti existentis tempore comparitionis, iura tamen sua sibi remaneant ad defensionem, & pro defensione ipsorum bonorum, & ad agendum causa euictionis, & eatenùs quatenùs sit euictio subsecuta.

Octauum, quod proclama non præiudicet creditoribus ponentis ad cridam, si venditio non sequatur infra annum vbi nemo contradixerit, si verò fuerit contradictum, non prædiudicet creditoribus ipsius ponentis si non fiat venditio infra triennium.

Decretum

Decretum in fauorem Notariorum ne calumnientur, nisi priùs per imputantem satisdetur certis modis &c. & quod est ratificatum per alia decreta de dominio in dominium, quæ sunt ad Cameram Collegij ipsorum Notariorum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Recepimus supplicationem parte Abbatum, & Notariorum Collegij Notariorum huius nostræ Ciuitatis Mediolani in hac forma vlz.

SErenitati vestræ, eidemq; Dominationi Ducali parte Abbatum, & Notariorũ Collegij Notariorum Vrbis vestræ Mediolani suppliciter exponitur, quod quamquam Tabellionatus Officium notabile sit, & onerosum, in quorum Tabellionum gremio Ciuium, & aliorum iura stant, & instrumenta; tamen hominum tanta creuit malignitas, vt improbus quisque, & magis odio, quàm iusta causa audet infamare, & probos quoscumque Notarios scandelizare, eosque falsarios vociferare non timent, & plerumq; ad talium improborum querelam simplicem, & calumniosam Potestas, & Iudices vestri ad maleficia deputati (licèt contra formam decreti Vestræ Dominationis specialitèr super hoc disponentis, quòd contra Notarios de aliquo crimine inculpatos non procedatur nisi prius participato cum Abbatibus ipsius Collegij) processerunt contra Notarios ipsos, vt plurimum indebitè calumniatos, & incipientes à personarum eorum Notariorum detentione, & carcerum mancipatione, vt in plerisq; in non longo exacto tempore experientia extitit, & de quibus, vel aliquibus præfatæ Dominationi aures sumpsere notitiam, & quibus demùm insontibus repertis, nihilominus eorum fama remanet vulgo denigrata, & quæ denigratio nunquã abstergitur, nec sine magnis disturbijs, & expensis potuerunt euadere, neq; possunt, & hoc (Illustrissime Princeps) accidit absurdum, tùm quia ad querelam alicuius, nec etiam per officium non debere contra Notarios, præsertim bonæ reputationis, & famæ, procedi, tùm quia Statutis Mediolani effectualitèr cauetur, quòd si quis accusauerit aliquem, & accusatus fuerit absolutus, quod accusans condemnetur in lib. 50. tertiol. si fuerit de crimine ex quo pœna sanguinis ingeratur, & si fuerit de crimine ex quo pœna sanguinis non ingeratur, condemnetur tantùm in lib. x. tertiol. & alio Statuto cauetur, quòd si accusans remiserit accusam, teneatur soluere nomine pœnæ tantùm lib. x. tertiol. si sit tale crimen ex quo pœna sanguinis ingeratur, & lib. v. tertiol. si sit de crimine ex quo pœna sanguinis non ingeratur, ex quibus leuibus pœnis odio Notarium aliquem habentes non timent, nec stant eum falsarium vocare, infamare, vituperare, ac eum, licet iniustè, in haueris, honoris, & personæ ponere extremum quantumcunq; ipsi calumniantes certi sint illis leuibus Statutorum subiacere pœnis, quod etiam in maximum dedecus vestræ tantæ Vrbis Mediolani redundare dignoscitur, quibus ex causis dictum Tabellionatus officium in tantum deuenit, & imposterum deueniet derisum, quod nemo egregius, & intelligens officium prætactum, & imminentia ei pericula officium illud subire non audet, immo etiam ex authenticis, & famosis ipsum exercentibus officium exercere omittent, & illud dignius officium cuilibet infimæ mecanicæ arti detrudetur, nisi in præmissis Dominatio vestra de opportuno duxerit remedio prouideri, summè itaque Maiestati præfatæ dominationis supplicant exponendo prætacti, quatenùs Dominatio eadem dignetur edicere, ac per litteras opportunas decernere, quòd per vestrum Mediolani Potestatem, nec aliquos Vicarios, Iudices maleficiorum, nec Rectores, nec aliquem eorum, nec alium quemcumque Officialem, tàm præsentes, quàm futuros non procedatur

contra

contra aliquem, vel aliquos ex Notarijs ad querelam alicuius, nec etiam super accusa, nisi accusans pœnam subeat Tabellionis, vel quod saltem ipsum, vel ipsos Notarios accusanti, & accusam non probanti augeatur pœna in Statutis contenta, ipsis Statutis nequaquam obstan. & quod ad captionem personæ, nec alitèr etiam per inquisitionem, vel ex officio contra aliquem Notarium, seu Notarios ipsos non procedatur, nisi priùs participato cùm ipsis Abbatibus, & eorum auditis motiuis, sed in formam decreti antedicti, vel alitèr prouidere, prout præfata Dominatio ijs attentis duxerit augendum, vel alitèr prouidendũ, sic quod tales maligni, improbique ad Notarium iniustè querelandum, iniuriandum, & infamandum non sint tàm veloces, sed quod debitis modo, & forma iuris contra eos Notarios si delinquerint procedatur, & puniatur, prout puniendi erunt. alioquin ipsum notabile Collegium, & in tanta Vrbe necessarium penitùs destruetur, quod non creditur fore Vestræ Iustissimæ Dominationis.

Quare consideratis in Supplicatione suprascripta recitatis, consideratoq; quantum notabile sit, & ponderosum officium dictorum Notariorum, in quorum manibus, & cura multa, & varia diuersarum personarum consistunt Instrumenta. Volentes super requisitis per seriem supplicationis prædictæ ad resistendum improbis, & malignis, qui, quandoq; querelam, seu denuntiam contra Notarios de infamia, & falsitate porrigunt, licet indebitè, salubritèr prouidere.

Edicimus harum serie, & mandamus Potestati nostro Mediolani, ac Iudicibus Maleficiorum, necnon Vicarijs, & Rectoribus quibuscumq; præsentibus, & futuris, cæterisque ad quos spectat, & spectabit, quatenùs decretum nostrum de quo supra fit mentio ad vnguem, & litteram, prout iacent, seruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari. Et vlteriùs si per quemquam de cætero contingeret querelam, seu denuntiam coram eis porrigi contra Notarios eosdem, vel aliquem ipsorum de aliquo crimine, errore, seu falsitate contra eos procedere non debeant, nec processum inchoare, nisi prius talis querelans, seu denuncians idoneè satisdederit de expensis, damnis, & interesse restituendis ipsi querelato (dicto querelante non verificante querelam, seu denuntiam) & de soluendo omnem condemnationem, quæ de tali querelato fieri contingeret si querelam ipsam, seu denunciam verificasset, ac pro infamia arbitrio Iudicis inspecta qualitate facti, & personæ.

Cæterùm decernimus, & mandamus, quod huiuscemodi Notarij, seu Notariorum accusans, & accusam non probans, seu verificans vltra pœnam in Statutis suprascriptis limitatam incurrat, & incurrisse intelligatur, & debeat in pœnam librarum quinquaginta Imper. pro medietate nostræ Cameræ, & pro alia medietate accusato irremissibilitèr applican. prædictis Statutis nequaquam attentis. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Datum Cusagi die decimo octauo Decembris MCCCCXX., Indictione decima quarta. Ioannes Franciscus.

Decretum, quod litteræ concessæ, & concedendæ producantur infra terminum mensis, alioquin &c.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Vt contundantur nonnullorum exquisitæ malitiæ, qui impetrata rescripta, seu litteras nostras ad lites, seu de iustitia producere differunt quousq; eorum partem aduersam meliùs deludere valeant, & supplantare. Volumus, statuimus, & mandamus, quod quicunque à modo concessas, vel concedendas, & quasuis, vt præmittitur, litteras nostras non produxerit, seu eis vsus non fuerit parte citata

legitimè

legitimè infra vlz. vnum mensem proximum à datā concessionis talium litterarum, quo ad concedendas, & à die publicationis præsentium quo ad iam concessas, eis postmodum nullatenus vti possit, quinimmò post illud tempus, quo vsus non est, ipsæ litteræ nullius sint valoris, efficaciæ, vel momenti, & ita facias statim publicè proclamari, sic, quòd aliqui ignorantiam prætendere nequeant, & has litteras in volumine Decretorum nostrorum, ac Statutorum Communis nostri Mediolani inseri, & describi, ac pro lege, & decreto nostro inuiolabilitèr obseruari, nobis de receptione præsentium, & qualiter feceris rescribendo. Dat. Mediolani die vigesimo Iulij MCCCCXXI. Ioannes. Spectabili Potestati nostro Mediolani.

Pro causis appellationum in Ciuitate Cumarum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. A tergo Nobilibus, & Prudentibus Viris Potestati, & Sapientibus Ciuitatis nostræ Cumarum. Visis litteris vestris ad nostras responsiuis super facto causarum appellationum, vel nullitarum interpositarum, & interponendarum committendarum extra Ciuitatem nostram Cumarum &c. per quas scribitis, quod conuocatis penès vos in executione dictarum litterarum nostrarum ex Ciuibus nostris Cumanis melioribus, intelligentioribus, & magis doctis in negotio prædicto vlz. Iurisperitis, Nobilibus, Procuratoribus, & alijs vsque ad numerum xxxij, lectisque prædictis sibi litteris nostris cum copia eis inclusa, & proposito negotio, vt eorum apparere possent clariùs declarare, ipsi omnes, vna nobis concorditèr deliberarunt in hac forma videlicet.

Quia propter Iurisperitorum illic paucitatem sæpiùs contingit causas appellationum, & nullitatum per litigantes interpositarum committi Iurisperitis Ciuitatis nostræ Mediolani, & exindè produci expedir eoràm ibi Commissario die prima iuridica immediatè sequenti diem commissionis libellum appellatorium, iurari, & fideiuberi, & alia fieri, quæ requiruntur ex forma decreti nostri iudiciarij, & deinde coràm ipso Commissario fieri processus, & acta, probationes, & iurium productiones, prout in principali causa fiunt hæc omnia coràm Iudicente sub quo mota est principalis causa, quod non fit sine litigantium expensis, & incommodis, & interdum periculo deserendæ appellationis, propter viarum discrimina, & temporis breuitatem, in dictis appellationum, & nullitatum causis procedatur hoc modo videlicet.

Quod si contingat de cætero fieri commissionem aliquam de causis appellationum, & nullitatum interpositarum, & interponendarum alicui Iurisperito extra Ciuitatem nostram Cumarū commoranti, siue in Mediolano, vel alibi, possint, & debeant per partes, & vtramque earum fieri quæcumque acta, processus, probationes, & iurium productiones, & fideiuberi coràm Potestate nostro Cumarum, & eius Vicario, seu altero eorum illis modo, & forma quibus hæc omnia fierent coràm præfato D. Commissario intra terminos probatorios, & reprobatorios, qui sunt dies viginti iuridici vlz., quibus ascendatur bancum per Magistratus Cumarum pro iure reddendo, & exindè suprascriptus Commissarius sententiam suam proferat infra alios decem dies iuridicos vt supra secundum formam Decreti nostri iudiciarij illic vigentis super agitatis, productis, & ostensis, ac approbatis intra dictos viginti dies coràm suprascriptis Potestate, & Vicario, vel eorum altero, & talis sententia valeat, & teneat, ac si prædicta omnia fuissent agitata coràm Commissario suprascripto, dicto nostro Decreto iudiciario non obstante, &

hoc pro scandalis, expensis, & incommodis euitandis, & vt Cumani non cogantur talitèr extra patriam litigare. In illis autem commissionibus, quæ fient Iurisperitis illius nostræ Ciuitatis seruetur decretum suprascriptum; quia acta, & processus poterunt fieri coràm eis sine periculis aliquibus, & maioribus expensis, & incommodis. Responden. Dicimus, quod antedicta super præmissis deliberatio vtique nobis placet, eamq; approbantes contentamur, & volumus, quod illam effectualitèr obseruetis deinceps, & obseruari inuiolabilitèr faciatis, ac inseri in volumine aliorum ordinamentorum illius nostræ Ciuitatis. Dat. Mediolani die xxiiij. Iulij MCCCCXXII. Io. Franciscus.

Quod Officiales salariati ex commissionibus nullū recipiant priuatū salarium.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Quoddam Decretum per nos nuper compilatum pro tollendis quibusdam abusu, & corruptela quorumdam ex Officialibus nostris, qui pro scriptione, vel delegatione vllius sumendæ informationis, vel iustitiæ cuipiam ministrandæ, aut alicuius negotij explicandi salarium priuatum velle, atque percipere non verentur tibi per copiam mittimus introclusum, volentes, & tibi mandantes, quatenùs decretum ipsum inseri, & describi facias in volumine aliorum Decretorum nostrorum, ac pro lege de cætero obseruari. Dat. Mediolani die xxij. Maij MCCCCXXIII. Io. Franciscus.

Inclusi Decreti talis est tenor.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Sentientes hos abusum, & corruptelam vigere, & practicari inter nonnullos ex Officialibus nostris vlz. quod dum per nos eis, vel aliquibus eorum scribitur, vel delegatur pro vlla informatione sumenda, & vel pro iustitia cuipiam ministranda, aut pro aliquo alio negotio explicando salarium priuatum, seu à partibus in litteris nostris nominatis pro tali commissione, vel delegationis informatione, vel negotio volunt, atque percipiunt, quod displicet summè nobis, ac abusum, & irrationabile satis est cum vnicuique horum nostrorum Officialium benè sufficere debeat taxatum sibi salarium publicum, sed resecatione huiuscemodi abusus, & corruptelæ decernimus per præsentes ex certa scientia, ac præsenti nostro Decreto statuimus, & sancimus, quod qui suis Potestates, Capitanei, Vicarij, Rectores, & Officiales nostri præsentes, & futuri, quibusuis nominibus censeantur, nō audeant, nec præsumant de cætero pro aliquibus talibus commissionibus, vel delegationibus in posterùm eis fiendis salarium vllum priuatum, seu à partibus vtsupra petere, nec recipere directè, nec per indirectum sub irremissibili pœna pro vno denario quatuor nostræ Cameræ applican. cuilibet contrafacienti, & totiens quotiens fuerit contrafactum. Mandantes Syndicatoribus nostris, vt de prædictis inquirant tempore syndicationis Officialiū prædictorum. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli impressione muniri.

Decretum super crimine lesæ Maiestatis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. A priscis ætatibus inter cæteras Mundi politias humana docuit industria,

tria, & ad nostra deduxit tempora, hil melius, nil dignius repertum regimine vnius Principis, quem Principem, & Ducem sagax, & solers rerum natura, nedum perficere nitetur, sed ad alti culminis ipsum sublimatum defendere, & conseruare conatur, contra versutias, & insolentias deprauatorũ hominum, & vsque ab exordio humani generis supra caput suum superiorem molestè ferentium, & contra ipsum plurifariam, & diuersimodè machinantium, propter quod lex proditur, vt humana coerceatur improbitas, rutaq; sit inter sceleratissimos, Principis salus, & constantia, & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur audacia, temeritas, & nocendi facultas, & quos Dei timor à malo non reuocat, humana saltem coerceat seueritas, disciplinæ quoniam metu, & coaceruatione pœnarum peruersi, & subdoli, viam veritatis, & iustitiæ relinquentes, ad eandem sæpissimè reuertuntur, & fiunt, maxime cum nedùm in ipsos delinquentes animaduertitur, sed etiam in eorum progeniem, & sanguinẽ: Ampliùs pertimescentes, vt plurimùm pœnas in liberos, & parentelas promulgatas ex scelere principalium ipsorum delinquentium, quàm proprios nefandissimum quoque scelus, quodque in persona Principis commissum periculosissimum est, cum ex eo tota Respublica lædatur, & iniuria pessima lacessit: cum ex morte, aut læsione Principis totus status Patriæ concutiatur, & tamquam nauicula à fluctibus maritimis agitata in profundum maris compellatur emergi, vnde seueriùs vindicandum, nàm & in veteri testamento legitur ego sum, inquit, Dominus zelotes, visitans peccata parentum, vsque in tertiam, & quartam generationem, & multis exemplis eiusdem scripturæ percipi poteſt, & haberi, quod etiam in iure humano reperitur scriptum, & enarratum. Ideò vt improborum & sceleratorum hominum virus cohibeatur, & extinguatur, & vt quilibet summè, & accuratè vigilet pro salute Principis, cuius salubritas, vita, & incolumitas fundamentum est, & columna totius Reipublicæ status, & quietis, & pacis firmissimum stabilimentum, & cuius personæ defectu, seu læsione maxime ex morte violenta, machinatione sceleratissimorũ cogitata, tentata, tractata, aut ad effectum deducta tota machina Status sui ruit, decidit, & annihilatur in dilapsum, & perniciem Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, locorum, & singularium personarum eorundem, totiusq; suorum Principatus, & Reipublicæ subuersione. Prouida deliberatione sancimus, constituimus, & ordinamus hac nostra constitutione in perpetuum valitura, quod si quis cuiusuis status, dignitatis, & conditionis exiſtat deinceps in hoc delicti genus irrepserit, quod contra personam nostram aliquid mali qualicumq; via, vel modo directè, vel indirectè clàm, vel palàm cogitauerit, deliberando attemptauerit, tractauerit, practicauerit, vel eandem percusserit, aut cæperit, læserit, impetum, vel aggressuram fecerit, vel socius fuerit facientis, aut particeps, vel talia fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut consilium, auxilium dederit, vel fauorem, aut sciens huiusmodi tractatum, cogitamentum, practicam, vel aliquod prædictorum non propalauerit statim, aut illicò cum ad eius notitiam peruenerit, vt reus criminis læsæ Maiestatis perpetuo sit infamis, diffidatus, nihilominus, & bannitus, & vltimo supplicio (quod mortem interpretamur) puniatur statìm sine alio processu cum in fortiam Officialium nostrorum, vel alicuius eorum deuenerit, & in modo mortis seruentur decreta nostra, ac maiorum nostrorum, & vel Statutorum Communis nostri Mediolani, vlz., quod ad caudam animalis per terram trahatur, in locum Iustitiæ ducatur, & ibi furcis vno pede suspensus teneatur donec moriatur, aut tota texatur, vt anima à corpore separetur,

separetur, vel per quarteria scissus ad portas Ciuitatis in altum ponatur. Caput verò eius in summitate Campanilis Broleti baculo ferreo figatur, vt sit omnibus affinibus, & parentelæ suæ perpetuum infamiæ signum, bona eius mobilia, & immobilia, nomina debitorum, & iura quæcumque ipso iure, & facto Cameræ nostræ confiscentur, & incorporentur, ac ipso iure, & facto Cameræ nostræ confiscata, & incorporata intelligantur, & sint etiam absque alijs processu, & declaratione fiendis; fiant habitationes eius desertæ; non sit qui eas inhabitet; dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam; & vt perpetuam infamiæ notam continua ruina testetur, nullo tempore reparentur; ascendentes verò sui, descendentes, & collaterales ex linea masculina, etsi ex tali, & tanto crimine venirent, totalitèr, & vniuersi eradicandi, & exterminandi, ac vltimo supplicio affligendi, cum ascendentes propter filiorum cotrectionem omissam sæpè diuinæ vltionis vindictam excipiant, & descendentes, siue ex genere, & sanguine delinquentis improbato procreati, in quibus paterni, & auiti criminis exempla metiuntur, collateralesue tepidi sint, & remissi circa coleteralium suorum insolentias cohibendas, cortigen., & reprehenden. De Ducali tamen lenitate secũ mitius agere volentes, ne tota progenies, & earum parentela corruant, prædictas pœnas moderandas duximus, ac restringendas vlz., vt locum habeant dumtaxat in patre, filijs, nepotibus, seu ablaticis ex filijs eiusdem delinquentis, & non vltra, & fratre, seu fratribus ex dicto patre descendentibus, ac filijs ipsorum fratrum, hos cum omnes etiam non legitimos consimiles pœnas corporales, & alias supra positas pati volumus, & iubemus, quæ ipsi principali delinquenti, eiusq; bonis, & iuribus possunt, & debent, vt præmittitur, imponi paritèr, & infligi. Si verò Commune, Vniuersitas, Collegium, aut corpus in hoc genus delicti incurrerit, tunc singulares personæ Collegij, aut corpus, quæ participes, aut conscię fuerint huius factionis hauere, & personis puniantur, vt supra extitit constitutum, & ipsius Collegij, & corporis similitèr bona, & iura, ac debitorum nomina publicentur Cameræ nostræ, & esse intelligantur ipso iure confiscata, & incorporata in omnibus, & per omnia proutsupra, & ipsum Collegium, aut corpus totalitèr euanescat, & annihiletur, nec vllo tempore possit erigi paritèr, nec reformari. Communis vero Vniuersitatis maiores, & iurati, & eorum Consiliarij, & singulares personæ participes, aut conscij cũ Commune, vel Vniuersitate, qui hoc crimen commiserint, vel alitèr egerint vtsupra pœnas corporales, & rerum, ac bonorum confiscationem, & incorporationem, vt præmittitur incurrant; bona insuper, & iura, ac debitorum nomina ipsius Communis, & Vniuersitatis similitèr Cameræ nostræ confiscentur, & incorporata, & confiscata sint in omnibus, & per omnia vtsupra, reseruata nobis maiori pœna ipsis Communi, & Vniuersitatibus, ac singularibus personis eorundem quemadmodum visum fuerit imponenda. Postremò si mulier fuerit, quæ in huiusmodi crimen quouis modo, vtsupra relatum est, inciderit, ipsa mulier puniatur in persona, bonis, rebus, & iuribus quemadmodum dictum est superiùs de masculo huiusmodi crimen committente, pœna tamen eius personam non egrediatur nisi prout ius commune dictauerit. Sanè si quis ex his in exordio initæ factionis, studio veræ laudis accensus, ipsam prodiderit factionem, & præmio à nobis, & honore donabitur. Is verò, qui vsus fuerit factione, si incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolutione, & venia dignus habebitur. Et hæc ordinata censemus in augmentum eorum, quæ à iure commun', vel municipali, seu decretis maiorum nostrorum

circa processum, & crimen læsæ Maiestatis statuta noscuntur. Quæ omnia in illis iuribus stabilita, in præsenti lege inserta, & repetita esse volumus, & iubemus. In quorum &c. Datum Mediolani die primo Septembris MCCCCXXIII., secunda Indictione.

Quod Iurisdictio Commissarij ad nil aliud se extendat, quàm ad bonam custodiam Ciuitatis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Ne inter Officia Præsidum, siue Potestatum, & Commissariorum Ciuitatum, & Terrarum dominationi nostræ, & etiam gubernationi suppositarum, in quibus Commissarij aliqui Deputati sint, aut de cætero deputari contingat, disceptatio, controuersia, seu dissensio aliqua oriatur ex eo, quod in dubium vertatur ad quid, & quantum Iurisdictio Commissarij se extendat. Tenore præsentium decernimus, & mandamus, quod Iurisdictio, & potestas Commissariorum nostrorum præsentium, & futurorum ad nil aliud se extendat, quàm ad ea, quæ ad bonam custodiam, & conseruationem dictarum Ciuitatum, seu Terrarum spectent, & nostrum Statum concernant, in quibus eisdem conced.mus plenam potestatem. In cæteris autẽ, quæ spectent ad officium Præsidum, seu Potestatum, non intendimus, quod se aliqualitèr intromittant, quia officia dumtaxat per eos ad quos spectat conuenientius gubernantur, quàm si diuersi Magistratus ea ministrare conentur, & ita volumus, tàm nunc, quàm in futurum inuiolabilitèr obseruetis, nostram hanc intentionem publicari illic opportunum faciendo, & etiam in aliorum voluminum ordine registrari. Dat. Mediolani secundo Octobris MCCCCXXIII.

Decretum, quod pro remissionibus factis de creditis ad Cameram Ducalem concernentibus non comprehendantur credita, quæ Cameræ habebat cum Thesaurario, vel Datiario, aut his personis, quæ habent in se denarios, & bona Cameræ spectantia, & quod bona, quæ applicantur Cameræ, intelligantur ipso iure, & facto incorporata &c. & quod nunquam sublatum sit ius tertij.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Prouidere volentes inconuenientijs, erroribus, & negligentijs, quæ sæpissimè occurrunt præter, aut contra dispositionem nostram, necnon detrimentis, quæ patitur, & pati potest Camera nostra, fecimus, & tenore præsentium facimus infrascriptas declarationes, tàm in præteritis, quàm in pendentibus, & futuris, quas decernimus, & volumus pro lege, & decreto nostro firmitèr, & inuiolabilitèr obseruari. Mandantes vobis, quatenùs declarationes ipsas, vt iacent ad litteram in volumine aliorum Decretorum & Ordinum Cameræ nostræ faciatis registrari, & earum dispositionem, sublata qualibet interpretatione, & dubietate, cessanteq; omni exceptione, ad contextum obseruari.

Primò, si reperiantur aliquæ remissiones, absolutiones, vel abolitiones factæ, siue per Illustrissimum quondam bonæ memoriæ Dominum Germanum nostrum Ducem Mediolani, siue per nos, vel aliquos de cætero fieri contingat de aliquibus creditis, rebus, aut bonis Cameram nostram concernentibus,

 declaramus,

declaramus, & decernimus, quod per tales remissiones, absolutiones, vel abolitiones non intelligantur, neq; aliqualitèr comprehendantur illa credita, quæ Camera nostra habebat, vel haberet cum aliquibus Thesaurarijs, Datiarijs, Gabellatoribus salis, aut alijs personis singularibus, vel etiam Communitatibus habentibus in se de pecunijs, rebus, & bonis ad Cameram nostram spectantibus, nisi nominatim, & specialitèr in talibus remissionibus, absolutionibus, vel abolitionibus de tali re, vel credito nostro specialis, & expræssa fiat mentio, huic Decreto nostro specialitèr & expræsse derogando.

Secundò, cum sæpissimè contingat bona Cameræ nostræ applicari, quæ tamen per ignorantiam, aut negligentiam, aut quandoque per impossibilitatem Officialium nostrorum ad Cameram nostram corporalitèr, aut actualitèr non apprehenduntur, declaramus, decernimus, & mandamus, quod quæcumque bona qualibet occasione Cameræ nostræ quomodolibet spectantia statim postquā Cameræ nostræ applicata fuerint, incorporata Cameræ nostræ sint, ipsoq; iure, & facto apprehensa eadem intelligantur, etiam si actualitèr non sint capta per aliquē Officialem, nec possit opponi, quod non appareat de aliqua incorporatione, nec de processu, vel quod processus factus non sit, & quolibet tempore fieri possit executio, & quia plerumq; contingit aliquibus indulgentiam, aut remissionem fieri, eisque in integrum restitutionem concedi, necnon & bona restitui, & ob id ij, quibus talis indulgentia, & restitutio concessa est intelligere volunt, quod restituta sint eis bona, quæ habebant tempore commissi delicti, quamquam Cameræ nostræ forent applicata, decernimus, & mandamus, edicimus, & declaramus, quod propter aliquam indulgentiam, seu remissionem, tàm per præfatum Dominum Germanum nostrum, quàm per nos quomodolibet concessam, seu concedendam non intelligantur bona Cameræ nostræ applicata, vel applicanda esse restituta, nisi in ipsa remissione, & restitutione fiat de ipsis restituendis bonis mentio specialis, declarando quæ, & qualia bona sint cum speciali, & expræssa derogatione præsentis decreti nostri.

Tertiò, declaramus, decernimus, & mandamus, quod rescriptis, aut litteris Illustrissimorum Dominorum Prædecessorum nostrorum, aut nostris declarantibus commissionem, perpetrationem, aut factum alicuius delicti, vel aliquorum delictorum non possit aliqualitèr opponi, objci, aut allegari, quod non appareat de delicto, aut processu, sed ipsis litteris, aut rescriptis, prout iacent ad contestum credatur, & plena fides adhibeatur etiam in narratiuis super quibus intentio Prædecessorum nostrorum, aut nostra perinde fundetur, ac si omnia in eis narrata, & scripta apparerent actualitèr, & præsumantur omnia solennitèr, rectè, & ritè facta, adeò quod non admittatur aliqua probatio in contrarium.

Quartò, & vltimò, quia non fuit, nec est intentio nostra ius alicui quæsitum tollere, declaramus, & decernimus, quod per aliquas donationes, remissiones, absolutiones, aut alias quasuis concessiones tàm factas, quàm fiendas non intelligatur ius alicui quæsitum sublatum esse in quacumque conceptione verborum tales donationes, remissiones, absolutiones, aut aliæ concessiones factę sint, nisi in eis specialis sit clausula non obstante, quod alteri sit ius quæsitum, seruatis semper declarationibus, & edictis nostris suprascriptis. Dat. Mediolani die sexto Octobris MCCCCXXIII. Ioannes. A tergo. Nobilibus Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum.

Suspensio

Suspensio causarum ciuilium cridata propter morbum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ Dominus. Cum vos Vicarie, & duodecim prouisionum significaueritis nobis, habita longa inter vos, & nonnullos adiunctos discussione, deliberatum tandem fore multis bonis respectibus, maximè ob euacuaram valdè Ciuibus illam nostram Ciuitatem Mediolani, præsertim Aduocatis Collegij, ac Procuratoribus, & Notarijs ob timorem suspicionis pestis, quod infrascriptæ causæ suspendantur, & tàm nos, quàm Incantatores Datij Notariarum causarum ciuilium, tàm Palatij noui, quàm Palatij Iustitiæ, seu credentiæ Mediolani, & cridarum bonorum immobilium vendendorum duxeritis vos pro suspensione eadem suppliciter requirendum. In hoc vobis complacere volentes, easdem causas ciuiles, tàm Palatij noui, quàm Palatij credentiæ, seu Iustitiæ Mediolani, ac cridarum bonorum immobilium vendendorum, ac instantias earundem à die quintadecima præsentis mensis Iunij inclusiuè in antea, vsque ad beneplacitum nostrum suspendendas ex certa scientia duximus, & suspendimus per præsentes. Volentes, & vobis mandantes, quatenùs & vos suspendatis, & insuspenso teneri protinùs faciatis. Volentes etiam ne iura quorumpiā alitèr veniant deperire, quod huiusmodi suspensio retrotrahatur vsque ad diem primam præsentis mensis inclusiuè. Decernentes tamen, quod si aliqua partium à dicta die prima citrà aliquem actum, & processum fecisse non præiudicetur tali actui, nec processui, quin valeat ac si, & prout alìàs de iure valere deberet. Dat. Abbiate die decima quinta Iunij MCCCCXXIIII. Antonius. A tergo Egregijs Viris Potestati nostro Mediolani, ac Vicario prouisionum Communis dictæ nostræ Ciuitatis.

Reuocatio suspensionis suprascriptæ.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ Dominus. Aliàs ad supplicationem vestri Vicarij, & duodecim prouisionum, ac Incantatorum Datij Notariarum causarum ciuilium, tàm Palatij noui, quàm Palatij Iustitiæ, seu credentiæ Mediolani, & cridarum bonorum immobilium vendendorum suspendidimus (bonis respectibus, maximè ob euacuatam valdè Ciuibus dictam nostram Ciuitatem Mediolani, præsertim Aduocatis Collegij, ac Procuratoribus, & Notarijs ob timorem suspicionis Pestis) easdem causas ciuiles, tàm Palatij noui, quàm Palatij Iustitiæ, seu credentiæ Mediolani, & cridarum bonorum immobilium, ac instantias earundem à die quintadecima proximè præteriti mensis Iunij inclusiuè in antea, vsque ad beneplacitum nostrum. Nunc autem quo dictus suspectuosus timor ferè ex toto cessauit, & Ciuitas ad pristinam reducitur sanitatem, prædictorum omnium ciuilium causarum, earumq; instantiarum suspensionem præsentium tenore ex certa scientia finiri volumus, & protinùs tolli die decimoseptimo Octobris prox. fut., & eas exnunc pro dicto tempore tollimus, & protinùs annullamus. Ita, & talitèr, quod finitis præsentibus ferijs Sancti Michaelis, quæ durant vsque per totam diem quartamdecimam dicti mensis Octobris, & quintodecimo die mensis Octobris, quo erit dies Dominicus, & die decimosexto Octobris prædicti, quo erit Festum Sancti Galli finitis, litigia restaurentur, & ad ea, solito more, procedi possit, & paritèr procedatur. Volentes, & vobis mandantes, quatenùs de amotione, & annullatione dictæ suspensionis statìm fieri faciatis publicas proclamationes, vt proinde omnes, qui habent

bent aliqua litigia præ manibus, præsertim prædicti Aduocati, Procuratores, & Notarij tempestiuè, & partes quorum sint ipsæ causæ auisentur de redeundo ad Ciuitatem, quo debito tempore ad dicta sua litigia intendere possint. Dat. Abbiate die xxviij. Septembris MCCCCXXIIII. Antonius. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur. Egregio Viro Potestati nostro Mediolani, ac Nobili, & Sapienti Legum Doctori Vicario prouisionum dictæ nostræ Ciuitatis.

Decretum contra Notarios Maleficiorum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Recepimus supplicationem continentiæ subsequentis videlicet.

Illustrissimæ Dominationi vestræ Ducali supplicatur cum reuerentia pro parte vestrorum fidelissimorum seruitorum nonnullorum ex Ciuibus, & habitatoribus Ciuitatis vestræ Mediolani, ac plurimorum Communium, & hominum, ac singularum personarum diuersorum Vicariatuum Ducatus vestri Mediolani, quod per Notarios Maleficiorum, tàm residentes in Curia Potestatis vestri Mediolani, quàm in Ducatu, ad banchum videlicet Capitanei vestri Martoesanæ, & Capitanei vestri Seprij, & per Notarios etiam banchum damnorum datorum supplicantes ipsi, seu aliqui eorum sæpiùs angarianiur, ac frustrantur laboribus indebitè, & iniustè, & sine vera causa mittendo pro hominibus, & asserendo, quod fuerunt accusati, quod debuerint lusisse ad taxillos, vel blasphemasse, vel fecisse rixam, aut damna dedisse, vel aliud commisisse, quod tamen non erit verum, nec dicere volent quis sit accusator, sed hoc faciunt ad hunc effectum, vt per priùs satisdent, & eis soluant pro satisdatione soldos viginti vnum, & denarios quatuor Imper. pro quolibet, & postea aliud non fiet, sed ostendetur eis facere gratiam in non procedendo vlteriùs: quare dignetur præfata Dominatio super hoc prouidere, mandando per patentes litteras vestras, quòd per aliqua asserta accusa, seu querela porrecta, nec porrigenda contra aliquem, seu aliquos ex ipsis Supplican., siue ad Officiũ Maleficiorũ in Curia Dñi Potestatis Mediolani, siue ad banchum Capitanei Marthesanæ, siue ad banchum Capitanei Seprij, siue ad banchum damnorum datorum non possit, nec debeat mitti pro ipsis accusatis, seu querelatis, nec eis aliquid accipi, neq; cogi ad aliquam satisdationem præstandam, nisi priùs facto per ipsos debito processu, in quo expressa sint nomen, & cognomen accusatoris, seu querelantis, & verificata dicta accusa seu querela. Mandando Potestati vestro Mediolani, ac Capitaneo vestro Marthesanæ, & Seprij præsentibus, & futuris, quod ita faciant obseruari, nec permittant ipsos Supplicantes, nec aliquem eorum aliter molestari. Quare, attentis superiùs narratis, molestissimum habentes, quod Subditi nostri, tam enormitèr, & indebitè lædi debeant paritèr, & aggrauari, decernimus tenore præsentium, & mandamus, quod Iudex quicumque Maleficiorum, ac Notarij quicumque Maleficiorum Ciuitatis, ac Ducatus Mediolani, & damnorum datorum nequaquam possint, nec debeant vigore officij sui mittere aliquam citationem, vel præceptum alicui Communi, vel singulari personæ occasione alicuius delicti, nisi præcedat accusa, denuncia, vel querela eorum officio porrecta, aut porrigenda, aut inquisitio debito modo formata, & nisi in tali citatione, vel præcepto sit expressa causa propter quam citatio, vel præceptum mittitur, paritèr nomina, & cognomina eorum, qui accusasse, querelasse, aut denunciasse, vel inquisiuisse dicuntur, simùl & locus assertorum com

missorum

missorum delictorum, ac nisi prius pro parte accusantis, querelantis, aut denunciantis fuerit idoneè satisdatum iuxta formam Statutorum, & Ordinamentorum superindè disponentium sub pœna cuilibet Iudici, ac Notario contrafacienti lib. decem Imper. Cameræ nostræ applican. quotiens per eum fuerit contrafactum, & intelligatur Iudicem, & Notarium contrafecisse cum subscripserint vllam citationem, aut scripturam præmissis non seruatis, & vlteriùs alitèr acta non valeant, & quilibet Iudex, ac etiam Notarius cõtrafacientes teneantur molestari ad emendam, & credatur ipsi molestato cũ eius sacramento de molestia, & de quantitate sibi ablata, seu per eum soluta, & quicumque superior Iudicis, ac quilibet Iusdicens Ciuitatis, & Ducatus Mediolani ad quem per molestatum recursum fuerit teneatur statim ad omnem requisitionem ipsius molestati realitèr, & personalitèr compellere Notarium contrafacientem vtsupra ad dictam emendam fiendam sub simili pœna lib. decem Imper. applican. vtsupra. Mandantes Potestati nostro Mediolani, & Capitaneo nostro Marthesanæ, & Seprij, cæterisque Officialibus nostris ad quos spectat præsentibus, & futuris, quatenùs huiusmodi intentionem nostram, & mandatum seruent firmitèr, & exequantur, ac seruari faciant inuiolabilitèr, & executioni mandari. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli impressione muniri. Dat. Mediolani die vigesimo Augusti MCCCCXXV. tertia Indictione. Ioannes Franciscus.

Decretum contra Notarios Maleficiorum, & damnorum datorum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Quoddam Decretum per nos nuperrimè compillatum de tollendis enormibus extorsionibus, quæ committi videntur per Notarios Maleficiorum, tàm ressidentes in Curia Potestatis, quàm in Ducatu ad banchum vlz. Capitanei nostri Marthesanæ, Capitanei nostri Seprij, & per Notarios etiam banchi damnorum datorum vobis mittimus his annexum. Volentes, & vobis mandantes, quatenùs Decretum ipsum statim faciatis publicè diuulgari, & diuulgatum inseri, & describi in volumine aliorum decretorum nostrorum, & Statutorum nostrorum Communis nostri Mediolani, ac pro lege inuiolabilitèr obseruari. Quodq; decretum idem subsequentèr per copiam transmittatis dictis nostris Capitaneis Marthesanæ, & Seprij, vt ipsi illud pariformitèr diuulgari faciant, & seruari, nobis de harum receptione, & qualitèr in præmissis feceritis rescribendo. Dat. Mediolani die xxiij. Augusti MCCCCXXV. Ioannes. A tergo Egregio, ac Nobili, & Sapientibus Viris Potestati nostro Mediolani, necnon Locumtenenti Vicarij prouisionum Communis dictæ nostræ Ciuitatis.

Decretum, quod si fierent sequestra per denuncias, habeant eandem vim, & robur ac si facta essent per viam præceptorum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Ad tundendos fallaces astus, & machinationes subdolas eorum, qui cum aliquid sibi deberi, aut aliquid interesse prætendant, & obindè retentiones bonorum mobilium, seu se mouentium ex quibus assequi aliquid sperant fieri facere velint id potiùs per denunciationes, seu denunciamenta cum publicis instrumentis temptant, & efficiunt, quàm per viam sequestri

vel

vel sequestrationis, vt eos contra quos talia moliuntur vehementius irritent, & immo leuant, quod etiamsi facta sequestra, seu sequestrationes, si bona, & idonea cautio, vel fideiussio pro re sequestrata, seu rebus sequestratis adhibeatur relaxari consueuerunt, & debent ex forma Statutorum, talis relaxatio nihilominus cesset, ex quo sequuntur maxima disturbia, incommoditates, & expepsæ ijs contra quos talitèr agitur. Considerantes nos igitur huiusmodi denunciationes, seu denunciamenta sæpè, ac sæpiùs potiùs malignitate, ac fraudolentèr ad impediendum, & inuolucra faciendum, quàm æquitate ad consequendum fieri, cognoscentesq; iuri prætensi denunciatoris dignè satis, & sufficientèr prouisum iri si pro rebus, aut sequestratis, aut denunciatis bonam præstiterit, & idoneam cautionem vtsupra, decernimus tenore præsentium, statuimus, volumus, & mandamus, quod præsentes denunciationes, seu denunciamenta, tàm facta, quæ pendeant, aut super quibus nullus processus factus sit, quàm quæ fieri contingeret solam vim sequestri, vel sequestrorum obtineant, nec amplius denunciatori opitulari possint, quàm si sequestrum, aut sequestrationes essent, eandemq; vim habeant, & eodem modo seruentur in denuncijs, vel denunciamentis Statuta de relaxandis sequestris per fideiussionem, ac si præcisè, & simplicitèr de denuncijs, seu denunciamentis loqueretur, ita quod & ij, qui denunciauerint, seu denunciari fecerint, & ij contra quos denunciatum fuerit eodem in statu, & conditione sint, ac si per viam sequestri, vel sequestrationum processum esset, volentes, vt hanc sententiam, & præsens Decretum nostrum facias publicè diuulgari, ac in volumine aliorum Decretorum nostrorum inseri, & describi, firmitèrq; & inuiolabilitèr obseruari. Dat. Mediolani die xxv. Augusti MCCCCXXV. Ioannes. A tergo Egregio Potestati nostro Mediolani.

Datum Notariæ damnorū datorū, & vetitorū Ciuitatis, & Ducatus Mediolani.

MCCCCXXVI. die Iouis x. mensis Ianuarij.

Mandato Dominorum Magistrorum Intratarum ordinariarum Ducalium. Notum sit vniuersis, & singulis, quod datium Notariæ damno tum datorum, & vetitorum Incantatum est anno præsenti MCCCCXXVI. cum pactis infrascriptis videlicet.

Primò, quod Notarij, qui habebunt ad incantum Datium Notariæ suprascriptæ habere debeant pro qualibet accusa iustè, & legitimè portata, ac verificata ad officium Notariæ suprascriptæ soldos quinque Imper. pro quolibet accusato, & soldos quinque Imper. pro quolibet vetito, & hoc pro comparitione, responsione, satisdatione, & sententia, quæ fieri contingeret occasione suprascriptæ accusæ, & quod suprascripti Notarij aliquid aliud non accipiant, nec accipere possint, sub pœna librarum decem Imper. qualibet vice applicanda Cameræ Domini pro medietate, & pro alia medietate accusatori, & quas accusas ipsi Notarij non accipiant, nisi priùs iuratæ fuerint per accusatores dictæ accusæ in manibus Iudicis, & debito modo verificatæ, alitèr accusæ non valeant, nec solutionem aliquam accipere possint, nec aliquis proinde citari possit, nec molestari, sub pœna suprascripta.

Item, quod Notarij suprascripti habere possint, & debeant pro satisdatione cuiuslibet campariæ vlz. pro quolibet Burgo sol. sex Imper., pro qualibet satisdatione cuiuslibet loci cum eius territorio soldos quatuor Imper., & non vltra, sub pœna suprascripta.

Item,

Item, quod suprascripti Notarij habere possint pro satisdatione cuiuslibet Camparij iurati soldos duos Imper. si Camparius constitutus fuerit ad instantiam alienius personæ.

Item, quod Iudex dicti Datij Notariç damnorum datorum, & vetitorũ sit Iudex Domini Potestatis Mediolani ad signum Galli, qui Iudex ius reddat dicto officio cum deliberatione tamen Curiæ Domini Potestatis Mediolani, seruata tamen forma Statuti, & Ordinamentorum Domini, & Communis Mediolani.

Item, quod non sit aliquis alius Iudex, Officialis, nec aliquis alius Iusdicens, qui se impediat de dicto Officio damnorum datorum, & vetitorum sub prætextu possessionis turbatæ, sub pœna lib. quinquaginta Imper. applicanda vtsupra.

Item, quod dicti Notarij, ac dicti Officiales nequeant, nec debeant cogere aliquem habentẽ vacas, pecudes, porcas, capras, moltonas, seu castrones ad satisdandum, nisi requisiti fuerint per aliquem, seu aliquos habentes possessiones, & bona propè locum dictarum bestiarum per miliaria duo, & quod sufficiat de vna sola satisdatione, etiamsi plures requisiuerint, & quod dicti Notarij habeant, & habere debeant pro dictis satisdationibus sol. quatuor Imper., & non plus, ita tamen, quod nemo proinde molestetur, nisi priùs appareat opportunè id pro quo molestari voluerit, sub pœna suprascripta.

Item, quod Dominus Vicarius prouisionum, nec duodecim Præsidentes dicto Officio se impediant de dicto Officio, nec de solutionibus eiusdem, nec etiam de Notarijs dicti Officij, sed eorum Iudices competentes sint Dominus Potestas Mediolani, & Magistri Intratarum ordinariarum, & Iudex Datiorum, & quilibet eorum insolidum, qui dictis Notarijs ius ministrent.

Item, quod dicti Notarij non audeant, nec præsumant aliqualitèr molestare, nec molestari facere aliquam personam, nisi priùs facta condemnatione, saluo, & præterquam pro prima citatione, dum tamen procedat verificatio vtsupra, sub pœna vtsupra. Maynardus de Grassis Notarius Officio Domini, & Referendariæ Communis Mediolani subscripsit.

Decretum super baratarijs, & extorsionibus.

DVX Mediolani &c. Cum nihil molestiùs, animoq; nostro grauiùs valeat obtingere, quàm quod Iusdicentes, & Officiales nostri, qui in Magistratu præsident, & aliorum habent, & debent malefacta corrigere, malefaciant, ac prauè, aut iniquè se gerant, deliberanimus eos tali documento reddere præmonitos, quo, nisi prorsus desipiant, non operent solùm, sed omnem etiam cogitationem ab omni iniustitia, malignitate, & transgressione debeant auertere, ac si sibi consulere velint eos se viros præstare, qui prudentes, & benemeriti, collataq; administratione digni habeantur, præsentis itaq; prouisionis, ordinis, & decreti nostri serie statuimus, decernimus, & mandamus, quod Iusdicentes, & Officiales nostri omnes, qui habent iusdicere, tàm præsentes, quàm futuri singulis sex mensibus debeant syndicari, & eorum, suæq; familiæ acta plenaria discussione reuideri per Syndicatores nostros electos, & eligendos, qui in talibus syndicatibus ius debitum ministrent hoc ordine. Quod si Iusdicentes, & Officiales ipsi comperti fuerint commisisse baratarias, aut aliquam extorsionem indebitam, vel scientèr, & dolosè fecisse aliquam iniustitiam, puniant ipsos in priuationem officij, & in pœnã quadrupli, cuius medietas Cameræ nostræ applicetur, al-

tera verò medietas baratatis, vel extortis, aut iniuriam passis, & vlteriùs in ictibus decē cordę, vel in alia pœna corporali etiam vsq;ad vltimū supplicium inclusiuè ad arbitrium Syndicatoris inspecta qualitate delicti inferenda, & per syndicatorem exequenda, & si comperti fuerint accepisse munera ex iure communi scripto accepi non concessa, puniant ipsos in pœnā quadrupli nostræ Cameræ applicandā; super alijs verò casibus ius ministrent absoluēdo, vel condemnando prout sibi videbitur, inspecta negotij qualitate, teneanturq; omnes, qui iam querelas porrexissent, aut porrigerent de Iusdicentibus, & Officialibus ipsis huiusmodi querelas tempore syndicatuum prosequi, vsq; ad cognitionem, & diffinitionem earū, sub pœna qua incurrerent Officiales si essent in culpa, Volentes, quod hanc intentionem, præsensq; decretum nostrum in locis consuetis Ciuitatis nostræ Mediolani, & in Terris etiam & locis Ducatus eiusdem publicari faciatis, ac registrari subsequentèr, & in aliorum Decretorum, & ordinamentorum nostrorum volumine inseri, & describi, nobis de receptione præsentium, & qualitèr feceritis rescribendo. Dat. Mediolani die xxvj. Ianuarij MCCCCXXVIIII.

Deo gratias Amen.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Ad eradicandam multarum calumniarum materiam, etiam alijs pluribus laudabilibus, & dignis respectibus Statuti nostri Communis Mediolani posita, alterum sub rubrica de non prosequentibus accusam, incipiens: Si quis aliquem accusauerit, vel denunciauerit &c., alterum de Sapientibus dandis &c. reformari fecimus aliquibus super alijs quibusdam additionibus factis ad quas rationabiles causæ nos mouerunt, prout videbitis ex tenore decretorum nostrorum præsentibus inclusorum. Volentes, quod huiusmodi nostra decreta in locis consuetis publicari statim faciatis, ac inseri, & describi in volumine Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani, necnon pro lege firmitèr, & inuiolabilitèr obseruari. Dat. Abbiate die xviiij. Iulij. MCCCCXXXI. Franchinus. Ioannes. A tergo Egregijs Potestati, Vicario, & duodecim prouisionum Communis nostri Mediolani.

Decreta suprascriptis litteris inclusa sequuntur hoc modo vlz.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Quoniam ex Statuto de Sapientibus dandis sito in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani bono respectu condito multa inconuenientia sequuntur, & per calumnias litigantium, quod bono initio interdum est ad malum exemplum sæpè deducitur experientia rerum magistra docente. Volentes multimodas calumnias, & insolentias refranare edicimus serie præsentium, decernimus, & mandamus, quod in quibuscumque causis ordinarijs, vel extraordinarijs motis, seu mouendis in Ciuitate, seu Ducatu nostro Mediolani coràm quocumq; Iusdicente, in quibus petitur Consilium Sapientis super aliquo articulo emergenti, incidenti, dependenti, vel connexo, vel orienti, aut dubio occurrenti in dictis causis, vel ob eas vt supra, non teneatur, nec debeat Iusdicens ipsum Consilium Sapientis dare, nisi hoc processerit de voluntate vtriusque partis, vel nisi pars altera tantùm petens deponat apud Campsorem idoneum per Iudicem eligendum salarium Sapientis requisiti arbitrio Iudicis, coràm quo petitur, & vltra hoc libras duodecim

tertiol.

tertiol.dandas aduersario contra quē petitur Consilium Sapientis si succubuerit in eo super quo petitum fuerit Consilium, adhuc idem petens dictum Consilium, & succumbens condemnetur in expensis ea occasione factis, omni exceptione repulsa, & ipso denegato, vel non concesso, etiamsi per alteram partium tantum petitur, quæ prædictis non satisfecerit, nihilominùs processus postea factus valeat, & teneat, & Iusdicens denegans, vel non concedens nullam pœnam incurrat, & vbi de voluntate partis vtriusque petitur ipsum Sapientis Consilium, vel ab altera tantùm satisfaciendo vt supra, vni partium confidenti committat de Collegio Iudicum nostræ Ciuitatis Mediolani. Qui Sapiens nullum socium petere possit, seu adiunctum, sed ipse solus decidere debeat articulum sibi commissum intra tempus debitum, quod non sit maius duodecim diebus sub pœna in nostris decretis contenta, etiamsi vtraque pars adiunctum peteret sibi dari, & si aliquod grauamen reperiretur illatum contra formam consilij ex processu, possit tolli, & reparari per Iusdicentem, qui habebit decidere illud, aut cum qui habebit consulere super eo, quod principaliter agitatur, quo verò ad commissionem negotij principalis causæ, seu appellationis fiendæ; volumus Statuta Communis nostri Mediolani seruari debere eo addito, quod Commissarius principalis ipsius causæ, seu appellationis non possit petere adiunctum sibi dari, nec ei detur sub pœna florenorum centum applicandorum Cameræ nostræ. Item statuimus, & decernimus, quod in quibuscumque causis victus victori condemnetur in expensis per Commissarium Consultorem, seu Iudicē causæ, nisi eū duxerit absoluen. propter iustam causam litigandi, quod facere possit, si iurauerit in absolutione ad Sancta Dei Euangelia manu corporaliter tactis scripturis, sibi videri dictū victum habuisse iustā causam litigandi, & eam expresserit in ipsa sententia, & hoc sub pœna dupli ipsarum expensarum, quam pœnam ipso iure, & facto incurrat Consulens Commissarius, seu Iudex, qui prædicta non seruauerit, quarum medietas perueniat Cameræ nostræ, & alia medietas victori, & hoc non obstantibus aliquibus Statuto, consuetudine, seu stylo, seu fori Mediolani, qui potiùs sunt, & dici possunt corruptellæ. Mandantes Potestati nostro, Vicario, & duodecim prouisionū Cōmunis nostri Mediolani, quatenùs huiusmodi nostrum decretū publicari in locis consuetis ac inseri faciant, & describi in volumine decretorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani, & pro lege inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli impressione muniri. Dat. Abbiate die xviij. Iulij MCCCCXXXI. Franchinus.

Decretum contra deferentes querelas.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Animaduertentes, quod ex paucitate pœnæ impositæ accusatoribus, & denunciatoribus per Statutum nostrum Mediolani positum sub rubrica de non prosequentibus accusam, incipiens: Si quis aliquem accusauerit, vel denunciauerit coràm aliquo Iusdicente &c. nonnulli hominum calumniosè, aut temerariè prosiliunt ad accusationes, vel querelas faciendum de insontibus. Et volentes huic morbo prouidere, dictum Statutū duximus reformandum in hac forma videlicet. Si quis aliquem accusauerit, vel denunciauerit coràm aliquo Iusdicente de aliquo crimine, & ipsam accusam, seu denunciationem prosequutus fuerit, vsque ad sententiam. Si lata fuerit sententia absolutoria, talis accusans, vel denuncians condemnetur in libris ducentis

tertiol. vsque in duabus millibus tertiol. arbitrio Iudicis, attenta qualitate personarum, criminis, & calumniæ. Si accusatio, seu denunciatio fuerit de crimine de quo pœna sanguinis ingeratur, & in libris xxv. vsque in ducentis arbitrio Iudicis, consideratis qualitate personarum, criminis, & calumniæ. Si fuerit de crimine de quo pœna sanguinis non ingeratur, & in vtroque dictorum casuum condemnetur talis accusator, seu denunciator in expensis accusato, seu denunciato, quarum pœnarum medietas perueniat in Commune Mediolani, & alia in accusatum, seu denunciatum, & si plures accusauerit, vel denunciauerit etiam in eadem accusatione, seu denunciatione, & prosecutus fuerit vtsupra, & data fuerit sententia absolutoria vtsupra, condemnetur pro quolibet accusato, seu denunciato in quantitate supra comprehensa in quolibet casu singula singulis congruè referendo. Volentes insuper, & mandantes, quatenus Potestas, & alij Iusdicentes, & Notarius Maleficiorum tàm Ciuitatis, quàm Ducatus Mediolani, præsens nostrum Decretum, & Statuta posita sub rubrica generali de ordine procedendi in criminalibus, & accusationibus, & denunciationibus, & alijs rubricis sequentibus in ordine Statutorum in criminalibus seruent, & seruare debeant, sub pœna librarum quinquaginta tertiol. pro quolibet eorum contrafacien. Potestate, Iusdicente, aut Notario, non obstantibus aliquibus consuetudine, stylo contrarijs, qui, & quæ potiùs dici debent corruptelæ. Mandantes Potestati, Vicario, & duodecim prouisionum Communis nostri Mediolani, quatenùs hoc nostrum decretum publicari in locis consuetis, ac inseri faciant, & describi in volumine Statutorum, & Decretorum Communis nostri Mediolani, & pro lege inuiolabilitèt obseruari. Dat. Abbiate die xviiij. Iulij MCCCCXXXI. Franchinus.

Renocatio suspensionum causarum ciuilium.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Supplicationem quandam recepimus parte Notariorum causarum ciuilium nostræ Ciuitatis Mediolani; & Ducatus vobis mittimus introclusam, & ipsius attenta continentia maximè ne quæstiones ipsæ ampliùs in longũ deducantur, mandamus vobis quatenùs statim his receptis publicè ad scalas palatij noui Ciuitatis nostræ Mediolani in Broleto diuulgari faciatis. Quòd in causis omnibus ciuilibus alijs per litteras nostras suspensis procedi possit, & debeat ad instantiam partium, seu alterius earum à die septimo in antea post ipsam publicationem factam vtsupra, quarum causarum ciuilium suspensiones à dicto die septimo vtsupra, per præsentes reuocamus, si tamen aliquis ex isto ordine nostro se grauatum senserit, aliqua particulari, & speciali causa, compareat coram spectabilibus de Consilio nostro recepturus Iustitiæ complementum. Dat. Mediolani die vj. Nouembris MCCCCXXXI. Franchinus. Ioannes. A tergo Egregio Nobili, & Sapientibus Viro Potestati nostro Mediolani, & Vicario prouisionum eiusdem Ciuitatis.

MCCCCXXXII.

Decretum pro Incantibus Datij Notariæ Maleficiorum.

NOtaria Maleficiorum Communis Mediolani pro vtilitate, prærogatiuis, commoditatibus, & emolumentis, quæ percipi possunt ex illis parte, & partibus Ducatus Mediolani, quæ præsentialitèr tenentur per Illustrissimum

Principem

Principem, & Excellentissimum D. D. Ducem Mediolani &c. locanda est ad annum vnum incipiendo in Kalendis Ianuarij proxime futuri anni MCCCCXXXII. resego, & periculo Incantatoris, & cum pactis, & ordine infrascriptis.

Primò, quod Notarij Maleficiorum Communis prædicti possint accipere, & habere pro qualibet inquisitione formata, & pro citatione fienda sub prædicta inquisitione, & pro satisdatione, inquisitione, remissione, omnibus computatis, iuxta taxationem aliàs factam in summa sol. x. & denar. viij. Imper., & si foret talis inquisitio super qua sequeretur fieri alios actus, quàm supra dictum est, quod pro alijs scripturis fiendis possint ipsi Notarij habere denar. ij. tertiol. pro qualibet linea congruè scripta, & prout seruatum fuit pro tempore præterito vlz., quod linea ipsa debeat habere litteras quadraginta alphabeti, nullis titulis computatis, tituli tamen ipsi congruè apponantur.

Item, quod dicti Notarij possint, & debeant habere de protogationibus cuiuslibet banni sol. duos Imper.

Item, quod dicti Notarij possint habere, & recipere de quolibet, qui eximantur de banno de Maleficio sol. x. Imperiales.

Item, quod de qualibet sententia, siue absolutoria, siue condemnatoria in pecunia lata, si fuerit à libra vna, vsq; in libris xxv. tertiol., possint habere, & habere debeant sol. x. Imper., & si fuerit à lib. xxv. supra, vsque in libris centum, habeant sol. xv. Imper., & si fuerit à libris centum supra, habeant libram vnam Imper., & si fuerit in criminali pro qua pœna sanguinis ingereretur, quod possint habere solutiones prædictas in duplum pro quolibet condemnato.

Item, quod de descriptione bonorum, quæ fieri contingent si fuerit in Ciuitate, & Suburbijs, vel Corporibus Sanctis Mediolani, possint accipere sol. x. Imper., & si fuerit in Comitatu, vel in Ducatu Mediolani longè per miliaria x., possint habere sol. xx. Imper. ad computum sol. vnius pro quolibet miliario, & si contigerit pro ipsis bonis aliquas defensiones, vel scripturas fieri, quod vltra prædictas solutiones accipere possint pro scripturis fiendis ad computum denariorum duorum tertiol. pro qualibet linea congruè scripta vtsupra, & quod nullus alius Notarius, nec Officialis possit, nec ei liceat aliquas descriptiones facere, sine prædictis Notarijs, seu aliquo eorum, sub pœna floren. xxv. pro qualibet vice. Prædicta in hoc capitulo contenta seruentur; saluo, quod teneantur ipsi Notarij Maleficiorum antequam vadant ad faciendum descriptionem aliquorum bonorum alicuius malefactorum requirere Magistros Intratarum extraordinariarum, si aliquem Officialem cum eis mittere volunt pro interesse Cameræ Ducalis sub pœna floren. xxv. pro qualibet vice qua fuerit contrafactum, & datam sibi personam per dictos Magistros teneantur secum admittere.

Item, quod non sit aliquis Notarius, seu Cancellarius, nec aliqua persona in futurum, quæ se intromittat de Officio Maleficiorum prædicto, nec de inuentionibus bladorum, salis, ferri, & huiuscemodi, nec de aliquibus scripturis Officio Maleficiorum spectantibus, præterquam Notarij prædicti, & eorum socij, sub pœna floren. centum auri applican. pro medietate Cameræ Illustriss. D. N., & pro alia medietate ipsis Notarijs, & de prædictis adhibeatur plena fides vni ipsorum Notariorum cum eius sacramento, & vno teste fide digno, vel alicui scripturæ subscriptæ manu dicti Notarij, qui se intromisisset vtsupra.

Item, quod ipsi Notarij Maleficiorum, vel eorum socij sint, & esse debeant

Notarij Maleficiorum cuiuslibet Officialis, Rectoris, Vicarij, Capitanei habentium merum, & mixtum imperium, tàm in Ducatu, quàm in Ciuitate Mediolani, & non possint tenere, nec habere alios Notarios, nec Cancellarios, quàm ipsos Notarios Maleficiorum, seu eorum socios, qui exerceant d. Officiū Maleficiorū, & quæcumque, quæ spectare possint ad ipsa eorum officia tàm in ordinario, quàm in extraordinario, sub pœna salarij vnius mensis applicanda vt supra, & adhibeatur fides ipsis Notarijs, seu vni eorum vt supra, & saluo, & intellecto, quod Egregius Commissarius generalis, & Executor Illustrissimi Principis, & Excellentissimi D. D. nostri D. Ducis Mediolani &c. vt est Leonardus de Leonardis, & similes, & successores possint habere, & tenere vnum Notarium sibi fidum pro secretis occurrentibus officio suo sicuti sibi placuerit.

Item, quod ipsi Notarij teneantur, & debeant solutionem dicti Officij facere cui, vel pro quibus placuerit DD. Magistris Intratarū extraordinariarum singulo mense pro rata prout soluitur pro Datijs Communis Mediolani, & etiam illo cambio, quod soluitur pro alijs Notarijs Mediolani.

Item, quod fiant, & emanentur parte Illustriss. D. D. nostri, Potestati, Mediolani, Executori, Capitaneo portarum, & Capitaneis Ducatus, quod ponant ipsos Notarios, & eorum socios in possessionem dicti Officij, & positos manuteneant, & defendant, & quod procedant in criminalibus, & alijs dicto Officio, tàm in ordinario, quam in extraordinario spectantibus, & tangentibus sicut processum est per eos hinc retro, & quod non permittant Cancellarios suos, nec aliquos alios præterquam Notarios prædictos, & eorum socios intromittere de dicto Officio, sub pœna prædicta applican. vt supra, excepto dicto Leonardo de Leonardis, qui possit habere, & tenere Notarios in omnibus, & per omnia prout in nouo capitulo superiùs descripto cōtinetur.

Item, quod incantetur dicta Notaria suis releges, & periculis, & cum pacto de rapis, & spinelis, prout incantantur alia Datia Communis Mediolani.

Decretum contra exemptos ementes bona non exemptorum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Ad obuiandum fraudibus, quas multipliciter commissas esse sentimus in Cameræ nostræ præiuditium pro bonis non exemptis, in exemptos fictitie translatis, Decretum compilari fecimus, quod videbitis his inclusum, volentes, quod ipsum statim publicari, & in aliorum Decretorum nostrorum volumine registrari faciatis, & ad litteram inuiolabiliter obseruari. Dat. Mediolani die septimo Augusti MCCCCXXXII. Franchinus. Ioannes. A tergo Egregijs, Sapientibus, ac Nobilibus, & Prudentibus Viris Potestati, ac Vicario, & duodecim prouisionum Communis Ciuitatis nostræ Mediolani.

Tenor Decreti talis est.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Cum sit nobis ab ipsa natura indictum cunctis in rebus apud quoscumque fraudes abhorrere hæ potissimum à nobis odio habendæ, nec ferendæ sunt, quas in nos, & Cameræ nostræ iacturam Subditi nostri versuta astutia moliuntur. Si enim inter pares deceptio vituperabilis est, grauior quidem extat, quæ in maiores, grauissima, quæ in Dños suas omni postposita honesta-

te

te præsumitur. Sentientes itaque in Ducatu nostro Mediolani plurimos fore, qui fallaci habita cum aliquibus exemptis intelligentia apud eos adhærere, & sub eorum vmbra litteras curant fieri in personam ipsorum exemptorum de bonis proprijs per venditiones, locationes, obligationes, aut alterius generis alienationes, translationibus fictis tamen, & simulatis, vt sic exemptiones proinde sibi fauorem acquirentes datiorum, taxarum, & aliorum onerum solutionem effugiant, cum nostræ Cameræ iactura, & aliorum Subditorum nostrorum, qui proindè certè plùs oneris patiuntur, huiusmodiq; fraudes, & astutias, vti conuenit. Improbantes, & omni possibili remedio tollere cupientes, declaramus, decernimus, & iubemus auctoritate præsentium, quas pro inuiolabili lege, & decreto locum habere, seruariq; disponimus, quod ab alio anno MCCCCXXV. citrà nullæ venditiones, locationes, obligationes, aut alienationes de bonis non exemptorum in exemptos fictæ, & simulatæ fieri potuerint, atq; bona huiusmodi non exempta per fraudem ad exemptos tansferri, & si quæ tales venditiones, locationes, obligationes, alienationes, & translationes factæ reperiantur non valeant, nec teneant, sed potius nullæ sint, nulliusq; valoris, & momenti, cum instrumentis, & contractibus inde celebratis quocumq; & sub quauis conceptione verborum sonent, ipsasq; & ipsa reuocamus tenore præsentium, & annullamus per respectum dumtaxat ad beneficiũ exemptionis ipsorum exemptorum, quæ pro talibus bonis fictè venditis, obligatis, locatis, alienatis, vel translatis allegari, vel prætendi nullo modo possit, nec eius prærogatiua ad illiusmodi bona trahi, vel conuerti, nec per ipsam exemptorum exemptionem à solutionibus datiorum, taxarum, & aliorum onerum talia bona defendi, sed ad solutiones ipsas pro eisdem ipsis bonis teneantur omnia, & arctentur illi, quorum erant dicta bona, prout tenebantur, & arctare poterant, & debebant ante factos contractus, & confictas intelligentias eiusmodi, ipsarum exemptionum prætextu non attento; deinceps autem nemo nõ exemptus possit, nec debeat hos simulatos contractus in personas exemptas facere, neq; vllimodæ faciant, & si fecerint, contractus sit nullus, & vt supra. Bona verò de, & pro quibus talitèr contraxerit, ipso facto amissa esse intelligantur, & sint, & ad Cameram nostrã deuoluta. Ipsaq; omnia, quotiescunq. contrafactum fuerit, ex nunc ad Cameram nostram deuoluimus per præsentes; aliqui verò exempti nequaquam possint, nec debeant, neque vllo pacto præsumant eiusmodi fictas intelligentias, & simulatos contractus agere, nec ipsos non exemptos, aut eorum bona sub protectione, & vmbra sua his simulatis adiunctionibus acceptare, neque à solutionibus eiusmodi excusare, & sic etiam quos iam olim talitèr per fraudem acceptassent dimittant in statu quo priùs erant, quam cum eis, vt præfertur contraxissent, nec ipsos ampliùs, aut eorum bona à dictis solutionibus excusent, aut vllo pacto defendant, sub pœnæ amissionis gratiæ, exemptionum suarum, quas ex nunc eo casu reuocatas, & nullas fore decernimus, & sub pœna etiam perpetuæ indignationis nostræ, & vlteriùs arbitrio nostro inferendæ; & profectò, si nostras intratas, & subditos talitèr lædere non abstinuerint, ita prouidebimus, quod eos suæ inobedientiæ, & transgressionis pœnitebit, liceatque vnicuique omnes, & singulos accusare, seu denunciare à quibus fuerit huic intentioni, & decreto nostro contrafactum, & habeat accusator, seu denunciator quartam partem bonorum, quæ per ipsam denunciam contigerit ad Cameram nostram peruenire. Ad tollen. autem omnem hæsitationem, & difficultatem, quæ in facto dictorum contractuum, an fictitij, & simulati essent, vel ne, oriri posset: declaramus, & decernimus omnes, & singulas venditiones, locationes, obligationes, aut quasuis alias alienationes

factas

factas à dicto tempore citrà de bonis non exemptorum in exemptos, fuisse, & esse fictitiè, & simulatè factas, & in fraudem nostram, & Cameræ nostræ, quas deliberatum fuerit per Nobiles Magistros Intratarum nostrarum præhabitis ab eis superindè opportunis inuestigationibus, & informationibus, ex quibus crediderint fuisse, & esse fictitiè, & simulatè factas, & etiam omnes illas de quibus non appareant publica Instrumenta, & pro quibus numerationes pecuniæ reales non interuenerint si fuerint venditiones, & si fuerint locationes pro quibus non appareat fuisse solutos fictus, & pensiones pro temporibus cursis post ipsos contractus saltem pro maiori parte, & propterea partes, quæ tales contractus fecerint non iurauerint ad Sancta Dei Euangelia corporaliter tactis scripturis, dictos contractus non fuisse factos, nec celebratos in fraudem nostram, vel Cameræ nostræ, quibus tribus interuenientibus, & simùl concurrentibus, scilicet publicis Instrumentis, solutionibus, & iuramentis, tunc dicti contractus non intelligantur esse fictitiè, & simulatè facti, & celebrati, nisi aliter fuerit probatum, & liquidatum dictos contractus fuisse, & esse simulatè, & fictitiè factos ex supradictis inuestigationibus, & informationibus in arbitrio, & cognitione dictorum Magistrorum Intratarum nostrarũ ordinariarum, cui cognitioni, & declarationi stetur, & stari debeat, omni appellatione, & quauis alia reclamatione remotis, contra quam cognitionem aliqua persona cuiusuis conditionis, status, & gradus existat agere, vel excipere non possit pro obtinendis, vel retinendis bonis illis sibi venditis, locatis, obligatis, vel aliter alienatis, de quibus esset pronunciatum esse fictitias, & simulatas vt supra. Mandantes quibuscumque Iusdicentibus, & Officialibus nostris ad quos spectet, quatenùs hanc declarationem, hocq; Decretum nostrum faciant vbicumque expedierit per publicas gridas diuulgari, ac in aliorum decretorum volumine registrari, & pro inuiolabili lege ad litteram, vt iacet in contingentibus casibus obseruari. In quorum testimonium fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die septimo Augusti MCCCCXXXII. decima Indictione. Franchinus. Ioannes.

Decretum, quod possessio continuatur in hæredem defuncti.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Quoddam Decretum per nos nuperrimè conditum super continuatione possessionis defuncti in hæredem, vobis per copiam mittimus præsentibus inclusum volentes, quod Decretum ipsum statim faciatis publice diuulgari, & in volumine Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani inseri, & registrari, ac pro lege de cætero inuiolabilitèr obseruari. Dat. Mediolani die xxviiij. Nouembris MCCCCXXXII. Franchinus. Ioannes.

Tenor decreti talis est.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Cupientes fraudibus, & malitijs insolentium hominum obuiare, ac inhumanis, & insidiosis cautelis resistere cum effectu, hoc præsenti nostro decreto perpetuò valituro, edicimus, decernimus, & constituimus, quod possessio, seu quasi quorumcumq; bonorum mobilium, & immobilium, seq; mouentium, ac iurium per mortem possidentes, vel quasi non vacet, nec vacare dicatur, sed

continuetur

continuetur immediatè, & sit, ac intelligatur continuata in tius hereditate, & immediatè post hereditatis aditionem, vel immistionem in persona heredis, & cum ipsius hereditate, & herede, seu heredibus defuncti, seu defuncta pro hereditarijs portionibus, quo ad omnem effectum, licet non fuerit aliqualiter apprehensa, siue succedant ex testamento, siue ab intestato de iure ciuili, aut pratorio municipali consuetudinario, aut iure alio, vel beneficio, seu priuilegio communi, vel speciali quocumque, nec pro quacumque hereditate iacente apprehendi possit, & si in contrarium sit, vel fuerit aliquid actum, id nullius sit roboris, & momenti ipso iure; quod quidem decretum nostrum pracisum sit, nec vllam recipiat destructionem, aut interpretationem, sed ad litteram, prout iacet obseruetur per quoscumq; Subditos, & Officiales nostros prasentes, & futuros à die ipsius publicationis. Mandantes vniuersis, & singulis Officialibus nostris ad quos spectat, & spectabit, quatenùs illud inseri faciant in volumine Decretorum, Statutorum, & Ordinum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani, ac aliarum Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, & locorum nostro dominio suppositorum. In quorum testimonium prasentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xxviij. Nouembris MCCCCXXXII., Indictione vndecima.

Decretum contra illos de Vicecomitibus ementes bona à non exemptis in fraudem Camera &c.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Composuimus nuper Decretum nostrum contra exemptos, tàm de agnatione nostra Vicecomitũ, quàm alios fraudes in præiuditium Cameræ nostræ committentes, quod vobis per copiã mittimus his inclusũ. Volentes, quod faciatis igitur statim Decretum huiusmodi in Ciuitate ista nostra, eiusq; Ducatu in locis consuetis publicari, itaut ad omniũ notitiã perueniat, & nemo prætendere valeat ignorantiam, & vlteriùs in volumine aliorum Decretorum nostrorum inseri, ac describi, denique verò pro lege inuiolabiliter obseruari, nobis de receptione ipsius illicò rescribendo. Datum Mediolani die xxij. Septembris MCCCCXXXIII. A tergo, Nobilibus Viris Magistris Intratarum nostrarum, necnon Egregijs, & Sapientibus Nobilibus, & Prudentibus Potestati, Vicario, & duodecim prouisionum, ac Syndicis Communis Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani.

Tenor decreti.

DVX Mediolani &c. Papia, Angleriaq; Comes, ac Ianua Dominus. Nouas fraudes exquisitas, & in practicam iamdiù deductas fuisse comperimus, quas animaduersione condigna corrigendas, & tollendas esse decreuimus. Cognouimus equidem plerisq; de agnatione nostra Vicecomitum non sufficere, quod ob reuerentiam agnationis pradicta ipsi, eorumq; massarij, & coloni, & inquilini exemptione plenaria perfruantur, nisi & per requisitos colores, eorumq; cupiditatem alios multos contra mentem nostram, & debitum rationis faciant dicta exemptione potiri, facientes, prout fecerunt per retroacta sibi fieri donationes, venditiones, obligationes, & alios contractus fictos, & simulatos; de, & super bonis plurimorum Subditorum nostrorum, eos deindè fictè, & simulatè inuestientes, vt inuestiuerunt de ipsis, eisdemq; bonis pro aliqua modica re, seu ficto, & tandem depingi facientes, vt fecerunt arma

nostra super eis talibus bonis, vt solutionem datiorum nostrorum, & aliorum onerum incumbentium effugiant, sub prætextu, quod vigore talium fictorum, & simulatorum contractuum massarij, seu fictabiles censeantur aliquorum de agnatione nostra prædicta, vel aliorum exemptorum, in grande detrimentum Cameræ nostræ, Intratarumq; nostrarum, & aliorum nostrorum Subditorum non modicam læsionem, & iacturam. Nos igitur præmissa ægrè ferentes, considerantesq;, quod & si prædicti de agnatione nostra, & alij exempti talia machinantes, & patrantes tamquam indigni mereantur omni beneficio immunitatis, & exemptionis priuari, tamen pro nunc mitiùs agentes, & nihilominùs tales machinatas fraudes, & earum effectum tollere radicitus cupientes: Hoc præsenti Decreto nostro, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, etiam absolutè, remouemus, annullamus, & totalitèr irritamus, quo ad obseruantiam exemptionum prædictas omnes, & singulas venditiones, donationes, obligationes, & inuestituras temporales, & emphiteoticas, & alios quoscunq; contractus quomodolibet celebratos; seu factos per quamuis personam, Commune, Collegium, & Vniuersitatem in aliquem, vel aliquos de agnatione nostra prædicta, aut in aliam personam eorum, seu alterius eorum nomine, à principio anni Domini cursi MCCCCXXV. citrà, & vsq; in præsentem diem, & omnia, & singula in eis contenta, & exinde sequuta, easq; & ea, serie præsentium fuisse, & esse decreuimus nullas, & nulla, nulliusq; valoris, & momenti, quo ad hoc tantùm, vt (non obstante dictis contractibus, & inde sequutis proinde) soluatur pro ipsis oneribus, bonis iuribus, personis, massarijs, & hominibus ac si dicti contractus nunquam facti fuissent, nisi fortè ipsi tales contrahentes infra quindecim dies à publicatione præsentis Decreti in antea computan. sufficientèr, & expresè docuerint in manibus Officialis nostri superinde deputandi, huiusmodi contractus fuisse, & esse bonos, veros, iustos, & reales, & verum, & iustum pretium fuisse realitèr numeratum, & solutum, idem quoq; censemus, & censendum esse decernimus in contractibus, si quos similes vt supra in futurum fieri contigerit. Mandantes proinde Magistris Intratarum nostrarum Ordinariarum, & alijs Officialibus nostris præsentibus, & futuris ad quos spectat, & spectabit, quatenùs possessores, & detentores bonorum huiusmodi cogant, & compellant, seu cogi, & compelli faciant realitèr, & personalitèr, & omnibus alijs iuris remedijs ad soluendum quælibet datia, & onera incumbentia, & quæ in futurum imponentur, dictis prætensis contractibus nequaquam attentis, & ac si facti, seu celebrati non fuissent, ipsiusque Decretum nostrum obseruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari, sub nostræ indignationis pœna, etiam non obstantibus aliquibus in contrarium facientibus, seu alitèr formam dantibus, quibus omnibus, & singulis ex certa scientia, & de antedicta plenitudine potestatis derogamus, & derogatum esse volumus in hac parte per expressum. Decernentes, & expresè omninò volentes, quod prædicti exempti, vel eorum aliqui, qui in posterum huiusmodi fictos, aut simulatos contractus de quibus supra in fraudem Cameræ nostræ facient, contrahent, aut acceptabunt per quemcumq; modum, ipsis iure, & facto sine alia declaratione priuati sint exemptionibus, immunitatibus, & quibuscumq; gratijs nostris, & ita per omnes Officiales nostros tractentur, reputentur, & exigantur. Mandantes præsens nostrum Decretum in volumine aliorum Decretorum nostrorum ad perpetuam memoriam debere inseri, & describi, & pro lege, Decretoq; nostro obseruari. Dat. Mediolani die, & anno suprascriptis.

Decretum

Decretum, quod habens datum à Camera teneatur stare locationi.

DVX Mediolani &c. Si contingat de cætero per nos aliquas donari possessiones, intendimus, quod locationes de ipsis possessionibus per nos factæ minime violentur, nec aliqualitèr infringentur, nec proindè vllum damnum Camera nostra reportet. Si tamen illi quibus dabimus possessiones eiusmodi se intelligant cum fictabilibus earum in resarciendo ipsis de suis damnis, & interesse, contentamur, vt eo casu fictabiles dimittant, & relaxent possessiones easdem. Hanc igitur intentionem nostram inuiolabilitèr obseruetis, & obseruari de cætero faciatis. Dat. Mediolani die decimaquinta Septembris MCCCCXXXIIII. Vrbanus. A tergo, Nobilibus Viris Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum.

Decretum, quod forenses effecti Ciues, qui non emerunt, nec debitam fideiussionem de emendo bona immobilia præstiterunt ad formam Statutorum, & Ordinum Mediolani, non possint gaudere beneficio Ciuilitatum, nec immunes sint à Datijs Mercantiæ, & Ripæ.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq. Comes, ac Ianuæ Dominus. Informati, quod multi forenses per tempora præterita effecti, & creati sint Ciues Ciuitatis nostræ Mediolani, qui non præstiterunt satisdationem de emendo, nec emerunt aliqua bona immobilia in dicta nostra Ciuitate Mediolani, nec eius Ducatu, quod facere debebant iuxta priscos ordines nostros, vt sicuti tales noui Ciues gaudere volebant, & volunt honoribus, & prærogatiuis nostrorum Ciuium Mediolani etiam subessent, & subsint oneribus cum ciuium, & ciuibus dictæ nostræ Ciuitatis, & non quærerent effici Ciues, nisi solummodo pro euitando solutionem Datiorum, quæ soluuntur per forenses, vt puta Datij Ripæ, & Datij vetus Mercantiæ dictæ nostræ Ciuitatis Mediolani, quod profectò cedit in maximum detrimentum Intratarum nostrarum, & Communis nostri Mediolani, ac Datiariorum eiusdem. Volentes huic inconuenientiæ, sicuti conuenit, salubritèr prouidere: hoc præsenti decreto nostro, quod pro lege haberi volumus paritèr, & seruari, edicimus, decernimus, & mandamus, quod aliqui forenses hinc retrò quomodolibet creati, & facti ciues dictæ nostræ Ciuitatis Mediolani, & de cætero creandi, prætextu huiusmodi ciuilitatum nostrarum, seu prædecessorum nostrorum, non possint, nec debeant vti, nec gaudere beneficio, & prærogatiua non soluendi datium ripæ, nec datium vetus Mercantiæ dictæ nostræ Ciuitatis Mediolani, nisi prius iàm tempore datæ huius Ciuilitatis personalitèr, & continuè, seu pro maiori parte temporis decennio habitauerint, & firmam residentiam fecerint in dicta nostra Ciuitate Mediolani, vel eius Ducatu cum familia sua tota, aut saltim tanta cum quanta habitassent tempore originis suæ, aut habeant, & possideant in dicta nostra Ciuitate Mediolani, vel eius Ducatu bona immobilia valoris illius quantitatis, quæ specificabitur in litteris concedendis super huiusmodi Ciuilitatibus, & onera sustineant cum Communi, & Ciuibus nostræ Ciuitatis eiusdem. Decernimus similitèr, quod prædicti forenses creati hinc retrò, & de cætero creandi ciues vtsupra prætextu taliũ ciuilitatũ, & priuilegiorũ vti non possint beneficio, & prærogatiua contra Statutum prædictæ nostræ Ciuitatis Mediolani, disponens mulierem nuptam in non suppositum iurisdictioni Potestatis nostri Mediolani, seu extra Iurisdictionem non posse succedere &c. prout in illo Statuto continetur

contento

contento sub rubrica generali de repræsalijs, quod hic habeatur pro expresso, nisi prius habitauerint, vel bona immobilia habuerint &c. in omnibus vt supra dictum est in casu datij ripæ; & quod alitèr tales Ciuilitates, & concessiones, quæ forent in fraudem, vel detrimentum Intratarum nostrarum, & dictorum datiariorum, & Statuti nulla prorsus, & irrita habeantur, quo ad datia prædicta, & Statutum similitèr, ipsis tamen ciuilitatibus in reliquis solitis manentibus, & prædicta omnia, & singula vindicent sibi locum, & inuiolabilitèr obseruentur, tàm in ciuilitatibus hactenùs concessis, quàm in posterum concedendis. Volentes, & mandantes vobis quatenùs huiusmodi decretum nostrum faciatis ad scalas Palatij noui Communis nostri Mediolani statìm publicè diuulgari, ac inseri in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani, & c. pro lege inuiolabilitèr obseruari, & de eo mentionem fieri in nouis incantibus, atq; futuris. Dat. Mediolani die xiiij. Decembris MCCCCXXXIIII. Franchinus Maffeus. A tergo Egregijs, Nobilibus, Sapientibus, & Prudentibus Viris Pot. stati, ac Vicario, & duodecim prouisionum Communis nostri Mediolani, necnon Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum.

Ordo pro solutione, & reductione monetarum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Cum omnes curas, cogitationesq; nostras ad vtilitatem rerum publicarum redigamus, Subditosq; nostros in hac expen. necessitate leuiori, & commodiori, quo possimus modo pro vestra, & eorum tutela confouere cupiamus intratas nostras (quas neruos Status nostri reputamus) pro securiori Subditorum nostrorum salute, ita reformare, & stabilire disponimus, vt grauiora onera Subditis nostris hactenus imposita in posterum cessent, & exactorum extorsiones, quas non leues esse sensimus, penitùs euanescant, omnesq; quod suum est liberè palàm negotiando ostendere possint, vtq; Datia nostra vltra solitum non eleuentur, nec alitèr vltra pristinum numerum soldorum augeantur, sed vt priùs stent, & veteri ordine currant hoc inuiolabili, & perpetuo decreto statuimus, decernimus, edicimus, & iubemus, quod de cætero in quibuscumq; rebus, & negotijs vniformitèr omnes noua moneta vtantur, & vetere moneta vtantur solùm secundum æstimationem, & computum monetæ nouæ, itaut ducatus per Datiarios, Thesaurarios, aliosq; Subditos haberi, dari, aut recipi non possit, nisi pro soldis quadraginta, nec vllo modo quisquam pro ducato aliquid amplius recipere, dare, aut habere possit, sub pœna floren. decem pro singulo ducato, quorum dimidia Camera nostra, altera dimidia accusatori, & probatori applicetur hoc etiam intellecto, quod pro soldo nouo tres sesini recipiantur, & similitèr aliæ monetæ antiquæ, & effectualitèr ducatus reductus intelligatur ad soldos sexaginta monetæ antiquæ, qui facient soldos quadraginta monetæ nouæ, sub pœna prædicta, & in omnibus rebus, & negotijs de cætero fiendis omnes vestri soldis tantummodo nouis vtantur, & vetere moneta tantùm secundum prædictam æstimationem monetæ nouæ vtantur; sed quia circa fiendas solutiones variæ difficultates occurrent hoc decreto statuimus, ordinamus, decernimus, & iubemus, quod pro omnibus, & singulis obligationibus realibus, personalibus, aut mixtis, & ex quacumq; causa debiti, siue ex vltima voluntate, siue ex contractu, vel quasi, siue ex debitis, aut ex quibuscumq; figuris causarũ pro tempore, aut per mortem Illustrissimi quondã Domini Genitoris

nostri

nostri fundatis, causatis, competentibus, vel quouis modo subortis, solutio fiat secundum stylum, & prouisiones prius, & tunc temporis vigentes ad computum monetæ nouæ, cum eo etiam tempore eiusdem bonitatis, aut melioris moneta curreret, pro tempore vero post mortem prælibati Illustrissimi Domini Genitoris nostri seruatis semper conuentionibus, atq; pactis in omnibus casibus, tàm præcedentibus, quàm sequentibus ex æquitate, & huius Decreti dispositione, in prædictis omnibus casibus, & obligationibus solutio fiat de moneta noua secundum computum, & æstimationem monetæ currentis tempore contractus, vel quouis modo natæ obligationis, & dispositionis, itaut à morte prælibati Illustrissimi Domini Genitoris nostri, vsq; ad annum MCCCCXII. quo durauit moneta bissolorum fiant solutiones de moneta noua currenti, ad computum tamen, & valorem librarum trium pro ducato, & vnus soldus nouus faciat vnum cum dimidio de illis tunc currentibus; à dicto vero anno MCCCCXII. quo moneta bissolorum cessauit, & vsq; ad Kalen. Augusti exclusiuè anni MCCCCXXVI. solutiones fiant in omnibus casibus, obligationibus, & dispositionibus prædictis ad computum soldorum quinquaginta pro ducato, itant vnus soldus nouus faciat vnum, & quartum soldorum veterum; à Kalen. aut. m Augusti MCCCCXXVI. prædictis, vsq; ad Kalen. proximè præteritas mensis Augusti in præsentem diem anni nunc currentis MCCCCXXXVI. solutiones fiant in omnibus prædictis casibus obligationibus, & dispositionibus ad computum librarum trium pro ducato, ita quod vnus soldus monetæ nouæ faciat soldum cum dimidio monetæ veteris tunc currentis, si aliter conuentum non fuerit, & huiusmodi solutiones plenas liberationes pariant in quibuscumque contractibus emphiteoticis, hoc tamen declarato, quod debitores morosi teneantur ad interesse iuris, & ad omne damnum propter moram, & ad damnum creditoris, & cuiuscumq; habere debentis sine mora committatur ex interpellatione, siue ex lapsu temporis, siue ex lege, vel aliter, si tamen debitores semel, aut pluries in mora constituti, iterum per solennem interpellationem constituerentur in posterum in grauiori, & noua mora, & per totum sequentem annum in Kalendis Ianuarij incæptum non soluerent, non satisfacerent, vel ea ad quæ tenentur non adimplerent, teneantur indistinctè post dictum tempus anni futuri ex tali grauissima grauiori mora solutiones facere de moneta noua pro quibuscumq; debitis, & causis vtsupra, & è conuerso debitores, & quicumq; obligati ad aliquid dandum, faciendum, soluendum, contrahendum, distrahendum, vel ad aliquid quouis modo implendum, facta oblatione ad computum monetarum de quibus supra, singula singulis congruè referendo, ipso iure, & facto liberati sint, etiam si creditores, vel habere debentes, vel aliquod implementum lucratiuum, aut onerosum expectantes ex contractu aliquo, vel ex alia dispositione acceptare recusarent, & oblatio, & dispositio realis, & iuridica in omnibus, & singulis prædictis superioribus casibus pro solutione, & pleno implemento habeatur, & reputetur in emptionibus, permutationibus, & alijs quibuscumq; contractibus, aut distractibus, & dispositionibus quibusuis, si tamen quisquam debitor fuerit in auro soluat in auro, vel tantam monetam ad computum, & ad valorem auri. Dat. Mediolani die xxiiij. Octobris MCCCCXXXVI.

Decretum de diebus, quibus non possunt rogari Instrumenta.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Sentientes in hac Alma nostra Ciuitate Mediolani, eiusq; Ducatu iamdudum inualuisse prauam quandam consuetudinem, seu potius

potiùs corruptelam, qua Notarij eiusdem Ciuitatis,& Ducatus, aut nimia cupiditate, aut auaritia tenti, aut vana formidine territi Diuinum honorem humanæ gratiæ postponentes, in contemptum, aut neglectum saltim Diuini cultus, & Mandatorum Dei, quibus iubentur Sabbata, idest Dominicas solennitates custodiri, & ab omni opere seruili abstineri, non verentur indiebus Dominicis, & alijs solennitatibus in honorem Dei, & Sanctorum eius introductis, de quibuscumq; contractibus, & distractibus, ad quorumlibet requisitionem, & instantiam, & eorum aliquando fortassis, ne opus quæstuarium intermittant, contractus celebrare, differendo in solennem diem, Instrumenta rogare, tradere, vel conficere, quorum corruptelam, vti bonis moribus, & Diuino cultu repugnantem penitùs amputare, volentes, præsertim, vt boni Notarij Deum timentes, & pia deuotione per cupientes solennium dierum festa venerari possint, sine alicuius indignatione, vel odio sui Tabellionatus officium diebus celebrandis requisiti denegare, cupidiq; & auari improbitatis suæ pœnam sentiant; irrefragabili hoc nostro Decreto, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis decernimus, edicimus, declaramus, volumus, & mandamus, quod nullus Notarius in Ciuitate, vel Ducatu Mediolani debeat tradere aliqua Instrumenta cuiusuis generis, & speciei, & quocumque nomine, & vocabulo nuncupentur in diebus Dominicis, Incarnationis, Natiuitatis, & Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, & Pentecosten, ac Assensionis Domini nostri Iesu Christi, Natiuitatis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Ioannis Baptistæ Natiuitatis, & Ambrosij huius nostræ Ciuitatis patroni, quod festum celebratur de mense Decembris, exceptis dumtaxat Instrumentis Testamentorum, Codicillorum, vel aliarum vltimarum voluntatum, & pacis, & dotium, matrimoniorum, sponsalitiorum, protestationum, & consignationum, tàm bonorum parafernalium, quàm pecuniæ, & aliarum rerum vbi ex lapsu temporis periculum immineret; necnon illis, quæ fierent de actibus ad voluntariã Iurisdictionem pertinentibus, ac etiam exceptis Instrumentis, & contractibus fiendis nobis, Cameræ nostræ, & Statui nostro pertinentibus, & spectantibus; quæ Instrumenta testamentorum, codicillorum, vltimarum voluntatum, pacis, & dotium, matrimoniorum, sponsalitiorum, protestationum, bonorum parafernalium, ac consignationum bonorum parafernalium, & prædictorum, de quibus supra, ac nobis Cameræ nostræ, & Statui nostro spectantia, plerumq; propter infirmitates hominum, & varios casus occurrentes differri non possunt, & hoc sub pœna cuilibet Notario contrafacienti florenorum xxv. auri pro quolibet Instrumento, quod tractauerit in ipsis diebus Dominicis, aut cæteris suprascriptis, aut aliquo eorum, & qualibet vice, qua contrafecerit, cuius pœnæ tertia pars applicetur Cameræ nostræ, & alia tertia pars Collegio Notariorum antedicto, & alia tertia pars accusatori, & nihilominùs etiam ad interesse talis Notarius teneatur illi, vel illis, qui propter annullationem talis Instrumenti damnum pateretur. Decernentes, & mandantes, quod ipsa talia Instrumenta, quæ rogari contigerit ipsis diebus suprascriptis, aut aliquo ipsorum nulla sint, nulliusq; valoris, efficaciæ, roboris, & momenti, & prorsùs inania, exceptis dumtaxat exceptatis vtsupra. Decernimus etiam, & mandamus, quod Abbates, & Notarij, & quilibet ipsorum de dicto Collegio teneantur, & debeant in quibuscumq; Instrumentis, & seù contractibus, vel distractibus, & singulo ipsorum quocumq; nomine, vel vocabulo nuncupetur apponere diem, quo contractus, & seu Instrumentum
fiet

fiet eundem diem vtſupra ſpecificè nominando, vt puta die Lunæ, die Martis &c. prout erit, ſub pœna ipſi Notario floren. xxv. qui contrafecerit, & totiens quotiens contrafecerit, applicanda vtſupra, prædictaq; omnia, & ſingula ſuprascripta locum habere debere volumus, & incipere à Kalendis menſis Octobris prox. fut. in antea, vt iſto medio præſens Decretum noſtrum poſſit in locis, & Terris prædicti noſtri Ducatus, & in ipſa noſtra Ciuitate Mediolani publicè diuulgari, & de ipſo haberi ab omnibus plena notitia. Mandantes Poteſtati, ac Vicario, & duodecim prouiſionum Communis noſtri Mediolani, & cæteris ad quos ſpectat, quatenùs, quàmprimùm has litteras noſtras, & præſens Decretum noſtrum habuerint eas, & illud publicè diuulgari faciant, & exinde inſeri, & deſcribi in volumine Statutorum, & Decretorum noſtrorum, & pro lege, & decreto inuiolabilitèr obſeruari. In quorum teſtimonium præſentes fieri iuſſimus, & regiſtrari, noſtriq; ſigilli appenſione muniri. Dat. Mediolani die xviij. Maij MCCCCXXXVII.

Decretum contra illos, qui ſe, bonaq; ſua ſubijciunt, in fraudem Datiorum, & Gabellarum Regiarum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Compoſuimus nuper Decretum noſtrum incluſi tenoris contra eos, qui ſubijciendo ſe, & bona ſua per dolum, & fraudem exemptis aliquibus, quærunt incumbentia onera refugere, & vetare, in deſtructionem intratarum noſtrarum. Mittimus igitur vobis Decretum huiuſmodi, vt de eo notitiam habeatis, & prouideatis, quod inuiolabilitèr obſeruetur, & executioni mandetur. Dat. Mediolani die xviiij. Octobris MCCCCXXXVII. Signat. Ioannes Franciſcus. A tergo Nobilibus, & Sapientibus Viris Magiſtris Intratarum noſtrarum ordinariarum, & extraordinariarum.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Sentientes multos eſſe, qui pro refugienda ſolutione Datiorum, & Gabellarum, ac pro euitandis oneribus realibus, & perſonalibus exemptis vno modo, vel alio ſe ſuppoſuerunt, atq, ſupponunt, itaut intratæ ad nihilum reducantur, & diſpoſiti omninò his fraudibus, ac dolis occurrere. Tenore præſentiũ, quas haberi volumus pro lege, & decreto ſolenni, ſtatuimus, & decernimus, quod ſi qua perſona, tàm Nobilis, ſiue Ciuis, quàm Burgenſis, aut villicus, quicumq; ſit, & cuiuſuis conditionis, ſtatus, & gradus exiſtat, ſub aliquo prætextu exemptionis falſo, ficto, & non vero, aut ſimulato pro euitando onera Cameræ noſtræ, ſiue Communitatibus Ciuitatum, ac Terrarum noſtrarum ſpectantia, ſeu alicui exempto ſuppoſuerit, aut ad præſens ſit ſuppoſita, & ſtatim ſe non retraxerit, aut aliqua exemptis ad hunc effectum vendiderit, vel fictum aliquod dederit, aut in futurum ſe ſupponet, cadat ipſo facto in pœnam amiſsionis quorumcumq; bonorum ſuorum, tàm mobilium, quàm immobilium, quod bona talium vtſupra Cameram noſtram fraudantium intelligantur ipſi Cameræ confiſcata eſſe, & dictam eſſe in poſſeſſionẽ talium bonorum vtſupra; illi verò, qui tales fraudes perpetrauerint, intelligantur eſſe poſſeſſores malæ fidei, & de fructibus perceptis ex talibus bonis Cameræ applicatis rationem reddere teneantur, derogantes vſq; nunc dictorum fraudantium priuilegijs, litteris, & quibuſcumq; contractibus ab exemptis, & cum eis factis, ſi ceciderint in fraudem vtſupra, ſaluo ſi infra decem dies à publicatione huius noſtri decreti computandos, comparuerint cũ eorum legitimis defenſionibus, & reuocationibus coràm Magiſtris intratarum noſtrarum, aut alijs deputan. ab eis, vel Referendarijs Ciuitatum, & ſi prædicti vtſupra inuenti,

aut cogniti fuerint simulati teneantur vt supra infra terminum prædictum esse concordes de damno nostræ Cameræ facto teneantur etiam si inuenti fuerint fraudasse vt supra, & ita perseuerauerint ad solutionem omnium debitorum focorum, & aliorum onerum, tàm Cameræ nostræ prædictæ, quàm Communitatibus vt supra spectantium sine aliqua diminutione debiti, & conuentione secum fienda. Statuentes, decernentes, & declarantes, quod omnes, & singuli de populo quarumcumq; Ciuitatum, & Terrarum possint in omnibus, & singulis prædictis præponere, auisare, deferre, accusare, & quascumq; probationes facere, & illi quorum opera, & industria huiusmodi fraudes decreta fuerint quartam partem bonorum super quibus fraudes committuntur habeant; Officiales verò, qui in ijs exequendis negligentes fuerint officio priuentur, & vlteriùs in pœnam florenorum quingentorum ipso iure, & facto incurrant. Declaramus prætereà, & decernimus, quod possessiones, & loca non exemptorum locata, vel affictata, aut locanda, vel affictanda quouis modo aliquibus personis exemptis nullatenus tamen debeant ab oneribus præseruari, immo ad solutionem eodem modo teneantur, quo, & prout ante huiusmodi locationem tenebantur, debeantq; omnino ad solutionem ipsam compelli, & quod nullus, sit qui velit, laborans de bonis aliquorum exemptorum, audeat, vel præsumat de bonis aliquorum non exemptorũ laborare, sub pœna soluendi quæcumq; onera etiã datia, tàm pro bonis exemptorum, quàm non exemptorum, quæ per tales laborarentur, etiã si propria talium laborantium essent. Mandantes denique vniuersis, & singulis Officialibus nostris, cæterisq; omnibus ad quos spectat, quatenùs præsens decretum nostrum publicari solenniter faciant, & in volumine aliorum decretorum nostrorum inseri, & describi, nec minùs etiam inuiolabiliter obseruari. Dat. Mediolani die xviij. Octobris MCCCCXXXVII., prima Indictione. Signat. Ioannes Franciscus.

MCCCCXXXVII. die quarto Decembris. Reperitur ad Camerã Officij Referendariæ Communis Mediolani in libro incantuum, & deliberationum anni suprascripti fore incantata, & deliberata Datia Notariorum ciuilium cum pactis infrascriptis appositis, vt infra videlicet.

ITem in Notarijs ciuilibus Palatij Communis Mediolani declaratur, quod Schola Quatuor Mariarum sit exempta à dictis Notarijs, & nihil pro ipsis soluere teneantur.

Item, quod de qualibet memoria comparitionum, exceptionum, contradictionis iurium, productionis capitulorum probe, exhibitionis, denunciationis, compromissi, petitionis, seu requisitionis, interpositionis, grauaminis, & similium cum termino ad comparendum non possint, nec debeant dicti Notarij capere plus, quàm sold. vnum Imper. monetæ nouæ, & non plus, sub pœna quadrupli exigenda statim ab eis, & quod de hoc possint, & debeant syndicari, & conueniri, etiam durante eorum Officio.

Item de quolibet foleo processuum nõ possint accipere plus, quàm soldum vnum & denar. quatuor Imper. dictæ monetæ nouæ, & non plus. De productionibus verò litterarũ Ducalium, vel earum memoria cum termino ad comparendum, accipere possint soldum vnum, & denar. quatuor Imper. dictæ monetæ nouæ, & non plus. Et de memoria cuiuslibet satisdationis, & denar. oblationis, & depositionis, & qualescumq; fuerint cum termino ad comparendum, soldos duos Imper. dictæ monetæ, & non plus, sub pœna vt supra, & quod possint

possint conueniri,& syndicari vtsupra. De contumacijs accipere possint denar. sex Imper. dictæ monetæ,& non plus. De bannis Imper. octo. De corroborationibus, & possessionibus tædialibus soldum vnum, & non vltra, sub pœna prædicta vtsupra. De quolibet relaxo, siue fuerit de sequestro, siue pignoribus relaxandis, siue alitèr, & quantæcunq; fuerit quantitatis, non possint, nec debeant accipere plus, quàm soldos duos, & denarios octo Imper. dictæ monetæ nouæ, sub pœna vtsupra, & possint syndicari, & conueniri vtsupra. De testibus verò receptis, seu recipiendis extrà iurisdictionem Domini Potestatis Mediolani, nihil possint, nec debeant accipere, nisi mercedem scripturæ, seu copiæ si fuerit requisita,& possint syndicari, & conueniri vtsupra.

Item, quod dicti Notarij subscribere teneantur pro nihilo quaslibet sententias per quoslibet Iusdicentes de Palatio prolatas, & datas, & hoc sub pœna vtsupra, cum debeat sufficere, quod semel scilicet tempore prolatæ sententiæ solutum fuerit, quo tempore de qualibet sententia habeant medietatem eius, quod datur Commissario causæ.

Item, quod nihil accipiant, nec accipere debeant de infilando, seu infilzando scripturas processuum causarum, sub pœna vtsupra,& vtsupra.

Item, quod non possint accipere de scriptione præceptorum plus, quàm denar. viiij. Imper. dictæ monetæ nouæ, siue Imper. xiiij. monetæ longæ,& nonplus.

De solutionibus fiendis Notarijs causarum ciuilium.

MCCCCXXXVIII. die xxviiij. mensis Nouembris.

Fiat Incantus Notariarum Ciuilium, Palatij, Datiorum, Stratarum, Pontium, & Aquarum, ac Commissariæ super fluminæ Nauigij, victualium, ac Terris credentiæ, siue Iudicis datiorum cum infrascriptis additionibus, quæ anno præterito pro præsenti non sonet iustè in ipsis Notarijs vlz.

Item in Notarijs ciuilibus Palatij, & Iudicis Datiorum; & alijs infrascriptis Communis Mediolani declaratur, quod Schola Quatuor Mariarum sit exempta à dictis Notarijs, & nihil pro ipsis soluere teneantur.

Item, quod de qualibet memoria comparitionis, exceptionum, contradictionis iurium, productionis capitulorum probe, exhibitionis, denuntiationis, compromissi, petitionis, seu requisitionis, interpositionis, grauaminis, & similiũ cum termino ad comparendum, sit qualis memoria, & cuius effectus velit non possint, nec debeant dicti Notarij accipere plus, quàm soldum vnũ Imper. monetæ nouæ, & non plus, sub pœna quadrupli exigenda statim ab eis, & quod de hoc possint, & debeant syndicari, & conueniri etiam durante eorum officio.

Item, quod de quolibet folco processuum scripto prout Statuta Communis Mediolani disponunt, non possint accipere plus, quàm soldum vnum, & den. quatuor Imper. dictæ monetæ nouæ, & non plus, computando, & bonos faciendo in solutionibus dictorũ processuũ denarios per eos habitos de memorijs dictorum actuum. De productionibus vero litterarum Ducalium, vel aliarum quarumuis litterarum, vel memoria cum termino ad comparendum, accipere possint soldum vnum, & denarios quatuor Imper. monetæ nouæ, & non plus. E de memoria cuiuslibet satisdationis, qualiscumq; fuerit, cum termino ad comparendum, soldos duos Imper. dictæ monetæ, & non plus, sub pœna vtsupra, & quod possint syndicari, & conueniri vtsupra.

 De

De contumacijs accipere possint denarios sex dictæ monetæ nouæ, & non plus, de bannis Imper. octo etiam si plures, & quodquod numero sint ponantur in vna contumacia, seu in vno banno.

De corroborationibus, & possessionibus tædialibus sol. vnum, & non vltra, sub pœna prædicta vtsupra, & quod seruitor, qui tales contumacias, bannas, corroborationes, & similia cridabit non possit a partibus quicquam accipere occasione prædicta, & eas, & ea cridari teneatur.

De quolibet relaxo, siue fuerit de sequestro, siue de pignoribus relaxandis, seu aliter, & quantæcumq; fuerit quantitatis, non possint, nec debeant accipere plus, quam soldos duos, & denarios octo Imper. dictæ monetæ nouæ, sub pœna prædicta, & possint syndicari, & conueniri vtsupra, & quod non possint ipsi Notarij opponere partibus, quod satisdatio proinde præstita non sit penès ipsas partes extracta in processu.

De testibus verò receptis, seu recipiendis extra iurisdictionem Domini Potestatis Mediolani nihil possint, nec debeant accipere, nisi mercedem scripturæ, seu copiæ si fuerit requisita, & possint syndicari, & conueniri vtsupra.

Item, quod dicti Notarij subscribere teneantur pro nihilo quaslibet sententias per quoslibet Iusdicentes de Palatio prolatas, & datas, nec possint opponere, quod ea de quibus in ordine ipsarum sententiarum fit mentio, non constent, nec quod non sint penès partes extracta in processu, & hoc sub pœna prædicta, & vtsupra, cum debeat sufficere, quod semel scilicet tempore prolatæ sententiæ solutum fuerit, tempore quo de qualibet sententia habeant medietatem eius, quod datur Commissario causæ, & quod etiam nihil accipere possint pro adiutoria tempore, quo tales sententiæ proferuntur, sub pœna vtsupra, & vtsupra.

Item, quod nihil accipiant, nec accipere debeant de infilando, seu infilzando scripturas processuum causarum, sub pœna vtsupra, & vtsupra.

Item, quod non possint accipere de subscriptione præcepti plus, quàm Imper. nouem dictæ monetæ nouæ, vel Imper. xiiij. monetæ longæ, & non plus etiam si præceptum esset intrandi in possessionem, seu quicquid aliud contineret, etiam si esset præceptum præcipiendi testibus, quod perhibeant testimonium quotquot numero sint, ipsi testes, qui in talibus præceptis describuntur non possint accipere solutionem, nisi prout si esset vnum præceptum solùm, sub pœna vtsupra.

Item, quod Notarij officio Iudicis Datiorum ad prædicta omnia seruanda similitèr teneantur pro concernentibus dictum officium Iudicis datiorum, & quod de quolibet non molestetur fiendo per Iudicem datiorum, sit quicumq; velit, & sint quotquot velint in vno non molestetur descripto, non possint accipere per illud subscribendo, nisi Imper. xij. monetæ longæ, & ipsa talia non molestetur indistinctè subscribere teneantur postquam erunt signata manu dicti Iudicis datiorum, sub pœna vtsupra, & syndicari possint vtsupra, & vtsupra.

Item, quod dicti Notarij datiorum non possint testes aliquos recipere, nec examinare, contradicentibus partibus, aut altera earum, & si aliquos examinabuntur de partium consensu, quod non possint habere, nisi ad computum denariorum xij. monetæ longæ pro quolibet folco testium scripto in modum processus, computata prius nota, seu imbreuiatura ipsorum talium testium, sub pœna vtsupra, & vtsupra.

Idem in omnibus, & per omnia proutsupra dicitur respectu Notariorum officio victualium, stratarum, pontium, & aquarum, ac Commissarij super flumine Nauigij.

Item,

Item, quod dicti Notarij Officio datiorum non possint pro quauis sententia per Iudicem Datiorum proferenda, sit ipsa sententia cuiuscumq; summæ, & ex quacumq; causa, & inter quasuis personas etiam si plures essent in vna, & eadem sententia nominati accipere plus, quam libr. vnam, & soldos xij. Imper. monetæ veteris, & minus accipere teneantur inspecta qualitate rei, & personarum arbitrio ipsius Iudicis, cuius Iudicis taxationi, respectu minoris summæ libram vnam sol. xij. Imp: dict. Not. stare teneantur.

Item, quod de qualibet contradictione fienda nomine alicuius Cōmunitatis, sit ipsa Communitas qualis velit non possint accipere dicti Notarij datiorum plus, quàm soldum vnum monetæ nouæ etiam termino computato.

Declarando tamen, quod dictus Not. Datiorū Iudicis, seu Terrarū credentiæ pro deliberationibus, pro præcepto cercādi Imbotaturas, pro vacheta infilandi, pro Tubatoribus, & auantagijs, quæ sequuntur super deliberationibus omnium datiorum habeat, & habere debeat solutionem ad monetam nouam.

Idem dicitur pro comparitionibus, quæ fiunt per totum Ducatus Mediolani bis in anno officio stratarum, quod similitèr Notarij stratarum accipere possint ad monetam nouam.

Idem dicitur de satisdationibus, quæ præstantur per molinarios ad officium Iudicis victualium, quod Notarij victualium similitèr possint accipere ad monetam nouam in reliquis verò scripturis tractetur prout Notariorum ciuilium Notariæ Palatij.

Summarium suprascriptarum solutionum fiendarum Notarijs causarum ciuilium hoc est vt infra videlicet.

PRimo de quolibet foleo processuum non possint accipere plus, quàm soldos duos, & non plus, computando, & bonos faciendo in solutionibus dictorum processuum denarios per eos habitos de memorijs actuum.

De productionibus litterarum Ducalium, vel aliarum quarumuis litterarum cum termino ad comparendum, possint accipere soldos duos Imper., & non plus.

De memoria cuiuslibet satisdationis, qualiscumq; fuerit, cum termino ad comparendum, possint accipere soldos tres Imper., & non plus.

De qualibet memoria cū termino ad comparendum cuiuscumq; effectus velit, non possint accipere, nisi soldum vnum, & denarios sex.

De contumacijs denarios nouem quotquot numero sint in vna contumacia, seu banno.

De bannis soldum vnum, etiam si plures, & quotquot numero sint ponantur in vna contumacia, seu in vno banno quotquot numero sint vt supra.

De corroborationibus, & possessionibus tædialibus sol. vnum, & denar. sex.

De quolibet relaxo cuiuscumq; generis soldos quatuor, nec possint Notarij opponere partibus, quod satisdatio proinde præstita non sit extracta in processu.

De testibus receptis extra iurisdictionem nihil possint accipere, nisi mercedem scriptoris, seu copiæ tantùm si fuerit requisita.

Item Notarij ipsi subscribere teneantur pro nihilo quaslibet sententias per quoslibet Iusdicentes de Palatio prolatas, nec possint opponere, quod ea de quibus in ordine ipsarum sententiarum fit mentio non constant, nec quod non sint penès partes extracta in processu, cum debeat sufficere, quod semèl vlz. tempore prolatæ sententiæ solutum fuerit, quo tempore de qualibet sententia

sententia debent habere medietatem eius, quod datur Commissarijs causarum, & nihil accipere possint pro coadiutoria tempore quo tales sententiæ proferuntur.

Pro infilando, seu infilzado scripturas processuum earum nihil accipere possint.

De subscriptione præceptorum possint accipere soldum vnum, & den. ij., & non plus, & si præceptum esset intrandi in possessionem, seu quicquid aliud contineret etiamsi esset præceptum præcipien. testibus, vt perhibeant testimonium quotquot sint numero testes ipsi, qui in talibus præceptis describerentur, non possint accipere solutionem, nisi prout si esset vnum præceptum.

Decretum pro Mercatoribus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Requisitionibus nonnullorum huius nostræ Almæ Ciuitatis Mediolani Mercatorum complacere volentes, pro euitandis quantum possibile fit prauis consuetudinibus stramatiorum, qui nobis prouisiones infrascriptas exhibuerunt viz. Illustrissimæ, & Excellentissimæ Dominationi Ducali Vestræ supplicatur, quod prouisiones infrascriptæ ordinatæ contra stramatia confirmentur, & approbentur &c. Primò, quod in Instrumentis obligationum conficiendis occasione mercantiarum, vltra sacramentum apponi consuetum, apponatur sacramentum viz. Quod Venditor, & Marosserius, si mercatum mercantiæ confectum fuerit per modum Marosserij, in confectione dicti Instrumenti iurent, quod suo scire, nec credere mercantia illa de qua fit mentio in dicto Instrumento non est stramatiata, neq; stramatiari vult, & similitèr emptor iurare debeat, quod dictam mercantiam non stramatiauit, neq; vult stramatiare, neq; stramatiari facere. Et si mercatum mercantiæ confectum fuerit, absq; medio Marosserij, tunc, & eo casu in confectione Instrumenti venditor, & emptor solummodo iurent vt supra, & vlterius ipsi venditor, & emptor iurare teneantur, quod mercatum ipsum confectum fuit, absq; medio alicuius Marosserij, & tale Instrumentum cum dictis clausulis confectum habeat robur, & vim boni, & veri Instrumenti, & possit consequi contra debitores secundum iurisdictionem ipsorum Mercatorum descriptorum, vel vtentium per stratas secundum formam Statutorum Mediolani, & hoc à die ordinationis factæ in antea, & in casu quo dictum sacramentum non reperiatur in talibus Instrumentis appositum, Abbates, nec Consules Mercatorum Mediolani, nec alij Iudicentes non teneantur, nec debeant reddere rationem super dicto Instrumento, quantum ad personalem detentionem, nec interesse iurandum, quantum verò ad alia, teneantur ius reddere super dicto Instrumento &c.

Item, quod si aliquis Mercator descriptus, vel vtens, seu vti faciens stratas vt supra, venderet aliquam mercantiam sine Instrumentis, sed ad scriptum banchi, vel alio modo, quam per Instrumentum alicui volenti stramatiare dictam mercantiam, ipso Mercatore verisimilitèr sciente, tunc, & eo casu ille Mercator priuetur ab Vniuersitate, & beneficijs dictorum Mercatorum, & vltra condemnetur in soldis duobus pro libra secundum valorem dictæ mercantiæ, quæ pœna perueniat viz. tertia pars Cameræ Ducali, & tertia pars Cameræ dictorum Mercatorum, & alia tertia pars accusatori, & suprascripta habeant similitèr locum in Mercatore descripto, qui emerit robam stramatiatam, & punietur, & condemnetur vt supra.

Item, quod si contingat aliquem Mercatorem descriptum, vel vtentem, seu vti facientem stratas vtsupra, dare ad credentiam, absq; obligatione, postquam liquidauerit creditum suum, possit vti beneficio suprascriptorum Mercatorum, prius tamen ipso iurante coram Consulibus, citato debitore, sub sacramento, quod mercimonium cuius causa est creditor tempore venditionis nesciebat, nec credebat debere stramatiari.

Item, quod possint astringere quoscumq; Marosserios volentes vti Marosserium cum ipsis Mercatoribus vtsupra, ad iurandum, quod non vtentur stramatijs, nec inducent aliquem ad faciendum stramatia. Et si postea repertus fuerit aliquis Marosserius vti stramatijs, vel inducere aliquem ad faciendum stramatia, condemnetur in soldis duobus pro libra valoris eius, de quo fuerit Marosserius; & qualibet vice, qua fuerit Marosserius vtsupra, & quod etiam priuari possint; quibus iuramentis præstitis dicti Marosserij debeant approbari, & describi per Abbates ipsorum Mercatorum ad eorum officium; & si aliquis Marosserius non descriptus se intromiserit aliquid mercatum facere, siue marossum cum aliquo Mercatore descripto vtsupra, condemnetur ad arbitrium ipsorum Abbatum Mercatorum, vsq; ad dictam quantitatem, quæ pœna perueniat vtsupra; cum reliquis autem Mercatoribus non descriptis dicti Marosserij possint vti marossum, prout potuissent vt ante reformationem præsentium capitulorum, & in casu etiam quo aliquis Mercator descriptus faceret mercatum mediantibus Marosserijs communiter vtentibus marossum, & non descriptis, vel approbatis, dictus Mercator condemnetur in soldis duobus pro libra valoris illius mercantiæ, de qua factum fuerit mercatum, quæ pœna perueniat vt supra, & quod nullus Marosserius approbatus, & descriptus non possit facere aliquam societatem cum aliquo Marosserio non approbato, & non descripto, sub pœna vtsupra, applicanda vtsupra, & quod ipsi Marosserij proinde teneantur omni anno satisdare ad arbitrium Consulum, & Abbatum Mercatorum.

Item, quod nullus, qui iam descriptus non sit, possit recipi in Vniuersitate dictorum Mercatorum descriptorum, qui fecerit stramatia per menses sex ante, & tempore receptionis iuret, quod non vēdidit, nec emit per sex menses ante, nec in futurum emet, nec vendet robam aliquam, quam sciuerit, vel crediderit debere stramatiari, & quod non fecit stramatia per sex menses ante, nec in futurum faciet, & descripti similiter iurent, quod in futurum prædicta non facient, & si contrafecerit priuetur ab Vniuersitate, & beneficio dictorū Mercatorum, & vltra condemnetur in ducatis centum auri applicandis vtsupra.

Item, quod per Abbates, nec Consules Mercatorum prædictorum non reddatur ius super litteris mortuis cambij, quæ litteræ cambij appellentur mortuæ quando non fiunt causa realis cambij, sed solummodo fiunt pro securitate volentium præstare denarios, & consequi vtilitatem sub specie cambiorum, & omnes, & singuli Mercatores vtentes, seu mittentes, & vti, seu mitti facientes per stratas mercantiarum vtsupra, qui fecerint talia cambia vlz., qui dederint eos denarios ad talia cambia, & ad tales litteras cambij priuentur, & cancellentur, & priuati, & cancellati esse intelligantur vtsupra.

Item, quod nullus Mercator descriptus, vel vtens, seu vti faciens per stratas vtsupra, possit dare ad credentiam ad maiorem terminum, quàm ad illum terminum, qui ordinabitur per Consilium generale Mercatorum descriptorū vtsupra, & qui contrafecerit non possit vti beneficio dictorum Mercatorum quantum ad detentionem personalem, in quantum ad interesse iurandum, quantū ad mentionem realem cū hyppoteca si addent, possit vti, & non vltra.

Item, quod nullus Mercator descriptus, & vtens, seu vti faciens stratas vtsupra, possit nec debeat habere societatem, nec alio modo participare cum aliquo vtente stramatia, vel fæneratione, sub pœna priuationis vtsupra, saluo quod si ille talis Mercator descriptus, habita notitia alicuius stramatij, vel fauoris facti per dictum eius socium notificauerit Abbatibus ipsorum Mercatorum, & iurauerit in manibus ipsorum ipsa stramatia, & fænerationes facta fuisse ipso nesciente, & contra mentem suam, & quod de cætero non participabit, nec se intromittet cum dicto eius socio, tunc, & eo casu non priuetur.

Item, quod Abbates, & Consules vtsupra, teneantur priuare omnes Mercatores vtentes stramatia, tàm Mercatores vtentes, vel mittentes, seu vti, & mitti facientes per stratas mercantiam, quàm descriptos, de quibus habuerint notitiam, sub pœna eorum priuationis consortij, & iurium Communitatis Mercatorum, & habeant bayliam mensis vnius post eorum officium finitum ad priuationem dictorum talium Mercatorum, & similitèr ad inuestigandum veritatem dictorum stramatiorum Abbates habeantur pro excusatis quando eis contigerit esse in partibus longinquis.

Item, quod Abbates (cum deliberatione quatuor ex Mercatoribus descriptis, ac participato, si casus fuerit grauis, & dubius, cum Consultore Abbatum Mercatorum, vt clariùs iudicent) priuare possint, si eis videbitur, Mercatores vtentes contractibus, seu mercantijs illicitis sapientibus vxuram, seu speciem vxuræ, maxime in eo, qui emeret mercantiam ad denarios, eandemq; venderet incontinenti ad terminum, facien. ipsam priuationem infra terminum suprascriptum, possitque eos condemnare in pœnis superiùs limitatis, & applicandis vtsupra.

Item, quod vigore alicuius obligationis factæ per aliquem, siue sit Mercator, siue non alicui Mercatori descripto, vel vtenti per stratas iuxta formam Statutorum Mercatorum de aliqua quantitate denariorum occasione auri, & argenti venditi, vel auri, vel argenti tantùm, ille talis debitor detineri personaliter non possit, nec contra eum aliqua executio personalis fieri, nec aliquod interesse deberi, nec iurare, nec de dicto interesse ius aliquod reddant per præfatos Dominos Abbates, & Consules, nec aliquem alium Iusdicentem quantumcumq; in Instrumento obligationis prædictæ appositum fuerit sacramentum iuxta formam Statutorum Mercatorum, & quod omnia in præsenti capitulo contenta locum non habeant in obligatione, quæ diceret occasione auri, vel argenti filati.

Item, quia decretum causarum ciuilium per expressum dicit, quod ipsum decretum non habeat locum in causis Mercatorum, & sic est sensus, quod instantiæ causarum Mercatorum debent esse breuiores, licet in ipso decreto istud non sit expressum; ideo requiritur, quod instantiæ causarum, quæ vertentur, & quæ verti possent coràm præfatis Dominis Consulibus, & Abbatibus, vel altero eorum secundum formam Statutorum Mercatorum, non excedant, nec excedere possint, nec debeant viginti dies vtiles, inchoandos à die petitionis, seu libelli, contradictionis, querelæ, vel cuiuslibet alterius requisitionis, infra quos causæ ipsæ decidi, & terminari debeant iuxta formam Statutorum prædictorum summariè, & sola veritate inspecta, & absq; consilio alicuius Sapientis, quàm Sapientis, seu Consultoris ipsorum Consulum, attento, quod inter Mercatores de bona fide agitur. Saluo, quod si in aliqua causa, & quæstione data fuerit aliqua dilatio alicui parti ad probandum per testes, qui sint extra Ciuitatem, & Ducatum Mediolani, quod tunc, & eo casu durante dicta dilatione non intelligatur currere, nec currat tempus dierum viginti vtilium, immo finita ipsa dilatione, partes sint,

&

& esse intelligantur in illismet statu, gradu, & iure, in quibus, & prout erant immediatè ante dationem dictæ dilationis, ipsa parte, cui data fuerit dicta dilatio vtsupra, iurante, quod ipsam dilationem non petit, nec recipit calumniosè, nec in fraudem, sed credens ipsis testibus indigere ad probationem iuris sui, & non alitèr.

Item, quod à sententijs, siue interlocutorijs, seu diffinitiuis præfatorum Dominorum Abbatum, & Consulum si contingat appellari, vel de nullitate dici, illis tamen casibus, quibus aliàs de iure, vel ex forma ordinum dictorum Mercatorum potest, tunc appellationes ipsæ, & nullitates committantur per Abbates ipsos vti Ducales delegatos vni, vel duobus Mercatoribus confidenti, vel confidentibus partium, vel vnius in contumaciam alterius suos confidentes dare recusantes, qui illas decidere teneantur intra quindecim dies vtiles a die factæ commissionis inchoandos, seu ante, & sola veritate inspecta.

Item ad remouendum quæstiones, quæ sæpè oriuntur, & ortæ sunt inter Mercatores, & eos debitores, quiemunt Mercantias ad credentiam cum pacto faciendi obligationem venditori, & qui antequam faciunt obligationem exportari faciunt mercantias, præsertim causa videndi si mercantiæ ipsæ sint in aliquo defectuosæ, & certis alijs de causis, & postmodum quando habent mercantias in se, seu penès se recusant facere obligationem creditori, ordinauerunt, & ordinant, quod si quis emerit mercantiam ad credentiam cum pacto faciendi obligationem creditori postquam habuerit mercantiam si citatus fuerit coràm Dominis Consulibus Mercatorum Mediolani ad instantiam creditoris per præfatos Dominos Consules detur terminus ipsi debitori trium dierum si præcipiatur per ipsos Dominos Consules ipsi debitori quatenus intra dies tres debeat fecisse ipsi creditori suo obligationem dicti debiti, quàm facere deberet secundum pactum cum sacramentis appositis per præsentes ordines, quo termino elapso, si ipse debitor non fecerit ipsam obligationem dicto creditori suo cum sacramentis appositis in præsentibus ordinibus, tunc, & eo casu si creditor talis mercantiæ probauerit per Marosserium mercati illius cum sacramento ipsius Mercatoris de dicto debito cum pacto debendi facere obligationem, ipse talis debitor cogatur, & cogi debeat realitèr, & personalitèr ad soluendum ipsum debitum ad numeratum, seu de præsenti, ac si terminus non foret sibi factus, & hoc non obstante termino sibi dato pro pacto mercati ipsius.

Item, quod publicatis per cridam, vel alitèr dictis ordinibus postea infra menses duos proximè subsequentes, omnes, & singuli Mercatores descripti, & vtentes, & vti volentes beneficijs Statutorum, & Ordinationum, ac prouisionum Mercatorum Mediolani, tàm vigore descriptionis in matricula ipsorum Mercatorum, quàm etiam vigore litterarum Ducalium, teneantur, & debeant comparere coràm Abbatibus Mercatorum Mediolani, qui tunc erunt Abbates, & iurare in eorum Abbatum manibus ad Sancta Dei Euangelia, manibus corporalitèr tactis scripturis, de attendendo, obseruando, & adimplendo omnia, & singula capitula suprascripta, & omnia ordinamenta facta vtsupra, alitèr priuentur, & cancellentur, & ex nunc priuati, & cancellati sint, & esse intelligantur, & debeant ab omnibus libris, filzijs, matriculis, & scripturis, in quibus reperiantur esse descripti pro Mercatoribus, & ab omni iure litterarum Ducalium, quibus haberent pro mercantijs, vel quorũ vigore vterētur beneficijs Mercatorũ Mediolani, saluo, quod si aliquis Mercator esset absens à Ciuitate Mediolani tempore publicationis dictorum

Ordinum

Ordinum si post eius aduentum, seu reditum infra menses duos compatuerit coram ipsis Abbatibus, & iurauerit vtsupra, quod eo casu ipse Mercator absens vtsupra, non priuetur, nec cancelletur, nec priuatus, nec cancellatus sit, nec esse intelligatur.

Item attento, quod in Statutis Mercatorum Mediolani non est capitulum plenè disponens ad sufficientiam super executione litterarum cambij. Requiritur, quod quotiescumq; requisitus fuerit aliquis debitor occasione litteræ cambij cum prætexru non factæ solutionis iuxta consuetudinem litterarum cambij, & iurauerit creditor dictum cambium factum fuisse realitèr, & verè, ac non fuisse cambium mortuum etiam fecerit fidem de dicto cambio per Marosserium si per Marosserium factum fuerit possint Abbates, & Consules statim realitèr, & personalitèr cogere, & compellere debitorem ipsius cambij ad soluendum totum id de quo erit debitor, saluo si satisdederit idoneè soluendi infra octo dies proximè futuros. Videri, & examinari fecimus per Spectabiles Dominos de Consilio nostro prædictas prouisiones; & considerantes eas fore vtiles, ac summè pro conseruatione prædictæ nostræ Ciuitatis Ciuium necessarias. Tenore præsentium prædictas prouisiones approbamus, cõfirmamus, paritètq; ratificamus. Volentes, & mandantes Abbatibus, & Consulibus Mercatorum nostrorum Mediolani, quatenùs supradictas prouisiones, prout iacent describi faciant In volumine Statutorum, & Decretorum prædictorum Mercatorum. Mandantes insuper quibuscumq; Officialibus nostris, ac prædictis Abbatibus, & Consulibus præsentibus, & futuris, quatenùs has nostras confirmationis litteras, prout iacent, seruent firmitèr, & faciant inuiolabilitèr obseruari; reseruata tamen nobis baylia, & potestate corrigendi, addendi, diminuendi, reuocandi, declarandi, & interpretandi, prout nobis videbitur, & placuerit. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die secundo Aprilis MCCCCXXXVIIII. Lanzalotus. Vrbanus.

Decretum de partialitatibus non nominandis.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Fecit nonnullorum malignitas, & peruersa natura, vt in nostro Territorio fuerint temporibus retroactis introductæ, & adhuc vigeant execrandæ partialitates, quæ mentes hominum à Deo execrarunt, vt extinctus esse videatur omnis Dei timor, extincta etiam omnis charitas, omnis coniunctio, omnis ratio bene viuendi, & introductus cultus Sathanæ, à quo solo partialitates ipsæ peruenerunt. Hoc igitur, dum mentem reuoluimus, & in memoriam reuocamus, quod propter huiuscemodi partialitates secuta est multarum millium personarum occisio, & animarum damnatio, sectæ, diuisiones Ciuitatum, & Terrarum, desolationes domorum, euersiones agrorum, depopulationes, iniuriæ, violentiæ, & rapinæ innumerabiles; secuta incendia, flagitia, & mala pœnè infinita non possumus non commoueri, non turbari super tanta immanitate mentium ignorantia, & cœcitate, quid etiam detestabiliùs, perniciosiùs, & magis fatuũ dici potest, quàm similibus partialitatibus animum applicare, & ipsis mediantibus ab ea se charitate, vnitate, coiunctione separare, quarum Deus ipse nobis indixit; è contra vero, quid meliùs, quid laudabiliùs, quid humanæ naturæ conuenientius, quid Omnipotenti Deo gratiùs, quàm, vt Christifideles sint in vera charitate coniuncti; quare cupientes, & intendentes futuris scandalis, erroribus, & malis occurrere, & in Ciuitatibus,

tatibus, & Terris nostris pacem, charitatem, & tranquillitatem componere, harum serie, quas pro lege, & decreto inuiolabili haberi volumus, seruari, & executioni mandari. Abolemus, irritamus, & penitùs annullamus quascumq; partialitates sub nomine Guelphorum, & Gebellinorum, aut alio quouis modo introductas, qualescumq; sint, & quibusuis nominibus nuncupentur, etiam si dici vellet, quod nobis consentientibus, & licentiam concedentibus adinuentæ, & introductæ fuissent, & inter vniuersos Ciues, & homines cuiuscumq; Ciuitatis, & Terræ nostræ dictam charitatem, & animorum coniunctionem, iniuriarumq; & damnorum præteritorum respectu personarum, & bonorum mobilium tantùm qualiacumque sint ipsa damna remissionem plenissimam indicimus, & iubemus affinitates, & sanguinis coniunctiones ad extirpandam penitùs omnem contagionis huius maculam suademus, itaut sublatis veteribus odijs, & rancoribus, omnium vna mens sit vnus animus, vna voluntas rectè, fideliter, ac bene viuendi, nec aliqua superstit emulatio, nisi, vt alter alterum superet beneficijs, ac virtute, & boni cognoscantur à malis. Statuimus, ordinamus, & decernimus expressè, quod à die publicationis huius nostri Decreti in antea nulla persona cuiusuis status, gradus, præeminentiæ, & conditionis existat, audeat, vel præsumat dictas partialitates quouis modo nominare, nec de ipsis minimum verbum emittere, sub pœna cuiq; contrafacienti ducatorum quinquaginta auri, & in auro pro qualibet vice, & vlteriùs nostro arbitrio auferendo, cuius pœnæ medietas in accusatorem, reliqua verò medietas nostræ Cameræ applicetur, aut ictuum duorum curli si delator, vel delinquens non fuerit ad solutionem dictæ pecuniariæ pœnæ sufficiens. Decernentes etiam, & volentes sub pœna prædicta, quod officia Communitatum nequaquam amplius per incolores, & partialitates conferantur, sed eligantur, in vnaquaq; Ciuitate singulis tribus annis CL. Ciues pro tertia parte ex habentibus ampliores facultates, pro alia tertia ex mediocribus, & pro reliqua tertia ex minoribus, qui autem omnes cum extimentur magis recti, magisq; apti sint ad gubernanda, beneq; gerenda negotia, quæ in suis Communitatibus occurrerent agenda, & vlterius magis Deum timeant, maioremq; suæ conscientiæ curam habeant describantur per nomina, & cognomina eorum, qui electi fuerint, & in vna, vel tribus bussolis reponantur, deniq; ad sortes debitis temporibus extrahantur Anziani, vel Sapientes, qui pro tempore præesse debebunt negotijs Communis de tribus prædictis sortibus æqualitèr; in illis autem Ciuitatibus, Terris, vel locis in quibus tanta hominum habilium ad regimine copia haberi non possit, fiat electio tot personarum, modo quo supra, quot pro rata, & conditione vniuscuiusq; Terræ sufficere, & bene conuenire videbuntur, denique vero mandantes expressè vniuersis, & singulis Officialibus nostris ad quos spectat, & spectabit, quatenùs facta statim dicti nostri decreti publicatione opportunè sicut in consimilibus fieri consueuit, eoq; inserto in volumine aliorum Decretorum, & Ordinamentorum faciant illud inconcussè, & inuiolabilitèr obseruari, sub pœna cuicumq; Officiali priuationis officij, quàm ipso facto statim incurrant, & vlterius ducatorum quingentorum sibi irremissibilitèr aufferendorum, & etiam perpetuæ indignationis nostræ si compertus fuerit tempore syndicatus sui, aut alitèr quouis modo in prædictis fuisse negligens, retrogradus, vel remissus. In quorum &c. Dat. Mediolani die secundo Maij MCCCCXL.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Cum ſcientia, deliberatione, & licentia noſtra deliberauerunt Magiſtri Intratarum noſtrarum nomine Cameræ noſtræ Agenti Heſtori de Pado filio quondam Bertini, ciui Mediolanenſi pro ſe, & ſocijs ſuis infranominatis Datium Ferraritiæ vniuerſi Territorij noſtri pro tribus annis proximè futuris incepturis in Kalendis Ianuarij prox. anni MCCCCXL. pretio florenorum triginta trium millium noningentorum, cum auantagijs florenorum ſexingentorum, cum, & ſub illis modis, formis, pactis, & conditionibus, quæ his tribus annis, qui finient vltimo Decembris anni præſentis locum habuerunt in facto Incãtus ipſius datij, & inſuper cum his alijs expreſsis conuentionibus, quod ipſe Incantator, & ſocij teneantur, & debeãt in præſenti Cameræ noſtræ mutuo ſubuenire de florenis decem millibus cum emolumento, & intereſſe duorum pro centenario quolibet menſe, qui compenſari debeant, & computari, tàm pro intereſſe, quàm pro ſorte in primis terminis ſolutionum per eos fiendarum, & vltrà ad nullam aliam ſolutionem, vel pecuniarum exburſationem Cameræ noſtræ fiendam tempore ipſorum trium annorum, prætérquam ad ſatisfactionem dicti Incantus ſecundum terminos limitatos extrà quos nequaquam arctari poſſint, nec debeant, nec etiam ad aliquam promiſſionem alicui facien. nomine Cameræ noſtræ reſpectu denariorum pro ipſo Incantu nobis, & Cameræ noſtræ debitorum niſi eo modo, & forma, quibus tenentur proinde verſus nos, & Cameram noſtram, quodq; per tempus ipſorum trium annorum, idem Incantator, & ſocij, & quilibet eorum immunes eſſe, & exẽpti ſeruari debeant ab omnibus, & ſingulis oneribus extraordinarijs, & qualiacumq; ſint (onere ſalis dumtaxat excepto) Et quia conſtat nobis dictos Incantatorem, & ſocios Cameræ noſtræ ſoluiſſe iuxta dictam conuentionem decem millia florenorum, habentes itaq; deliberationem incantus eiuſmodi gratam, ratam, & firmam, approbamus eam tenore præſentium, & confirmamus: concedentes, & liberam licentiam dantes eiſdẽ Incantatori, & ſocijs, quod dicta die prima Ianuarij proxime futuri arbitrio ſuo intrare poſſint, & inchoare exercitationem dicti Datij, ac illud abinde in antea, vſq; ad dictos annos tres proximè ſecuturos continuare, & proſequi, ac exercitare, & exercitari facere pro libito ſuo, eiuſq; intratas, commoditates, & emolumenta percipere, & habere, & de eis diſponere pro eorum beneplacito voluntatis cum hac tamen intentione, & declaratione, quod ſi durante tempore ipſorum trium annorum Statui, & Dominio noſtro reintegrauerimus Ciuitates Brixiæ, & Bergomi, aut earum alteram nequaquam intelligantur includi, nec quoquo noſtro comprehendi debeant in Incantu prædicto. Mandantes prætactis Magiſtris, & cæteris ad quos ſpectat paritèr, & ſpectabit, quatenùs prædictos Heſtorem, & ſocios in poſſeſſionem, & exercitationem dictæ Ferraritiæ dicto limitato tempore ponant, & manuteneant pro tribus annis ſupraſcriptis, omni conditione ceſſante, prædictaſq; conuentiones, incantum, & pacta, vt iacent ad conteſtum exequantur, & ſeruent, ac ſeruari faciant, & executioni mandari. Nomina ſociorum dicti Datij. Gaſpar, & fratres de Comite quondam Domini Ioannis, Henrigolus de Arconate, Philippinus de Vicecomitibus, Chriſtophorus de Ferrarijs, Ioannes de Giramis, Rodulphus de Verano, Thomaſinus de Coyris, Chriſtophorus de Cauelerijs, Chriſtophorus de Bernagio, Gabriel de Tabernis, Donatus de Garbagnate, & Andriolus de Toſcanis. In quorum teſtimoniũ

præſentes

præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrorumq; sigilli, & corniolæ sericeæ munimine roborari. Dat. Mediolani die xviij. Iuoij 1441. Signat. Aloysius Marcholinus.

Decretum, quod à sententijs latis per Dominos Magistros Intratarum non possit appellari.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Dilecti nostri. Notitiam habentes quandã diffinitiuam sententiam pridie latam fuisse per Nobiles Magistros Intratarum nostrarum Extraordinariarum in causa differentiæ; quæ coram eis vertebatur ex commissione sibi facta per rescriptum quoddam Spectabilis Domini Locumtenentis Magnanimi Capitanei nostri generalis, inter partes infrascriptas viz. Commune, & homines loci de Besate parte vna, seu pluribus, & Commune, & homines loci de Forauegia, seu aliquos ex eis, qui habent, & emerunt certa immobilia bona in, & super dicto Territorio dicti loci de Besate occasione scilicet onerum Communi dictæ Terræ Besate incumbentium &c. & deinde per ipsos de Forauegia, seu Procuratorem suum eorum nominibus, corâm vobis eidem sententiæ certam interpositam fuisse appellationem, in cuius causa modo per vos procedi videtur, quia à sententijs latis per dictos Magistros, tàm Intratarum ordinariarum, quàm extraordinariarum, declarauimus aliàs, & de nouo etiam ex certa scientia declaramus, & edicimus non posse, nec debere appellari, nisi noua alia interueniat commissio nos. Volumus, & vobis mandamus, quatenùs eandem assertam appellationem per suprascriptos de Forauegia vtsupra factam, omnemq; processum in eius causa, corâm vobis factum, & agitatum, cum exinde secutis pro infectis habere, & reuocare debeatis, & in ipsa causa appellationis ampliùs non procedere, cum & ea omnia tenore præsentium nos quoque reuocamus. Dat. Mediolani die xviij. Iulij MCCCCXLI. Signat. Vrbanus, & sub sigillo Aloysius. A tergo, Nobilibus, & Sapientibus dilectis nostris Potestati nostro Mediolani, ac eius Vicario, necnon Domino Gabardo de Besutio ex Aduocatis de Collegio dictæ nostræ Ciuitatis.

Protestatio facta per certos Aduocatos Collegij Iurisperitorum Mediolani.

IN Nomine Domini Anno à Natiuitate eiusdem Millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, Indictione quinta, die Lunæ vigesimo quinto mensis Septembris. In præsentia mei Notarij, & testium infrascriptorum ad hæc specialitèr vocatorum, & rogatorum Spectabiles, & Egregij Doctores D. Ioannes de Tabernis fil. quon. D. Tofinoli P.O.P.S. Pauli in Compedo, Ioanninus de Glussiano fil. quon. Domini Conradoli P.N.P.S. Fidelis, Bartholomæus Moronus fil. quon. Domini Ioannis P.N.P.S. Martini ad Nuxigiam Mediolani, Iacobus de Dugnano fil. quon. Domini Francisci P. C. Mediolani P. S. Prothasij ad Monacos, Michael de Triuultio fil. quon. Domini Gufredoli P. O. P. S. Pauli in Compedo Mediolani, Georgius de Platis filius Domini Antonij P. T. P S. Petri in Curte Mediolani, Macharius de Bernadigio fil. quon. Domini Magistri Petri Physici P. O. Mediolani P. S. Georgij ad Putheum Album, Mathæus Arigonus f. q. Spectab. Legumdoctoris Domini Pauli P. N. P. S. Fidelis Mediolani, Gabriel de Brena f. q. Domini Antonij P. C. Mediolani P. S. Cipriani, Stephanus de Bossijs filius Do-

 mini

mini Christophori P. C. Mediolani P. S. Marcellini, Gratianus de Trinche rijs f. q. Domini Ambrosij P. T. Mediolani P. S. Alexandri in Zebedia, Iacobus de Landriano filius Domini Bonoli P. O. P. S. Petri ad Ortum Mediolani, & Gabriel de Homodæis f. q. Domini Bonsignori P. R. P. S. Andreæ ad Murum ruptum, omnes de Collegio Dominorum Aduocatorum Mediolani, voluntariè, spontè, & ex certa scientia, ac etiam ad interrogationem, instantiam, & requisitionem mei Notarij infrascripti personæ publicè interrogantis, instantis, & requirentis, & stipulantis, & respondentis nomine, & vice, & ad partem, & vtilitatem cuiuslibet personæ, cuia interest, intererit, & seu interesse poterit quomodolibet in futurum ad æternam rei memoriam, & vt veritas semper appareat, & in aperto cunctis elucescat, dixerunt, & protestati, ac attestati fuerunt, ac dicunt, protestantur, & attestantur, quod in Collegio antedicto Dominorum Aduocatorum Mediolani, postquam practicauerunt in dicto Collegio, congrua relatione habita vlz. quilibet eorum pro suo tempore, vlz. quo tempore practicauit, stylatum, & practicatum, & obseruatum fuit in iuditijs, & extra, & de præsenti etiam stylatur, & practicatur, & communis oppinio, & obseruantia extitit, quod ex constituto generali apposito, & scripto, & quod apponitur, & scribitur communitèr in Instrumentis obligationum non intelligatur, nec intelligitur esse, nec sit translata, nec quod transferatur aliqua possessio bonorum debitorum in creditores tacitè, nec expresè, renunciando præfati Domini Protestantes, & attestantes, vtsupra exceptioni non factæ huiusmodi protestationis, & attestationi, & omni probationi, & defensioni in contrarium, de quibus omnibus, & singulis suprascriptis protestatis, & attestatis vtsupra, rogatum fuit per me Ludouicum de Cisero Not. infrasc. publicum confici debere Instrumentum vnum, & plura tenoris suprascripti. Actum in Broleto nouo Cõmunis Mediolani. Interfuerunt ibi testes Dominus Blasius de Landriano f. q. Domini Ambrosij P. T. P. S. Mariæ ad Circulum, Raphael de Brozijs f. q. Domini Ioannis P. T. P. S. Petri in Curte notus, & Petrus de Macaneis filius Domini Antonij P. T. P. S. Michaelis ad Clusam, omnes Ciuitatis Mediolani rogati, & idonei.

Decretum de maiori Magistratu.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Fuere multotiens Subditorum nostrorum querimonijs perpulsatæ aures nostræ, quod ij quibus Terras, & loca, siue exemptiones moti consueta liberalitate, & beneficentia nostra concessimus non animaduertentes, quid honestas, quid gratitudo, quid æquitas postulet, compellere volunt indirectis, violentisq; modis Ciues, & incolas Ciuitatum, aliarumq; Terrarum nostrarum, & ibi pro suis omnibus bonis contribuentes, & contribuere debentes ad supportandum onera cum Terris, & locis vtsupra concessis, aut exemptis respectu bonorum, quæ ibi habent, ac paritèr eos, aut fictabiles, & massarios suos ad præstandum sibi fidelitatem, inhibentes etiam ne natas, & collectas super ipsis bonis fruges abducere possint, & multa alia committunt, & intentant inhonesta admodum, iniusta, ac exorbitantia, quæ vè redundant in contemptum nostrum, & Ciues, ac Subditos nostros in consumptionem, & desperationem propemodum adducunt. Capientes ergo proinde molestiam, & displicentiam non mediocrem, salutaremq; huic pesti medicinam afferre, edidimus decretum præsentibus annexum. Volentes

Volentes, & mandantes vobis, quatenùs ipsum in locis publicis, & consuetis proclamari, & diuulgari, ac in numero aliorum nostrorum poni, & inseri faciatis, & quantum ad vos attinet firmitèr, & ad vnguem seruari. Dat. Mediolani die septimo Nouembris MCCCCXLI. Marcolinus. A tergo, Egregio Nobilibus, & Sapientibus Viris Potestati, ac Vicario, & duodecim prouisionum, & Syndicis Communis huius Inclytæ Ciuitatis nostræ Mediol.

Tenor Decreti.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Quamquam deceat Principis dignitatem omnibus ornatam esse virtutibus. Sola tamen Iustitia illa est, quæ adeò peculiaris, & propria Principi esse debet, vt sine ea nec res publicas, nec priuatorum facultates, sed nec quidem ipsius Principis nomen tueri, aut seruari possit. Quàm rem nos cum sæpè animo nostro voluerimus, tùm vel præcipuè nobis prospicere contingit, cum inter maximas quibus agitamur pro Status nostri regimine curas Subditis nostris quietem, & pacem dare conaremur. Tantùm enim, vt intelleximus, quorundam audacia propter nostram tollerantiam creuit, quod nonnullorum insolentiam eò peruenisse comperimus, vt quidã iurisdictionibus, potestatibus, aut exemptionibus per nos, seu per Illustrissimos olim progenitores nostros concessis abutentes existiment tantum licere sibi, quantum vindicare viribus possunt, nullis laboribus, nulla honestate, nullis deniq; legibus teneri se putantes, quin illa facere persæpe conentur æqua, seu iniqua sint, quæ animis eorum collibuerint, hancq; adeò pestem impunitate delictorum ita inualuisse, vt nonnumquam inter minores auaritia, odio, vel partialitate commoti ipsos exquisitis, & confictis quibusdam causis lacerare, maximisq; damnis, & iniurijs afficere non vereantur. Quo fit, vt via facti potius, quàm iuris incedentes cum ad fidelitatem sibi præstandam, vel ad aliqua subeunda onera compellere velint Ciues, aut incolas Ciuitatum, & Terrarum nostrarum cum locis ipsis nostris onera supportantes, aut Massarios eorũ in iurisdictione sibi concessa commorantes non solũ ad perturbationes, & occupationes possessionum, sed aliquando ad capturas hominum, aliquando ad armentorum prædam, aliquando ad agrorum vastationes, & persæpè ad his deteriora procedunt. Ex quibus periculosi suscitantur errores, & nisi prouisio debita fiat excitari facillimè possent non solùm homicidia, rixæ, factiones, contentionesq; priuatæ, sed publici tumultus, grauissima scandala commouentes, & in nostram, Statusq; nostri iacturam, ac labem redundantes. Quare his iniurijs volentes censura, qua debemus, occurrere, ne minores à maioribus iniustitiam patiantur, hoc nostro salubri, & legis vim habituro decreto: Statuimus, decernimus, & mandamus, quod nullus cuiuscumque gradus, status, aut conditionis existat, etiam Capitaneus, seu armorum ductor, vel alitèr ad stipendia nostra militans habens vbiliber in dominio nostro iurisdictionem à Ciuitatibus ipsis, vel Terris nostris separatam, aut talem exemptionem pro qua in homines suos possit superioritatem exercere audeat, vel præsumat directè, aut per indirectum Ciues, aut incolas Ciuitatum, aut Terrarum prædictarum, eorumq; massarios, fictabiles, vel colonos super ipsorum possessionibus commorantes, etiamsi eos in locis separatis residere contingat ad fidelitatem sibi præstandam, nec ad aliquod subeundum onus reale, vel personale, etiam respectu reddituum super prædictis possessionibus percipiendorum, quin ipsos quo voluerint liberè sine aliquo

 impedimento,

impedimento, & nouo vectigali abducere possint, cōpellere, aut contra ipsos, eorumq; res, & bona iniuriosè procedere, vel procedi facere palàm, vel occultè, etiam pro bonis sitis, aut natis in prædictis locis separatis, quinimmo nec eos ex quauis causa vera, vel simulata, aut alitèr qualitèrcumq; pro aliqua differentia ad se, vel ad alios pertinente, siue ciuilis sit, siue criminalis trahere coràm se, aut Officialibus suis ex officio, vel ad alterius instantiam, nisi in casibus in quibus forensis aliàs de iure compelli ratione contractus possit, sub pœna ducatorum mille, & priuationis, seu amissionis tàm exemptionum, quàm priuilegiorum suorum quorumcumque, in quàm ipso iure, & facto ex nunc, prout ex tunc incurrisse, & cecidisse intelligantur sine aliquo processu, vel sententia quandocumq; contra prædicta, vel aliquod prædictorum commisisse constiterit. Volentes etiam, quod vbicumq; & quandocumq; oriri contingat, vel natam esse discordiam, differentiam, vel quæstionem inter se ipsos exemptos, & iurisdictionem separatam habentes, vel inter ipsos, vel eorum subditos, & alios nobiles Ciues, vel rusticos iurisdictioni suæ non suppositos, vel ratione contractus forum non sortitos, quod in ipsis talibus differentijs, aut quæstionibus sit, & esse intelligatur competens Iudex, cognitor, & decisor Magistratus ille Maior, qui esse reperietur in Ciuitate ipsa, vel alio loco principali de cuius districtu talis locus separatus esse consueuerit, aut in cuius esse Diœcesi cognoscatur, cum plena, & ampla potestate procedendi summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, ac mera facti veritate inspecta, ac facultate mulctandi contumaces ad Cameram in illis pecuniarum quantitatibus, quæ sibi inspecta facti, & personarum qualitate videbitur. Intendentes nihilominùs, quod nobiles Ciues, & alij non Subditi iurisdictioni talium exemptorum pro bonis suis, tàm mobilibus, quàm immobilibus, quæ habere reperiantur in iurisdictione ipsorum exemptorum, seu pro causis, & differentijs, quæ inter ipsos, & inter colonos, mezadros, vel fictabiles erunt ex quacumq; causa agere, vel respondere non cogantur coràm ipsis exemptis iurisdictionem habentibus, nec coràm eorum Officialibus, sed coràm ipso Magistratu maiore, sub pœna de qua supra. Si tamen coràm ipsis exemptis, aut eorum Offitialibus iustitiæ peteretur contra eorum Subditos, teneantur facere, aut fieri facere ius summariū, & expeditum de plano, sine strepitu, & figura iuditij, & prout in alijs antiquis decretis continetur. Mandantes etiam tenore præsentis decreti nostri omnibus, & singulis supradictis iurisdictionem separatam habentibus, quatenùs omne præstitum eis iuramentum fidelitatis, & factam sibi promissionē, & obligationem realem, vel personalem, necnon onus quodlibet impositum contra præsentis Decreti seriem intra mensem à die huius publicationis computandum reuocent, & annullent, ac in statum pristinum restituant, sub pœna de qua supra. Ne tamen ex supra relatis arbitrentur se immunitatem consecutos, qui ad onera custodiarum iure, & honestate tenentur, Volumus, & iubemus, quod teneatur maior ille Magistratus de quo supra prædictis iurisdictionem habentibus Ius facere summarium, & expeditum contra rusticos super possessionibus non subditorum existentes si ad expensas custodiarum in illis locis fiendarum in quibus se, aut sua recipere velint contribuere recusarent. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die septimo Nouembris MCCCCXLI. Præsens tamen Decretum, & in eo contenta, aliaq; iam condita Decreta nolumus Magnif. Locumtenentem, & Capitaneum nostrū generalem Nicolaum Pizininum Vicecomitem aliquo modo complecti, seu

ligare ob exploratam eius, & incorruptam fidem, exuberantem in nos deuotionem, innumerabilia merita, virtutesq; eius præcipuas, & singulares nobis varijs experimentis, & casibus probatissimis indignum iudicamus cum huius decreti,& aliorum iam conditorum generalitate comprehendi. Immo eum ex nunc ab huiusmodi decreto,& alijs iam conditis vtsupra, ex certa scientia, & non obstantibus quibuscumq; in contrarium facientibus absoluimus,& pro absoluto haberi volumus. Declarantes nostræ intentionis nō esse, quod Decreta ipsa per quæcumq; generalia verba condita eundē Locumtenen.,& Capitaneū nostrū generalem amplectantur. In quorum testimoniū præsentes fieri iussimus, & in aliorum Statutorum, & Decretorum nostrorum volumine volumus registrari. Dat. Mediolani vtsupra. Marcolinus.

Decretum pro reincantatione Datiorum Mercantiæ, Additionis, Ferraritiæ, ac Vini à minuto.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Per Magistros Intratarum nostrarum nostri mandato deliberatum fuit superioribus diebus Donato de Garbagnate Ciui nostro Mediolanensi, & certis socijs suis datium Mercadantiæ,& additionis eiusdem huius Inclytæ Ciuitatis nostræ Mediolani pro anno 1442. proxime futuro pretio, modis, pactis, & conuentionibus, de quibus in facto tunc Incantu plena fit mentio, necnon Hectori de Pado, & socijs suis deliberatum fuit similitèr Datium Ferraritiæ territorij nostri pro annis tribus prox. futuris,etiam pretio, pactis, & conuentionibus in ipsius datij incantu appositis, & declaratis. & cum conuentione florenorum decem mille per ipsos Incantatorem, & socios nobis facta deliberatum quoq; fuit Datium vini de minuto prædictæ Ciuitatis nostræ Mediolani Francischino de Castro Sancti Petri, & socijs suis pro annis duobus proximè futuris similitèr pretio, modis, pactis, & conuentionibus in Incantu ipsius Datij contentis, & cum subuentione nobis facta de florenis vndecim mille cum interesse de quo agitur in Incantu prędictos verùm propter incumbentes Camerę nostræ necessitates maximas expediens fuit prædicta datia mercantiæ, & additionis, ac Ferraritiæ,& vini de minuto præsentialitèr reincantare pro habenda super eis noua subuentione pecuniarum,in quo quidem incantu abocatum fuit prædictum Datium Mercantiæ, & additionis ad libras septuaginta octomille nouemcentum ipse cum auentagijs florenorum mille quatuorcentum, & cum pacto subuentionis,& exbursationis Cameræ nostræ fiendæ de ducatis decem mille auri, & in auro, qui compensari debeant vna cum interesse duorum pro centenario in mense super ipso datio in primis decem mensibus dicti anni futuri vlz. ad computum ducatorum mille singulo mense cum rata interesse eorum,Datium verò Ferraritiæ abocatum fuit pro dictis tribus annis ad libras quinquaginta mille Imper. cum auentagijs florenorum septem centum, & cum pacto subuentionis, & exbursationis, vt præfertur,fiendæ de libris sex mille Imper. compensandis super ipso Datio in primis duabus solutionibus fiendis pro rata,siue interesse aliquo,& Datium vini de minuto abocatum fuit pro anno prox. futuro tantùm ad libras triginta octomille Imp. cū auentagijs florenorum octocentum, & cum pacto fiendæ subuentionis librarum duodecim mille Imper., de quibus fieri debeat compensatio super solutionibus eiusdem datij in primis octo mensibus pro rata vllo absq; interesse; animaduertentes autem dignum esse, vt prænominati Donatus de Garbagnate, Hector de Pado, & Francischinus de Castro Sancti Petri primi Datiarij in alias personas

in huiusmodi deliberationem Datiorum non commutentur; & volentes in ipsos liberalitatem, & munificentiam nostram extendere, ac impartiri, consideratis beneficijs subuentionum, quas in prima eiusmodi datiorum deliberatione Cameræ nostræ fecerunt, declaramus per præsentes, & volumus, ac mandamus, quatenùs per memoratos Magistros Intratarum nostrarum prætacto Donato de Garbagnate, & socijs suis deliberari debeat ipsum Datium Mercantiæ, & additionis pro dictis libris septuaginta octo mille nouem centum Imper. ad quas, vt præmittitur in secundo Incantu, abocatum extitit, detractis prædictis auentagijs florenorum mille quatuor centum, quæ debitis temporibus exbursari debeant per ipsos Donatum, & socios ijs quibus præmissa sunt, cum hoc, quod nobis subuenire debeant ipsi Donatus, & socij super dicto Datio de ducatis decem mille auri, & in auro, qui compensari debeant in primis decem mensibus ipsius anni ad computū ducatonorum mille singulo mense cum rata interesse duorum pro centenario in mense, debeatq; deliberari prænominato Hectori de Pado, & socijs suis Datium Ferrariæ pro dictis annis tribus proximè futuris pretio librarum quinquaginta mille Imper., detractis etiam auentagijs floren. septemcentum debitis temporibus, vt præfertur, exbursandis illis, quibus promissa sunt in dicto secundo Incantu, hoc est, quod nobis subuenire debeant Hector, & Socij prædicti de florenis quatuor mille numerandis pro medietate in futuro mense Februarij, & pro residuo in mense Martij, subsequuturo, qui compensari, & restitui debeant cum interesse duorum pro centenario in mense in primis solutionibus de ipso datio fiendis postquam compensati fuerint illi floreni decem mille cum interesse eorum, de quibus super eodem datio in prima deliberatione nobis ijdem Hector, & Socij subuenerunt, detracto tantùm interesse librarum sex mille, quæ ex præmisso secundo Incantu exbursari, absque interesse debebant, denique etiam deliberari debeat Francischino de Castro Sancti Petri, & socijs suis Datium vini de minuto pro anno futuro tantum pro libris triginta octo mille Imper., detractis pariter auentagijs florenorum octocentum ijs quibus promissa sunt, vt præagitur debitis temporibus exbursandis, cum pacto, quod ipsi Francischinus, & socij subuenire debeant nobis de florenis sex mille numerandis pro tertia parte in mense Ianuarij proximè futuri, pro alia tertia parte in mense Februarij, & pro residuo in mense Martij subsequuturo, de quibus fieri debeat compensatio cū interesse duorum pro centenario in mense in vltimis septem mensibus anni prædicti, incipiendo in mense Iunij, & deinde singulo mense pro rata, & detracto interesse librarum vndecim mille, de quibus super ipso datio in secundo Incantu absq; interesse aliquo nobis subueniri debebat; ex quibus omnibus datijs contentamur, & volumus Datiarijs ipsis remittere, & relegari libras sex mille Imper., quæ super ipsis datijs diuidi debebant, prout dictis Datiarijs magis libuerit, & quæ ex dictis Incantibus detrahi debeant. Decernentes, quod Datiarijs ipsis pro restitutione pecuniarū, quas super primis deliberationibus exbursauerunt seruari debeant, & executioni mandari eōcessæ sibi proinde litteræ nostræ, ac compensationes pecuniarum fieri quemadmodum in dictis litteris agitur, quas quidem litteras, cum omnibus, & singulis inibi contentis de verbo ad verbum, prout iacent ad contextum per præsentes approbamus, & confirmamus, ac denuò concedimus, saluis tamen, & firmis permanentibus præsentibus litteris nostris, & volentes, quod eisdem Datiarijs penitùs obseruetur immunitas ab oneribus extraordinarijs, quas sibi concessimus per dictas litteras nostras. Mandamus ideò prænominatis Magistris, ac cæteris Officialibus

Officialibus ad quos spectat, & spectare possit quomodolibet in futurum, quatenus litteras nostras declarationis, & omnia,& singula in ipsis contenta penitùs exequantur, & obseruent, ac obseruari faciant, & executioni mandari sine aliqua cōtradictione,& sub indignationis nostræ pœna. In quorũ testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrorumq; sigilli, & corniolæ sericeæ munimine roborari. Dat. Mediolani die xxj. Decembris MCCCCXLI. Signat. Marcolinus.

Decretum contra Clericos pro interesse.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Receptis supplicatione, Decretis,& Statutis tenorum proximè subsequentium vlz. Illustrissimæ Ducali dominationi vestræ reuerentèr exponitur parte vestri fidelissimi seruitoris, & Subditi Ioannoli de Castelletto Ciuis, & Mercatoris vestri Mediolani, quod iàm pluribus annis exactis dictus exponens vendidit de Mercantia sua cuidam mulieri, quæ obinde fecit Instrumentum vnum ipsi Ioannolo de certa satis notabili quantitate denariorum pro pretio dictarum rerum eidem datarum,& venditarum;defuncta verò dicta debitrice, relicto Petro de Glussiate eius filio, & hærede, dictus Petrus tunc debitor ex persona matris, & iam ætatis annorum xvj. vel circa, fecit se fieri Clericum primæ tonsuræ, quod indubiè creditur actum in fraudem ipsius exponentis ad effectum priuandi ipsum facultate probandi interesse sibi debiti per eius sacramentum iuxta formam Statutorum Communis Mediolani super hoc disponentium, & etiam declinandi forum Seculare si casus contigisset, quasi prædicta Statuta non debeant ligare Clericum; de qua etiam fraude comprehendi potest cũ ipse Petrus postea aliũ ordinẽ non assumpserit, immo aurifex semper per annos xij., & plùs fuerit, & vsq; ad litem modo vigentẽ, & motam contra ipsum Supplicantem per ipsum Petrum coràm Potestate Mediolani, seu vno ex eius Iudicibus, petendo in effectu certa bona apprehensa per ipsum Supplicantem vigore dicti crediti sui, ipsi Petro restitui. Inibi ex præmissis, in causa dictus Supplicans, inter alia per ipsum probata, probauit interesse sibi debitum per eius sacramentum, secundum formam Statutorum Communis Mediolani, ad quod sacramentum pars aduersa opponit, asserens hanc talem probationẽ fieri non posse contra ipsum Clericum vtsupra, quia in re coràm Commissarijs dictæ causæ fuit latiùs allegatum (non prolata tamen adhuc sententia) & inter alia pro parte dicti exponentis, quod tàm prædicta Statuta, quàm debitum in persona dicti Petri locum habebant,& suberant ante ipsius Clericatum; Ideò non posse postea debitor mutare, deteriorare, nec alterare conditionem sui creditoris, metu, vel ministerio aliquo, & potissimè ex hoc, quod contrahens dolosus haberet viam paratam in se, vel in aliam personam, veniendi ad contentionem in fraudem alteriùs contrahentis creditoris, & ad extinguendum dictum interesse, quasi alitèr non probabile propter eius probationis difficultatem, & quod dicta bona, de quibus est quęstio ab initio dictę obligationis fuerunt ei effecta,& obnoxiata, & tàm pro interesse etiã in stipulatione deducto, quàm pro sorte. Allegatur etiam, quod Clericus agit contra laicum in foro seculari,& sic subijcit se ipsi foro ex natura fori regularis,& consequentèr eiusdem fori Statutis, & multa alia. Ex quibus videtur dictum Clericum in hoc exaudiri non debere, sed quid! vltra prædicta allegatur Decretũ nunquã delendæ memoriæ Illustrissimi

ſimi Domini Domini quondam Genitotis Veſtri, tenoris deſcripti in emiſſa cedula condititia, vt in ea exprimitur, ad obuiandū fraudibus talibus. Cui pet partem aduerſam reſpondetut, quod Decretum ipſum non loquitur de Eccleſiaſtico, & quod non diſponit, niſi reſpectu iuriſdictionē ſeculare non declinandi, ſed non videtur ſtrictè interpretandum cum vtatur verbis illis latioribus vlz. „oecaſione alicuius ordinis, dignitatis, aut ſtatus &c.„ Quę verba ex ſui natura comprehendunt Clericalem ordinem, vel dignitatem, & ſic verbis illis generalibus videtur, tàm de Clericis, quàm alijs diſponi, & eum poſtea ſubdit, „& eiſdem ſubijciatur in omnibus, & per omnia, quo ad delicta contracta &c. quemadmodum ante requiſitionem dicti ordinis, & dignitatis tenebatur reſpondere, & ſubiectus erat, quibuſcumq; legibus etiā non obſtantibus &c.„ ſatis videtur includi, quod Statuta, quibus ſubiectus erat ante tales ordines, etiam poſt eum locum habeant, alioquin non foret verum, quod in omnibus, & per omnia ſubiectum eſſet, immo aliter, eum aliter per Statuta diſponatur; eumq; intellectus prædicti decreti ſaltim negatione ſupra relata dubius effectus ſit, Dominationiſq. Veſtræ proprium ſit Leges, ac Decreta condere, conditaq; interpretari, ſupplicatur itaq; præfatæ Dominationi Veſtræ, vt præmiſſis notantèr attentis, dignetur non tantùm in hoc caſu prouidere, ſed in multos alios dictim occurrentes declarare Decretum prædictū etiam in Clericali ordine intelligendum fuiſſe, & eſſe, nàm in tali ordine potiùs credendum eſt diſponere, cum ex nullo alio ordine tàm frequentèr, nec etiam faciliter competat facultas declinandi forum ſeculare, quàm ex Clericali ordine, ac etiam, quod in caſu dicti Decreti ſubijciatur ipſi foro ſeculari, & Statutis ipſius deciſiuis, quæ illa verba Decreti innuunt, & eiſdem ſubijciatur in omnibus, & per omnia ſecundum Canoniſtas hos apparatus inducentes, & vnum conſequatur ad aliud, vt ſic frequentiſſimus iſte morbus fae entium ſe Clericos ad iniuriam laycorum potiùs diminuatur, quàm creſcat tametſi appareat aliquid prouiſum per Decretum prælibatæ Dominationis veſtræ nuper editum ſuper Clericis in habitu, & tonſura Clericali non incedentibus tempore citationis, vt ſic tales fraudes omni ex parte remaneant excluſæ, prout creditur Dominationi veſtræ placere.

Tenor Decreti ſequitur.

NOS Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius generalis. Obuiare nonnullorum fraudibus cupientes, qui in ſuorum præiuditium creditorum, Magiſtratuum, & Iuſdicentium noſtrorum forum declinare conantur, præſentiū tenore decernimus, & mandamus, quod nullus cuiuſcumq; conditionis, gradus, ordinis, ſtatus, & præeminentiæ exiſtat debitor alicuius Ciuis, aut Subditi noſtri, ſeu quoquo modo tenens, aut poſſidens de bonis cuiuſuis Ciuis, aut Subditi noſtri, poſſit occaſione alicuius ordinis, dignitatis, aut ſtatus, vel Priuilegij de nouo acquiſiti, vel acquirendi poſtquam debitor fuerit, aut bona tenere, vel poſſidere ceperit, vt præfertur dictorum Magiſtratuum, vel Iuſdicentium forum, & iuriſdictionem quacunque cauſa, vel ingenio declinare, & ab eis ſe eximere, ſed ita corám Magiſtratibus, & Iuſdicentibus prædictis reſpondere teneatur, & eiſdem ſubijciatur in omnibus, & per omnia quo ad debita contracta, & bona prædicta, quemadmodum ante acquiſitionem dicti ordinis, dignitatis, ſtatus, aut Priuilegij tenebatur reſpondere, & ſubiectus erat, quibuſcumq; legibus, Statutis, aut Decretis noſtris in contrarium non obſtantibus.

Tenor

Tenor alterius Decreti.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes. Ad tollendum inuolucra, prolixitates, confusiones, deceptiones, atq; fraudes occurrentia in Ciuitate nostra Mediolani, eiusq; Ducatu, quæ fiunt, & committentur per nonnullos se Clericos prætendentes sub velamine Clericatus, & pro quibus tædiosis querimonijs afficiuntur admodum aures nostræ, edicimus, volumus, decernimus, & mandamus hoc præsenti nostro Decreto, quod inseri volumus, & describi in volumine aliorum Decretorum nostrorum, & pro lege, Decretoq; nostro de cætero seruari debere, quod si contingat per Clericum primæ tonsuræ solùm causam, litem, controuersiam, seu quæstionem moueri contra aliquem, & versa vice aliquem contra talem Clericum, & ipse Clericus non incesserit in habitu, & tonsura Clericali tempore citationis factæ, & præsentatæ personalitèr, vel ad domum, aut aliàs prout Decreta, & Statuta disponunt tàm pro se, quàm contra se, tractetur, habeatur, & reputetur pro mero laico in iudicio, & extra iudicium, & tamquam merus secularis in omnibus, & per omnia, omni exceptione remota, respectu causæ, vel causarum super qua, vel quibus citatus est, & hoc, ne dum in causa principali, sed etiam in causa appellationis, seu appellationum si quam, vel quas interponi contigerit, & vsq; ad sententiæ, seu sententiarũ latarũ in huiusmodi causa, seu causis executionem plenam, & perfectam, & ipsius executionis tuitionem, seu defensionem per Iudicem secularẽ, non obstante, quod in ipsis causis, executione, & tuitione pendentibus, ille talis Clericus habitum assumpserit, & tonsuram. In quorum &c. Tenor Statuti, quo casu debitor teneatur ad damna, & interesse creditoris pro negotiatione &c.

Statuitur, quod quicumque ex causa negotiationis, vel depositi, vel recomendationis steterit post terminum, vel postquam petitum fuerit per terminum vnum, quod non soluerit creditori debitum, compellatur debitor soluere damna, & interesse in quantitate dupla creditum iurare voluerit dum tamen illud damnũ, & interesse non possit excedere soldos duos pro libra in anno.

Tenor alterius Statuti.

IN casibus in quibus de iure canonico potest peti interesse, sacramentum petentis factũ coràm Iudice, parte præsente, vel pro contumacia obstante, habeatur pro plenè probatum interesse, vsque ad denar. sexdecim pro libra &c.

Attendentes dicta Decreta, & Statuta, de quibus fit mentiò, ac eorũ mentẽ iustè conscribendã, serie præsentiũ decernimus, & declaramus, quod Statuta ipsa loquentia de interesse per iuramentum probando, locum habeant in casu, & in causa præsenti, litis pendentia non obstante, ac contractibus ante Clericatum contractis, & alijs casibus, & aliquibus in dictis Decretis, & Statutis mentionatis. Mandantes vniuersis, & singulis Potestatibus, Rectoribus, & Subditis, & Officialibus vt supra, & specialitèr Commissarijs dictæ causæ, quatenùs hanc nostram præsentem declarationem obseruari faciant inuiolabilitèr, ac inseri, & describi in volumine decretorum nostrorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli impressione muniri. Dat. Cusagi die iiij. Februarij MCCCCXXV. tertia Indictione. Zanonus.

Decretum

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Ægrè nimis, & molestè ferentes proteruiam insolentiam, ac temeritatem eorum, qui, non verentes pœnas in ordinibus, & decretis nostris appositas, præsumunt blada territorij nostri in alienum abducere, & charitatem, quam in conseruanda vbertate Patriæ habere deberent postponere nō erubescūt, decernimus eò seueriùs cōtra ipsos animaduertere quo magis experti simus, & continuò magis experimur, non absque maxima nostri iactura, has bladorum abductiones Statui nostro attulisse, & afferre graue discrimen, Subditis verò nostris parare non modò caretudinem, seu penuriam, atque famem; harum igitur serie, quas generali, & perpetuo valituro decreto haberi volumus, seruari, ac executioni mandari, edicimus, & sancimus, quod nulla persona cuiusuis status, gradus, præeminentiæ, & conditionis existat, siue exercens officium, siue ad seruitia, & stipendia nostra militans, siue aliqua quæuis à maiore, vsque ad minorem, audeat, vel præsumat ex territorio nostro mediatè, vel immediatè nobis subiecto in alienum blada, farinam, aut legumina cuiusuis generis, & maneriei conducere, & conduci facere, siue conducentes receptare, vel conducentibus licentiam, aut consensum quouis modo præstare, sub irremissibili pœna furcarum cuicumque contrafacienti, & vlterius confiscationis quorumcumq; bonorum suorum, & qui tacitè consentire videntur sfrosationibus quicumq; & prohibere eas possunt, nec tamen prohibent, edicimus, & iubemus, quod vnaquæq; Communitas, quæ per territorium suum contra hanc dispositionem nostram blada, farinam, aut legumina conduci permiserit, & non prohibuerit si possit, aut conducentes non arrestauerit in fortiam Officialium nostrorum non consignauerit, vel saltem Officialibus ipsis non denunciauerit pœnam incidat ducatorum vigintiquinq; pro modio irremissibiliter auferendorum. Volentes etiam ad prohibendas fraudes, quæ plerumque sub prætextu macinandi, aut seminandi committuntur, vel prouidendi agricolis in volis baderijs residentibus ad necessitatem victus eorum, quod vnusquisq; Officialis Terrarum muratarū, vel alitèr quouiscumque in Fortalitium erectarum nobis mediatè, quàm immediatè suppositarum, ita ordinent, & prouideant cum participatione, & deliberatione consilij generalis Terrarum ipsarum, & per deputationem vnius Officialis, aut duorum, vel plurium sicut expedit, qui sint ex melioribus Terrarum earundem magis rectis, magisq; Deum conscientiam, & honorem suum timentibus, quod blada aliqua extra ipsas Terras conduci non possint, neq; causa macinandi, neq; seminandi, neq; agricolis exterioribus prouidendi, absque debita licentia in scriptis concedenda per illum, vel illos, qui ex deliberatione dicti consilij deputati fuerint super ista materia, quæ etiam licentia sigillo eius Officialis, qui illi Terræ præfuerit minuatur gratis, & liberè concedatur, habita etiam aduertentia, vt de omnibus concedendis licentijs in casibus supradictis teneantur opportunæ scripturæ, itaut certi sint, quod blada, quod macinandi causa extrahi contingent retroducentur in formam, & debita ratio continuè reddi possit, ne valeat fraus vlla committi, sub pœna cuicumque Officiali, si negligens, aut quouis modo excesserit in prædictis, priuationis Officij, & vlteriùs quacunq; alia grauiora nostro arbitrio imponenda, & cuilibet Communitati non apponenti, & non obseruanti ordines prædictos ducatorum quinquaginta, vltra pœnas eisdem per Officiales imponendas.

Edicimus

Edicimus præterea ad prohibendas magis, ac magis fraudes per nostras gentes armigeras inabducendis contra ordines nostros bladis, vt committi sentimus, quod de cætero nemo audeat, nec præsumat vendere dictis gentibus blada aliqua ad victum hominis necessaria, absq; speciali licentia Officialium eorum locorum, in quibus logiatæ sunt, quæ in scriptis appareat, sub irremissibili pœna ducatorum quinq; pro modio. Ne tamen gentes ipsæ indigentia sentiant: contentamur, & volumus, quòd Officiales ipsi concedant dictis armigeris licentias opportunas ad computum stariorum duorum mensuræ Mediolani singulo mense pro banca. Sancimus etiam, quod vnusquisque possit, & valeat quoscumq; in omnibus casibus contrafacientes capere, arrestare, denunciare, & accusare coràm Officialibus nostris, & maxime Commissarijs super hac bladorum materia in Mediolano deputatis, & deputandis, debeatq; si voluerit, teneri secretus, & pro mercede suâ habeat medietatem eius, quod ex inuentione, denunciatione, & accusatione sua ad Cameram nostram peruenerit. Edicimus præterea, & declaramus, quod in omnibus, & singulis alijs casibus hanc materiam bladorum quomodolibet concernentibus, in quibus per præsens Decretum minime prouisum videatur, vel qui in ipso Decreto specificè comprehensa non sint locum habeant, & seruentur alia Decreta, alijq; ordines hinc retrò super hac bladorum, & victualium materia, tàm per nunquam delendæ memoriæ prædecessores nostros, quàm per nos editos, ac edita, aliquibus clausulis derogatorijs in ipsis Decretis, & Ordinibus, siue in aliquo ipsorum appositis nequaquam obstantibus. In quorum &c. Dat. Mediolani tertio Februarij MCCCCXLII.

Quod nemo trahatur coràm Exactoribus, nec alijs Officialibus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Dilecti nostri. Nonnulli sunt, vt informati sumus, in Dominio nostro constituti, qui abutentes fauore litterarum per nos, aut alitèr eis concessarum præsumunt, omni charitate, & humanitate postposita, in debitores eorum sæuire, alios autem non tantùm coràm Iudicibus ordinarijs, & tàm in diebus feriatis, & mercati, quàm alijs pro libito suo conueniunt, sed etiam coràm extraordinarijs, in quorum iurisdictione debitores ipsos reperiri contingat; alios coràm Exactoribus Cameræ nostræ aduocant, vt indirectis modis obtineant intentum suum, bene scientes, quod similes Exactores, siue iustè, siue iniustè fiat, parùm curant, modo ex fiendis executionibus aliquid vtilitatis, & commodi assequantur, alios etiam impotentes, & miserabiles carceribus tradi faciunt, & cum desint facultates, quibus satisfactionem consequi valeant, in sanguinem humanum crassantur; alios, qui cum tempore satisfacere eis possent, non supportant, sed per diurnam eorum detentionem ad extremam calamitatem, & miseriam quandam cum familijs suis redigunt, ex qua etiã sequuntur aliquando procellitatio personarũ; nonnulli verò, qui aliàs litterarum clypeo se tuentes prohibentium eos pro debitis priuatis conueniri, recusant sine vllo pudore eorum creditoribus satisfacere, aut vllã cum eis de satisfaciendo saltem ad tempus conuentionem habere, vt igitur tantæ nequitiæ, & insolentiæ occurramus, consulamusq; vtilitati intratarũ nostrarum, quæ propter has extremas executiones pro debitis priuatis introductas magnum detrimentum recipiunt. Quia non audent personæ hinc inde ire, & negotia, ac trafica sua facere detineri timentes, harum feriæ, quas

qu as pro lege, Decreto, & Ordine inuiolabili seruari volumus, publicari, & executioni mandari, dictas omnes litteras, siue processerint sub nomine nostro, siue sub nomine alterius cuiusuis ex nostris ad alicuius instantiam, quicumque ille sit, & quouis nomine nuncupetur, etiam si frater, aut filius nobis esset, contra debitores priuatos, non tantùm realitèr, sed etiam personalitèr compellendos, aut in fauorem debitorum, vt a creditoribus conueniri non possint, tamquam emanatas ad importunitatem petentium, & contra rectam mentem, dispositionéq; nostram, ac etiam contra dispositionem iuris communis, necnon Decretorum, Statutorum, & Ordinamentorum, tàm nostrorum, quàm Communitatum nostrarum, & in præiudicium iurium tertij, cassamus, reuocamus, irritamus, & pro penitùs annullatis, reuocatis, atque irritis haberi volumus, decernimus, ac iubemus, itaut nulla personalis executio pro debitis priuatis virtute dictarum litterarum fieri valeat, neq; debeat, nisi iure fieri debuerit, nec etiam possint debitores extra iurisdictionem suam, & coràm alijs Officialibus, quàm illis ad quos iure spectat vllatenus conueniri. Non insuper derogetur alicui creditori, quin contra debitores suos ius petere valeat, & debitis modis consequi. Declaramus tamen intentionis nostræ fore, quod si quæ litteræ contra debitores fugitiuos nominatim, & specialitèr debitis modis, & secundum ordines nostri Consilij compellendos reperiantur fuisse concessæ, seruari debeant, ac executioni mandari. Volentes etiam, quod hanc dispositionem nostram in Ciuitate ista, & omnibus locis Ducatus eiusdem publicari solennirèr faciatis, itaut ad omnium notitiam peruenire valeat, nemoq; eidem contra uenire præsumat, quicumq; verò alitèr fecerit perpetuam indignationem nostram se nouerit incursurum. Dat. Mediolani die xxj. Iulij MCCCCXLII. Marcolinus. A tergo Egregio Nobilibus, Sapientibusq; & prudentibus Viris Potestati, Vicario, & duodecim Prouisionum, & Syndicis Communis huius inclytæ Vrbis nostræ Mediolani.

Decretum super legitimationibus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Præcidere intendentes nimiam cupiditatem, & confidentiam nonnullorum Comitum Palatinorum, qui sibi concessis per importunitatem, vel alitèr à Sacra Cæsarea Maiestate Priuilegijs, tàm in legitimando spurios, & bastardos, quàm diuersis alijs modis abutuntur, proindeq; scandala, & inconuenientia plurima in Dominio nostro suscitant. Condidimus nuper decretum inclusi tenoris. Volentes, & mandantes vobis, quatenùs ipsum non tantùm solennitèr diuulgari faciatis, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum inseri, & describi, immo etiam in locis publicis, & consuetis affigi, & per copiam dimitti, nec minus, quatenus ad vnumquemq; vestrum spectat, illud obseruetis, ac obseruari faciatis, vosq; Abbates, & Notarij prouideatis, quod exteriores Notarij, qui matriculati sunt, de ipso Decreto, & contentis in eo notitiã habeant, ne ignoranrèr pœnam incidant dicti decreti. Dat. Mediolani die nono Octobris MCCCCXLII. Marcolinus. A tergo Egregio, Nobilibus, ac Sapientibus, & Prudentibus Viris Potestati, Vicario, duodecim prouisionum, ac Syndicis Communis, necnon Venerabili Collegio Aduocatorum, Abbatibus, & Collegio Notariorum Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani.

Tenor decreti.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Audientes multiplicatis Subditorum nostrorum querimonijs, inordinationes, quos sæpè hactenus secutæ sunt, & dietim sequuntur, siue ignorantia, & inaduertentia, siue dolo, & desiderio turpis quæstus nonnullorum Comitum Palatinorum habentium à Sacra Imperiali Maiestate amplissima Priuilegia ad legitimandum etiam spurios, & bastardos, ac alios omnes ex illicito coitu procreatos, siue mares fuerint, siue fœminæ, qui spurios, & bastardos huiuscemodi viuentibus, & non consentientibus eorum patribus, aut etiam, & maxime post eorum decessum legitimare non verentur, & illos ad successiones, hæreditatesq; habilitare in præiudicium legitimorum ex testamento, vel ab intestato succedere debentium ad successiones, hæreditatesque ipsas, legibus, & ex voluntate ipsorum parentum vocatorum vndè satis dubij, & incerti fuimus, quonammodo ea scandala, & inconuenientia tolleremus, quæ ex huiuscemodi abusione proueniunt, ne fienda à nobis prouisio Imperiali auctoritate aliqua ex parte detrahere videretur, aut aliena esse à reuerentia, obedientia, & deuotione, quâ Sacro tenemur Imperio; sed postea cogitantes, quod per importunitatem petentium ampliora sæpè conceduntur, quàm sit recta concedentium dispositio, sæpè etiam habentes concessiones, aut leuitate, aut cupiditate nimia eis abutuntur. Decreuimus omnino lasciuiæ, & insolentiæ Comitum ipsorum occurrere, & mala auertere, quæ ex legitimationibus, & habilitatibus dicto modo fiendis euenisse experti sumus, & euentura fore cognoscimus, nihil dubitantes, quod Imperialis Maiestas pro sua immensa prudentia, & maxima erga nos beneuolentia, & charitate prouisionem à nobis fiendam non improbabit, sed factam iudicabit ad scandala prohibenda, & maxime commendabit.

Quare præsenti nostro Decreto vim legis perpetuo habituro ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis etiam absolutè, edicimus, decernimus, statuimus, & mandamus, quod omnis legitimatio, & habilitatio ad successiones, & hæreditates facta, aut in futurum quouismodo fienda per quemuis Comitem Palatinum quantumcumq; latam, & amplum habentem Priuilegium de aliquibus spurijs, siue bastardis, vel alijs ex illicito concubitu natis, siue mares fuerint, siue fœminæ viuentibus, & expressè non consentientibus dictis eorum patribus, aut etiam post eorum decessum vana sit, ficta, & inanis, nulliusque roboris, efficaciæ, vel momenti, eamq; modo serie præsentium reuocamus, annullamus, & penitùs irritamus iniustum, indignumq; ac inhonestum nimis indicantes, quod ipsi Comites Palatini concessa eis per importunitatem potestate in dictis casibus abutantur, & spurios, & bastardos, aliosq; vt supra in odium patrum suorum, & succedere debentium præiudicium ad successiones, & hæreditates habilitent, proindeq; inter legitimos, & bastardos inconuenientia, & scandala suscitent, ex quibus etiam nonnunquã homicidia, & mala plurima subsequuntur.

Præterea, vt magis, ac magis lasciuiã dictorũ Comitũ reprimamus, & maior adhibeatur cura ne scandala, & inconuenientia ex prolapsibus ipsorum eueniant, sancimus, edicimus, & decernimus, quod nullus eorum quantumcumq; latum, & amplum Priuilegium habens eo de cetero in casu legitimandi vtatur quouis modo, absque nostri licentia speciali. Nemo etiam Officialis, siue Magistratus in Dominio nostro constitutus audeat, vel præsumat super aliquibus legitimationibus fiendis per aliquem Comitem Palatinum sine nostri licentia vt supra,

 vllam

vllam executionem facere, aut fieri permittere, sub pœna cuicumq; tàm Comiti, quàm Officiali, & Magistratui contrafacienti floren. quingentorum pro quolibet, & qualibet vice nostræ Cameræ applicandorum, & irremissibiliter infligenda, & floren. ducentum cuicumq; Not. præsumenti aliquod Instrumentum legitimationis contra dispositionem huius nostri Decreti quouis modo recipere, seu rogare. Mandantes deniq; vniuersis, & singulis Officialibus, Communitatibus, Ciuibus, Hominibus, & Subditis nostris ad quos spectat, & spectabit, quatenùs præsens nostrum Decretum in volumine aliorum Decretorum nostrorum inseri faciant, & describi, nec minus in locis publicis, & consuetis solenniter publicari, & affigi, ac etiam perpetuo inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die octauo Octobris MCCCCXLII.

Decretum, quod nullus exerceat artem procurandi, nisi sit oriundus Mediolani.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Recepimus supplicationem tenoris huiusmodi videlicet.

ILlustrissimæ Ducali Dominationi Vestræ reuerenter exponunt fidelissimi seruitores omnes slz. Procuratores, & artem procurandi exercentes in hac vestra inclyta Vrbe Mediolani, & tàm in foro Seculari, quàm in Ecclesiastico adesse Statutum in Mediolano, quod nulla persona possit exercere officium aduocandi, nec procurandi in Ciuitate, nec Comitatu Mediolani, nisi sit supposita iurisdictioni D. Potestatis Mediolani. Item adesse aliud Statutum, quod nullus possit esse de Collegio Iudicum Mediolani, ni ipse, vel eius pater fuerit oriundus de Ciuitate, & Comitatu Mediolani, ac de antiqua prosapia Ciuitatis, & Comitatus Mediolani, & de legitimo matrimonio natus, & maior annis xxij. & prout in eis Statutis pleniùs continetur, ad quæ digna relatio habeatur. Et quia plerumque contigit per D. V. vel officium prouisionum Communis vestri Mediolani fieri, seu creari aliquos Ciues, & fortè huiusmodi Ciues dici posse suppositos fore iurisdictioni Potestatis Mediolani, & consequenter dictum officium procuratoris posse exercere, quod tamen non creditur fuisse, nec esse de intentione E. D. V., nec dicti officij prouisionum, sed esse contra dispositionem dicti Statuti, dignetur E. V. D. ad tollenda huiusmodi dubia per patentes litteras ex certa scientia, motuque proprio, etiam de plenitudine potestatis, absolutè edicere, decernere, & mandare, quod per huiusmodi litteras Ciuilitatis concessas, aut concedendas non intelligatur, nec intelligi debeat vllo modo fuisse, nec esse concessum alicui taliter facto, seu creato Ciui posse, nec licere dictum officium procuratoris exercere in Ciuitate, nec Ducatu Mediolani, & quod dictum Statutum loquens de officio Procuratoris vt supra, seruetur, & seruari debeat huiusmodi ciuilitate nō attenta, & vltra, quod nullus possit esse Procurator, nec Officium Procuratoris exercere in Mediolano, nec Ducatu Mediolani, ni ipse, vel eius pater fuerit oriundus de Ciuitate, vel Ducatu Mediolani, & de antiqua prosapia Ciuitatis, vel Ducatus Mediolani, & de legitimo matrimonio, & maior annis xxij. & idem fiat, & seruetur in Procuratore, quod factum est, & seruatur in DD. Aduocatis dicti Collegij, prout supra tactum est, & ipsius attenta continentia, vtq; omnem dubium tollatur, ac etiam pro bono, & vtilitate Communis, & Ciuium huius inclytæ Vrbis nostræ Mediolani, maxime etiam attenta dispositione Statutorū, de quibus fit mentio, harum serie, ex certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis declaramus

claramus nostræ intentionis fuisse, & esse, quod per huiusmodi ciuilitatum litteras concessas, vel concedendas non intelligatur, nec intelligi debere volumus vllo modo fuisse, nec esse concessum alicui taliter facto, vel creato Ciui, etiam si factus, vel creatus esset Ciuis per Vicarium, & duodecim prouisionum, & seu Commune nostrum Mediolani, & exinde per nos confirmatum posse, nec licere dictum officium procuratoris exercere in Ciuitate, nec Ducatu Mediolani, immo volumus, & mandamus, quod prædictum Statutum loquens de officio Procuratoris vt supra seruetur, & seruari debeat, huiusmodi ciuilitatibus, & concessionibus ciuilitatum nequaquam attentis, & insuper ad cautelam, & corroborationem prædictorum, decernimus, statuimus, & per præsens Statutum, & Decretum nostrum ordinamus, quod nullus, sit qui velit, possit esse Procurator ad causas, nec huiusmodi officium Procuratoris exercere in prædicta nostra Ciuitate Mediolani, nec eius Ducatu, nisi ipse, vel eius Pater fuerit oriundus de prædicta Ciuitate, vel Ducatu nostris Mediolani, & maior annis xxij. Mandantes Potestati, Vicario, & duodecim prouisionum prædictæ nostræ Ciuitatis, quatenus huiusmodi ordinationem, & declarationem nostram, quàm vim legis, Decreti, & Statuti habere volumus, & iubemus seruari faciant, & executioni mandare, ac describi in volumine aliorum Statutorum, & Decretorum nostrorum, & dicti nostri Communis. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli appensione muniri. Dat. Mediolani die tertio Nouembris MCCCCXLII. vj. Inditione. Lanzalotus. Marcolinus.

Decretum, quod Antiani, & Consules locorum teneantur notificare Maleficia Iudicibus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ Dominus. Quominùs diligentèr, & curiosè sæpiùs proceditur ad inquisitionem, & punitionem criminũ, excessuum, & delictorum, quę committuntur in territorio nostro, quod Antianorum, & Consulum, ac Consilium hominum negligentia, & culpa in primis videtur suboriri eò confidentiùs, & minore cum respectu prorumpitur ad excessus eiusmodi, cui quidẽ defectu in multiplices profectò iacturas cedenti cum obuiare disponamus, & talibus delictis, criminibus, & excessibus viam præcidere pro viribus, compilari fecimus Decretum præsentibus inuolutum, itaque volumus, quod Decretum ipsum, vbicumque fuerit opus, publicari, immo etiam in volumine aliorum Decretorũ nostrorum poni, & describi, & ad vnguem obseruari faciatis. Dat. Mediolani die xij. Nouembris MCCCCXLIII. Bonifortus. A tergo Regulatori, & Magistris Intratarum nostrarum Extraordinariarum.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ Dominus. Sentimus, & veridica informatione certificati sumus, multas deceptiones, & fraudes in vniuerso Dominio nostro fuisse commissas, & dietim cõmitti, vt maleficia, crimina, excessus, vel delicta commissa, & quæ dietim committuntur in lucem non veniant, aut impunita remaneant præsertim in occultando, & occultari faciendo denunciationes, accusas, & querelas, aut eas in alia forma, quàm veritas se habuerit porrigendo, aut porrectas mutando, quæ coràm Rectoribus, & Iusdicentibus nostris nobis mediatè, vel immediatè subiectis porrectæ fuerunt, & porrigentur pro talibus criminibus, maleficijs, excessibus, aut delictis, necnon super idm porrectis, accusis, querelis, vel denuncijs colludendo, & alijs varijs, & diuersis quæsitis

coloribus talitèr agendo, quod aut non proceditur ſuper eis, aut ſententiam ſequi faciunt abſolutoriam, vel ſaltem pœnas debitas faciunt alterari in graue damnum, & pręiudicium Status, & honoris, ac Intratarum, & Camerę, necnon Communitatum, Ciuitatum, & Terrarum noſtrarum, Subditorumq; noſtrorum, itaq; diſpoſiti deceptionibus, colluſionibus, & fraudibus huiuſmodi de opportuno remedio prouidere, edicimus, & hoc pręſenti noſtro Decreto & Lege in perpetuum valituris decernimus, & mandamus, quod quilibet Conſul, Antianus, Parochianus cuiuſcumq; Ciuitatis, Terrę, Caſtri, Villę, loci, vel Parochię nobis mediatè, vel immediatè ſubiecti, vel ſubiectę ſingula ſinguli s congruè referendo teneatur, & debeat infra decem dies à die commiſsi criminis, delicti, vel exceſſus numerandos denuntiare, & in ſcriptis porrigere illi Rectori, & Iuſdicenti, ſub cuius iuriſdictione fuerit talis Conſul, Antianus, vel Parochianus omnia, & ſingula maleficia, crimina, vel delicta cõmiſſa nundum denunciata, vel etiam denunciata, ſed non prout delictum commiſſum fuit, & quę de cętero committentur in Conſulatu, Antianitatu, vel Parochia ſua, cum veris qualitatibus talium maleficiorum, delictorum, vel criminum cum loco, cohęrentijs, anno, & menſe commiſsi maleficij, & cum nominibus, & cognominibus perſonarũ, quę maleficiũ ipsũ commiſerunt, & cõmitti fecerunt & cum inſertione nominum, & cognominum teſtium, qui interfuerunt, aut de ipſis delictis informati erunt quomodocumq; ſiue ex talibus maleficijs, delictis, vel exceſsibus pœna corporalis, & confiſcationis bonorum, ſiue corporalis, & pecuniaria ſimùl, ſiue verò tantũ corporalis, ſiue pecuniaria tantũ veniat imponenda, & ſiue huiuſmodi pœna Camerę noſtrę, & Comitatu illius Ciuitatis, Terrę, vel loci ſimùl, ſiue Camerę noſtrę tantùm, ſiue Comitatu tantùm veniat applicanda, & hoc ſub pœna cuilibet Conſuli, Antiano, vel Parochiano, qui non denunciauerit, & in ſcriptis non portauerit vt ſupra, floren. decem vbi pœna corporalis, vel confiſcationis bonorum non veniat imponenda, vbi autem corporalis tantum, vel confiſcationis bonorum tantùm veniat imponenda, duplicetur pœna pro quolibet ipſorum, & totiens quotiens contrafecerit Camerę noſtrę applicanda, & hoc vltra pœnas eis impoſitas per decreta noſtra, ſiue per Statuta illius Ciuitatis, Terrę, vel loci, in quo, ſeu qua talis Conſul, Antianus, ſiue Parochianus moratur, ad quas pœnas ſi fuerint inhabiles teneantur homines Terrarum, aut vicinantię, & omnes habitantes, & incolę Terrarum prędictarum, & Parochię pro ſupraſcriptis Conſulibus, Antianis, & Parochianis negligentibus vt ſupra, ſingula ſingulis congruè referendo.

Item, quod talis Antianus, vel Parochianus vltra denunciationem in ſcriptis dandam vt ſupra teneatur, & debeat pro eodemmet maleficio, ſeu delicto eodem modo, eodemq; tempore, & ſub eorundem verborum conceptione in ſcriptis denunciare, & dimittere Syndico, ſeu Procuratori Fiſci, & Camerę noſtrę in tali Ciuitate, Terra, ſeu loco, in quo, ſeu qua tale maleficium fuerit commiſſum, vel in futurum committetur per nos deputato, ſiue deputando, ſub eadem pœna de qua ſupra. Declarantes tamen, & expreſsè mandãtes, quod talis Syndicus Camerę noſtrę deputatus, vel deputandus, nec eius Notarius non poſsit, nec valeat aliquam pecunię quantitatem, nec aliquam aliam rem accipere, etiam à ſpontè dante pro huiuſmodi accuſa, denuncia, vèl querela eidem Syndico, vt pręmittitur danda, & dimittenda, ſub pœna quadrupli eius, quod acceperit Camerę noſtrę applicanda.

Item, quod ſi contigerit aliquas ex dictis Terris, locis, vel Villis fortè Conſules non habere, teneantur infra quindecim dies à die publicationis pręſentis noſtri

Decreti

Decreti numerandos incolæ talis Terræ, loci, vel Villæ vnum, vel plures eligere, & deputare, qui habeat, & teneatur denuntiare, & in scriptis porrigere, prout tenentur Consules vtsupra, sub pœnis suprascriptis.

Item statuimus, decernimus, & mandamus, quod porrecta huiusmodi denuncia, querela, siue accusa, scilicet dicto Iusdicenti, seu Rectori, & dicto Syndico, seu Procuratori Fisci, & Cameræ nostræ, & vtsupra, teneatur talis Iusdicens, Potestas, Capitaneus, siue Rector debitum inchoare processum super tali maleficio, seu delicto sibi, vt præmittitur denunciato, & super eo debitè procedere, dictumq; processum fine debito terminare secundum formam, & infra terminum, ac instantiam per Decreta, siue Statuta talis Ciuitatis, Terræ, vel loci limitatos, vel limitatum, sub pœna in talibus Decretis, siue Statutis contenta, & si in dictis Decretis, siue Statutis pœna contenta non reperiatur imposita, tunc, & eo casu sub pœna salarij vnius mensis, quod tali Potestati, Capitaneo, Rectori, vel Iusdicenti non procedenti, vel non expedienti vtsupra, irremissibilitèr retineatur ex, & de pagis, quæ secundum ordines nostros currere debebunt, & Cameræ nostræ extraordinariæ, respondeatur totiens quotiens fuerit contrafactum, vel contrauentum in prædictis, vel aliquo prædictorum si tamen per Decreta, seu Statuta non reperiatur esse prouisum infra quem, seu quos terminos huiusmodi processus debeant formari, & terminari, teneantur, & debeant huiusmodi processus inchoare infra dies quinque à die porrectæ denunciæ, querelæ, vel accusæ numerandos, ipsumq; finire, & terminare alios sexaginta dies continuos ad tardius, exceptis tantùm diebus feriatis in honorem Dei à die inchoati processus numerandos, sub pœna salarij vnius mensis tali Rectori, vel Iusdicenti pro quolibet processu non inchoato, & vt præmittitur non finito vtsupra, quod irremissibilitèr retineatur, & respondeatur vtsupra, & Vicarij, & Sydicatores nostri teneantur tempore syndicatuum eorum Rectorum, vel Officialium diligentèr de prædictis inquirere, & culpabiles punire modo quo supra, sub pœna cuilibet Vicario, vel Syndicatori non inquirenti, & non punienti vtsupra, salarij vnius mensis, & vlterius sub grauiori pœna nostro arbitrio imponenda.

Item statuimus, decernimus, & mandamus, quod talis Iusdicens, siue Rector teneatur, & debeat in omnibus, & singulis actibus in, & super talibus processibus fiendis, etiam vsq; ad diffinitiuam sententiam inclusiuè legitimè vocari, & citari facere dictum Syndicum, & Procuratorem ad domum solitæ habitationis, si talis Syndicus, & Procurator manserit, seu residentiam fecerit in tali Ciuitate, Castro, vel loco, si minus, teneatur saltem in casu absolutoriæ fiendæ per priùs in scriptis auisare prædictum Syndicum constitutum in Ciuitate, sub cuius districtu, seu Diœcesi fuerit, in quo de tali cognoscitur, & ab ipso Syndico expectare responsum prius, quam sententiam proferat, saltem per quatuor dies, sub suprascripta pœna, & totiens quotiens fuerit contrafactum, & nihilominùs processus, qui factus fuerit prædicto Syndico, & Procuratore legitimè non citato vtsupra, in quantum concernent præiudiciam Cameræ nostræ, aut Communitatis, Ciuitatis, vel loci sit nullus, nulliusq; valoris, roboris, vel momenti, & possit, ac debeat talis actus, seu processus de nouo fieri, & agitari, ac procedi perinde ac si actum ille factum non fuisset.

Item statuimus, decernimus, & mandamus, quod in apprehendendo, describendo, & incorporando Cameræ nostræ, & eius nomine bona mobilia, semouentia, & immobilia, iura, & actiones talium delinquentium, siue ante, siue post condemnationem, & in alijs præsenti nostro Decreto non comprehensis, nec materiam cõtentorum in ipso Decreto concernentibus seruentur, & seruari

 debeant

debeant alia Decreta nostra, & eorum dispositionem. Decernentes, & volentes omnino hoc præsens nostrum Decretum, & omnia, & singula in eo disposita locum habere, & roboris firmitatem obtinere in futuris casibus, & etiam in pendentibus nō decisis; verùm si, in casibus occursis à duobus annis citrà, etiā per sententiam decisis, & terminatis, per sordem collusionem, aut negligentiam Iusdicentis, vel Rectoris, Notarij, vel alterius cuiusuis personæ, aut occultationem, vel aliter quomodocumq; indebitè absolutoria aliqua sequuta sit, aut pœna diminuta, vel alterata fuisset, decernimus, & mandamus, quod Iusdicens, siue Rector, in cuius Iurisdictione talis sordes collusio, negligentia, aut occultatio commissa, aut facta fuerit, teneatur, & debeat ad instantiam, & requisitionem cuiuslibet personæ, Communis, Collegij, vel Vniuersitatis, & maxime ad instantiam, & requisitionem Syndici, & Procuratoris Fisci, & Cameræ nostræ, siue Communitatis probare, & ostendere volentis, quaslibet probationes, & informationes recipere de, & super talibus sorde, collusione, negligentia, & occultatione, & qualibet earum. Et si per huiusmodi probationes constiterit saltem semplenè de tali sorde collusione, negligentia, aut occultatione, possit, & debeat talis Rector, vel Iusdicens, iterū, & de nouo super tali crimine, maleficio, vel delicto procedere, & terminare, seruata forma præsentis nostri Decreti, & non obstante, quod de huiusmodi maleficio cognitum, & pronuntiatum fuerit. Declarantes insuper, & expressè mandantes, quod nullus Notarius deputatus, & deputandus ad maleficia, vel damna data audeat, vel præsumat pro aliquo actu fiendo coram eo occasione alicuius maleficij, vel damni dati petere, requirere, exigere, nec recipere directè, nec per indirectum causa maleficiorum, vel damnorum datorū vltrà conuenta in capitulis eius incantus si talis Notaria fuerit incantata, si verò incantata non fuerit, non audeat, nec præsumat causa petere, requirere, exigere, nec accipere vltra illud, quod taxatum expressè reperiatur per Statuta Ciuitatis nostræ, vel loci in quo, seu qua talia maleficia, vel damna data agitabuntur, sub pœna quadrupli eius, quod exigerit, vel acciperit. Mandantes omnibus, & singulis Capitaneis, Rectoribus, & Iusdicentibus, necnon Communitatibus, Consulibus, & hominibus quarumcumq; Ciuitatum, Terrarum, vel locorum nobis mediatè, vel immediatè subiectorum, quatenus præsens nostrum Decretum obseruent, & faciant inuiolabiliter obseruari, prout iacet, & sine alia interpretatione verborum, non obstantibus aliquibus Statutis, Decretis, & Ordinibus, & alijs quibuscumque in contrarium facientibus, quibus in hac parte ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis derogamus, in quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die duodecimo Nouembris MCCCCXLIII.

Nouum Decretum Mercatorum.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Recepimus supplicationem parte Mercatorum huius Almæ nostræ Ciuitatis tenoris huiusmodi vlz. Illustrissime Princeps. Per Mercatores Mediolanenses ordinata olim fuere capitula quædā ad prohibendos illicitos contractus, qui fiunt sub colore, & prætextu traffici Mercantiæ, aliaq; subiunxerunt capitula facientia ad materiam appellationum, quæ interponuntur à sententijs Consulum Mercatorum, vt appellationum ipsarum commissio ad eosdem Abbates deuoluantur, expediaturq; summariè, prout in eisdem Capitulis

pitulis continetur, quorum copia est ijs inferius descripta, quæ omnia Dominatio Vestra plenius approbauit, practicariq; iussit, & seruari; deinde tamen propter emergentes casus ex conditione belli placuit Dominationi Vestræ confirmationem eiusmodi, quantum concernit materia contractuum, reuocare. Verùm quia omnia ipsa capitula, tàm pro appellationibus, quàm pro contractibus eisdem in litteris apposita, & simùl, & semèl confirmata fuerunt, succedente postmodum reuocatione ipsa, remanserunt paritèr, & æquè reuocata capitula super appellationibus, vnà cum capitulis pro facto, & materia contractuum; & quia non dubitatur mentis vestræ fuisse reuocare dumtaxat capitula super eiusmodi contractibus, non autem capitula de appellationibus, quæ à capitulis contractuum separata sunt, & aliam materiam omninò diuersam, & separatam continent, supplicant humillimè Vniuersitas, & Collegium Mercatorum Mediolani, vt Excelsa Vestra benignitas, pro cõmendabili causarũ expeditione, coràm ipsis Consulibus dignetur eadem ipsa capitula super appellationibus de nouo litteras approbare, cõfirmareq; vnà cum alijs capitulis per Mercatores circa id negotium postea compilatis, quæ inclusa paritèr describuntur, hæc cum omnia capitula pro dirigendis, & expediendis appellationibus, conuenientiam omnino, æquitatem, & honestatem contineant, quorum tenor talis est.

Item, quia Decretum causarum ciuilium per expressum dicit, quod ipsum Decretum non habeat locum in causis Mercatorum, & sic est sensus, quod instantiæ causarum Mercatorum debent esse breuiores, licet in ipso Decreto istud non sit expressum, ideò requiritur, quod instantiæ causarum, quæ vertentur, & quæ verti possent coràm præfatis Dominis Consulibus, & Abbatibus, vel altero eorum secundum formam Statutorum Mercatorum, non excedant, nec excedere possint, nec debeant viginti dies vtiles inchoandos à die petitionis, seu libelli, contradictionis, querelæ, vel cuiuslibet alterius requisitionis, infra quos causæ ipsæ decidi, & terminari debeant iuxta formam Statutorum prædictorum summariè, & sola veritate inspecta, & absq; Consilio alicuius Sapientis, nisi causa eis videatur nimis dubia, vel ponderosa, quo casu possint consulere vni Iurisperito, cui ipsis videbitur, qui sit de Collegio Iudicum Mediolani, attento, quod inter Mercatores de bona fide agitur, saluo quod si in aliqua causa, & quæstione data fuerit aliqua dilatio alicui parti ad probandum per testes, qui sint extra Ciuitatem, & Ducatum Mediolani, quod tunc, & eo casu durante dicta dilatione non intelligatur currere, nec currat tempus dierum viginti vtilium, immo finita ipsa dilatione sint, & esse intelligantur in illismet statu, gradu, & iure, in quibus, & prout erant immediatè ante dationem dictæ dilationis ipsa parte, cui data fuerit dicta dilatio vtsupra, iurante, quod ipsam dilationem non petit, nec recipit calumniosè, nec in fraudem, sed credens ipsis testibus indigere ad probationem iuris sui, & non alitèr.

Item ad remouendum quæstiones, quæ sæpè oriuntur, & ortæ sunt inter Mercatores, & eorum debitores, qui emunt Mercantias ad credentiam cum pacto faciendi obligationem venditori, & qui antequàm faciunt obligationem exportari faciunt Mercantias præsertim causa videndi si Mercantiæ ipsæ sint in aliquo defectuosæ, & certis alijs de causis, & postmodum quando habent Mercantias in se, & seu penès se recusant facere obligationem creditori, ordinauerunt, & ordinant, quod si quis emerit Mercantiam ad credentiam cum pacto faciendi obligationem creditori postquam habuerint Mercantiam si citatus fuerit coràm Consulibus Mercatorum Mediolani ad

instantiam

instantiam creditoris per præfatos Dominos Consules detur terminus ipsi debitori trium dierum, seu præcipiatur per ipsos Dominos Consules ipsi debitori, quatenùs infra dies tres debeat fecisse ipsi creditori suo obligationem dicti debiti, quam facere debet, & tenetur secundum, quod conuenerunt, & iurari debeat per vtramq; partem, prout in alijs Statutis, seu consuetudinibus Mercatorum continetur, quo termino elapso si ipse debitor non fecerit ipsam obligationem dicto creditori suo, tunc, & eo casu si creditor talis Mercantiæ probauerit per Marosserium mercati illius cum sacramento ipsius Mercatoris de dicto debito cum pacto debendi facere obligationem, ipse talis debitor cogatur, & cogi debeat realitèr, & personalitèr ad soluendum ipsum debitum ad numeratum, seu de præsenti, ac si terminus non foret sibi factus, & hoc non obstante termino sibi dato pro pacto mercati ipsius.

Item attento, quod in Statutis Mercatorum Mediolani non est Capitulum plenè disponens ad sufficientiam super executione litterarum cambij, requiritur, quod quotiescumq; requisitus fuerit aliquis debitor occasione litteræ cambij cum prætextu non factæ solutionis iuxta consuetudinem litterarum cambij, & iurauerit creditor, dictum cambium non fuisse cambium mortuum, possint Abbates, & Consules statim realitèr, & personalitèr cogere, & compellere personalitèr debitorem ipsius cambij ad soluendum totum id de quo erit debitor, saluo si satisdederit idoneè de soluendo infra octo dies proxime futuros.

Item, quod nulla persona, Commune, Collegium, vel Vniuersitas possit appellare, seu appellationem interponere ab aliqua sententia diffinitiua, vel interlocutoria, cuiuscumq; quantitatis sit lata, seu ferenda per Dominos Abbates Mercatorum Mediolani, vel aliquos ex eis, nisi appellans, qui fuerit condemnatus, vel in toto, vel in parte, & seu eius, quod petitum fuerit prius deponat totum illud de quo fuerit condemnatus, vel declaratum ipsum esse debitorem, vel tantam pecuniam æquiualentem, & nisi prius soluerit integralitèr omnes expensas, in quibus fuerit condemnatus, & deposuerit totidem pro expensis fiendis in causa appellationis, & hoc quoad expensas, siue fuerit actor, siue reus, qui appellauerit, & quæ appellationes, in casibus, in quibus appellari possit, debeant infra dies quatuor continuos à die latæ sententiæ, & seu notitiæ habitæ, vbi contra absentem lata esset, & vltra illud tempus fieri possint, & quod commissiones appellationum fieri debeant per Abbates, & Consules, & non per aliquem alium, & intelligantur factæ auctoritate Ducali, & fiant duobus, vel tribus Mercatoribus approbatis, & descriptis, & fieri debeant vni, vel tribus Mercatoribus confidenti, seu confidentibus vtriusq; partis, vel alterius tantùm in contumaciam eius, quæ dare confidentes suos recusauerit, & quod in quibus fient, & factæ fuerint tales commissiones, respectu illius causæ, habeant eandem iurisdictionem, & potestatem, quam habuerunt Consules, seu Abbates in causa principali, & similitèr iudicare debeant inspecta veritate, vt supra in principali causa continetur, & quod instantiæ dictarum appellationum durent, & durare debeant diebus viginti vtilibus à die commissionis factæ numerandis, & non vltra.

Item, quod quisquis apparuerit prima facie debitor ex causa Mercantiæ per cartas, vel condemnationes, vel scripturam manu debitoris factam, vel per litteras cambij, non possit dare, nec porrigere contra apparentem creditorem aliquem libellum exhibitorium, nec aliquod iudicium mouere, nec aliquod impedimentum, nec aliquem actum contra creditores suos in iudicio,

vel

vel extra facere, cuius occasione fiat aliquod præiudicium, quin possent omnem executionem facere contra ipsos apparentes debitores, quæ fieri potest regularitèr secundum formam Statutorum Mercatorum.

Item, quod nullus Aduocatus, nec Causidicus exercens communitèr officium Procuratoris possit cõparere pro aliquo debitore coràm dictis Abbatibus, & Consulibus Mercatorũ, nisi placuerit ipsis Dominis Abbatibus, & Cõsulibus, inspecta qualitate personarum, puta minorum, viduarum, & miserabilium personarum, aut si dictis Abbatibus, vel Consulibus causa videatur multum dubitabilis, & ardua.

Et attentis supranarratis, & maxime, quia per Consiliarios nostros Iustitiæ videri, & examinari, ac reformari fecimus capitula ipsa, & prouisiones antedictas, eas, tenore præsentium ex certa scientia prout supra iacent ad litteram confirmamus, & approbamus, paritèrq; & ratificamus, volentes, & mandantes Abbatibus, & Consulibus Mercatorum prædictæ nostræ Ciuitatis præsentibus, & futuris, quatenùs capitula, & prouisiones ipsas prout supra iacent describi, & inseri faciant in volumine Statutorum, & Decretorum nostrorum, & prædictorum Mercatorum. Mandantes insuper quibuscumq; Officialibus nostris, ac Abbatibus, & Consulibus prædictis, tàm præsentibus, quàm futuris, quatenùs has nostras confirmationis litteras, &c. contenta in eis prout iacent, seruent firmitèr, & exequantur, ac seruari faciant, & executioni mandari, eorumdem tantùm correctione, additione, mutatione, diminutione, ac interpretatione nobis, & arbitrio nostro in posterum reseruata. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die primo Augusti MCCCCXLIIII. Lanzalotus. Raphael.

Capitulum appositum in Datijs panis, vini, & carnium Ducatus Mediolani vsq; de anno 1444. videlicet.

ITem, quod nullus, sit qui velit, nisi habeat litteras ab Illustrissimo D.D. nostro concessas, sigillatas corniolæ secretæ, audeat, nec præsumat per se, nec submissam personam, aut alitèr vendere, nec vendi facere in toto Ducatu Mediolani panem, vinum, nec carnes contra voluntatem Datiariorum ipsius Datij, aut præter eorum expressum consensum, & locationem, &c. qui contrafecerit, ipso facto condemnetur, & condemnatus intelligatur irremissibilitèr, vltra alias pœnas expressas in dato, & pactis antea editis, viz. ille qui vendiderit, in lib. xxx. Imper., & qui emerit in lib. iiij. Imper. pro qualibet vice, & qualibet persona qua contrafactum fuerit huic datio, quæ pœna perueniat pro medietate ad Cameram Ducalem, & pro alia medietate in Datiarios, & quod super huiuscemodi accusis, & inuentionibus factis occasione suprascriptis adhibeatur plena fides Datiarijs, cum vno teste fidedigno, cũ eorũ sacramento, & procedatur, & procedi debeat summariè, & expeditè, quibuscumq; cauilationibus, & litibus reiectis; de fide tamen ipsis testibus adhibenda stetur determinationi Spectab. DD. Magistrorũ &c. intelligendo tamen, quod tabernæ antiquæ Nobilium de Vicecomitibus, quæ ab anno 1425. retrò eorum propriæ erant seruentur exemptæ iuxta solitum.

Decretum, quod Officiales, familiares, & salariati D. volentes soluere congruam pensionem pro domibus in quibus habitant, non possint expelli.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Varias, & diuersas querelas Officialium, familiarium, & salariatorum nostrorum sentientes ne expellantur è domibus à se conductis pro vsu, & habitatione eorum, ipsis volentibus congruam pensionem dominis, & proprietarijs earundem soluere, & detrimentum non inferentibus, sed eas, prout conuenit habitare, in mentem relocauimus, quòd alràs tempore nunquam delendæ memoriæ Illustrissimi Domini quondam Genitoris nostri, dum Curiam suã teneret in Ciuitate nostra Papiæ, conditũ superinde fuit quoddã Decretum, & circa id subsequuta declaratio, tàm propter pensionem, quàm afferebant nostri Ciues Papienses habere debere ab inquilinis ipsarum domorum pro tempore tunc præterito, tùm propter non æquam æstimationem pensionis domorum ipsarum, tùm etiam propter expensas, quæ afferebantur per Inquilinos inutilitèr, & superfluè in ipsis domibus factis per tunc familiares, officiales, vel prouisionatos prælibati quondam D. Genitoris nostri. Quodq; constituti, & deputati fuerunt Simon Magatus, & Butius de Campisijs superinde, prout latiùs hæc, & alia continentur in ipsis Decretis, & declarationibus, quæ hic habeantur pro repetitis. Cum ergo sentiamus in præsentiarum obici officialibus, familiaribus, & salariatis nostris, præfatos ordines locum sibi non vendicare in hac nostra florentissima Vrbe Mediolani, sed solùm loqui de Ciuitate, ac Ciuibus Papiæ, & per hoc plurimos ex eis vario modo vexari, ac turbari, multasq; controuersias inde suscitari. Cupientes his omnibus opportunè prouidere: hoc nostro præsenti Decreto perpetuo valituro, decernimus, statuimus, & iubemus illud idem seruari debere inconcussè, mutatis mutandis, in hac ipsa Vrbe nostra, & alibi vbi Curia nostra tenta fuerit, tàm per nos, quã successores nostros. Cócedentes ex nunc curam, & potestatẽ Regulatori, & Magistris Intratarum extraordinariarum, ac possendi duos deputare, & eligere loco prædictorum olim Simonis Magati, & Butij de Campisijs cum illamet baylia, & arbitrio, quàm quondam Simon, & Butius in præmissis, & circa præmissa habebant. Volentes, & mandantes expressè, quod ipsi Regulator, & Magistri in hac eadem nostra Vrbe, & in locis solitis, & consuetis ordines ipsos veteres, cum hac declaratione, solennitèr publicari faciant, & inuiolabilitèr ex nunc obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die tertio Octobris MCCCCXLIIII. Gunifortus, sub sigillo Aloysius.

Decretum, & ordines sequuntur vlz.

VT vnusquisq; tàm Ciuis nostræ Ciuitatis Papiæ, quàm familiaris noster in locandis, atque conducendis domibus in Ciuitate nostra Papiæ sciat, quod merito habeat ad agendum. Tenore præsentium volumus, edicimus, & mandamus, quod omnes, & singuli familiares, seu officiales nostri, & habitantes in Ciuitate nostra Papiæ, qui teneant domos pro eorum vsu, & habitatione ab aliquo ciue, vel terrigena Ciuitatis, & districtus nostri Papiæ ad pensionem, non possint, neque debeant possessione, neque habitatione ipsarum domorum, & habitationum contra eorum voluntatem aliqualitèr priuari, nec cogi ad eas dimittendas vllo modo per dominos, & proprietarios eorundem, seu

seu illos ad quos spectet, aliqua ratione, vel causa, ipsis nostris familiaribus, & Officialibus dumtaxat debitam de ipsis domibus pensionē persoluentibus eis quorum ipsæ erunt, vel spectabunt, & detrimentum in eis non inferentibus, sed eas prout conuenit habitantibus.

At quoniā multiplices querelas habuimus à ciuibus nostris Papiæ occasione domorū, in quibus habitant aliqui ex familiaribus, officialibus, vel prouisionatis, tum propter percussionem, quam asserunt habere debere ab Inquilinis ipsarum domorum pro tempore præterito, tùm propter non æquam æstimationem pensionis domorum ipsarum, tùm etiam propter expensas, quæ asseruntur per ipsos Ciues inutilitèr, & superfluè factas in dictis domibus per ipsos familiares, officiales, vel prouisionatos nostros. Idcireò cupientes super hoc de opportuno remedio prouidere, talitèr, quod nec ipsi quorum sunt ipsæ domus, nec illi, qui eas habitabunt iustam habeant causam conquerendi. Tenore præsentium volumus, edicimus, & mandamus, quod si aliqui ex prædictis familiaribus, officialibus, vel prouisionatis nostris hinc retro domos aliquas tenuerint pro pensione conuenta inter ipsos, & restent ad soluendum illis, quorum sunt ipsæ domus pensionem ipsam in toto, vel in parte, debeant ipsis integrè satisfecisse infra mensem vnum à die datæ præsentium computandum. Si vero ipsas domos, sine conuentione pensionis tenuerint, similitèr debeant satisfecisse infra dictum mensem pro pensione prædicta iuxta æstimationem, quam facient Simon Magatus, & Butius de Campisijs, quos super hoc specialitèr deputamus habendo respectum ad illud tempus, quo inceperint ipsas domos habitare, & sic subsequentèr de anno in annum, quia non est congruum pensiones æstimare nisi solùm de tempore in tempus, prout communitèr pensionari potuissent. Præterea volumus, edicimus, & mandamus, quod de cætero domus ipsæ de nouo debeant æstimari per suprascriptos iusta, & conuenienti pensione, & quod tenentes ipsas domos, secundū taxationem ipsam, seu æstimationem anno singulo soluere teneantur; circa facti expensarū, similitèr volumus infrascriptum ordinem seruari vlz. Quod expensæ factæ in domibus prædictis per prænominatos familiares, officiales, vel prouisionatos nostros, quæ sint vtiles, vel necessariæ, debeant videri, & diligentèr æstimari per prædictos æstimatores nostros, & subsequentèr computari in pensione, quam ipsi Inquilini dare tenentur illis, quorum sunt, & si nihil dare debent, in pensione futura computentur. Si vero per ipsos familiares, officiales, vel prouisionatos nostros in ipsis domibus sint factæ aliquæ expensæ, quæ non sint vtiles, vel necessariæ, sed voluntariæ, volumus, quod de restitutione ipsarum, vel non, fiat ius per Potestatem nostrum Papiæ vtriq; parti; deinceps autem non intendimus, neq; volumus, quod per ipsos familiares, officiales, vel prouisionatos nostros fiant aliquæ expensæ in dictis domibus sine licentia, & voluntate illorum, quorum sunt domus prædictæ, tamen si casus euenerit alicuius expensæ necessariæ in ipsis domibus fiendæ, volumus, quod eo casu habitator ipse habeat recursum ad prædictum Potestatem nostrum Papiæ, & sibi notificet illud factum, qui Potestas mittat pro illis, quorum erunt domus ipsæ, & inducat eos ad faciendum expensam ipsam necessariam, vel ad eone edendam licentiam ipsi Inquilino, quod super pensionem illam expensam facere possit, quod si recusauerit, adeo, quod domus ipsæ non diruant, vel deuastentur, liceat tunc habitatoribus earum domorum cum licentia, & determinatione Potestatis prædicti ipsam expensam facere, & ea computari debeat in pensione prædicta, & si casus contingeret, quod familiares, officiales, vel prouisionati nostri prædicti prædicta obseruare non vellent, vel pecuniam pensionis ad prænominatum terminum non soluerent, & de cætero

non

non soluent. Volumus, & tenore præsentium mandamus Potestati nostro prædicto, quod ipsos statim faciat domos ipsas euacuare, & liberè relaxare illis, quorum sunt. Similitèr mandamus Thesaurario nostro ordinario præsenti, & futuro, quatenùs pagas illorum, qui prædicta facere, & adimplere recusauerint vsq; ad concurrentem quantitatem eius, quod dare debebunt retinere debeant, & de illis respondere prædictis, quorum sunt ipsæ domus, quousq; fuerint integrè persoluti, & hoc quotiescumq; constiterit, ipsi Thesaurario per scriptum Potestatis nostri Papiæ, quod tales eas domos habitantes sint debitores de pensionibus antedictis.

Decretum, quod nemo sit exemptus à solutione Datij Imbotaturarum, nisi sit ex Nobilibus Vicecomitibus.

IN primis in Datio Imbotaturarum prædictarum declaratur, quod nullus laycus (exceptis Nobilibus de Vicecomitibus, qui ex antiqua consuetudine præseruari debent, in quorum numero comprehendatur Philippinus Vicecomes) intelligatur possit frui beneficio alicuius Priuilegij, concessionis, vel immunitatis per quamcumq; personam cuiuscumq; conditionis, status, tituli, vel dignitatis concessi, & elargitæ, nisi habeat litteras Ducales huiusmodi immunitatum sigillatas corniola secreta ab anno MCCCCXXV. citra secundum tenorem Decreti conditi de anno MCCCCXXXV. die xviij. Octobris. Quod tales reperti non habere exemptiones sigillatas vtsupra, teneantur ad solutionem imbotaturarum, quemadmodũ reliqui non exempti. Et similitèr, quod nullus habens litteras exemptionis vtsupra sigillatas, etiamsi esset ex Nobilibus Vicecomitum audeat, nec præsumat aliquo modo receptare, nec tenere, nec permittere per suos, vel ipsorum quemuis receptari, nec teneri in eorum domibus, sediminibus, capsinis, nec scientèr in agro eorum, vel alitèr aliqua blada, vinum, nec fenum, de quibus solui debeat datium prædictum, & intelligantur receptasse si aliquod prædictorum repertum fuerit vtsupra, proindeq; in commissum cecidisse, & qui contrafecerint, ipso facto priuati sint omni iure talium exemptionum; & ad solutionem Imbotaturarum cogi debeant, prout reliqui non exempti per Datiarios vbi fraus, & deceptio commissa fuerit pro vino, bladis, ac feno receptatis, vel alitèr conductis, & hoc ad pœnam duplicis datij ab eis exigendi. Franciscus de Graffis Notarius Officio Referendariæ Communis Mediolani subscripsit.

Item, quod tales exempti teneantur præstare patientiam dictis Datiarijs, & Officialibus intrandi eorum domos, canepas, solaria, & loca eius apertè pro æstimatione prædicta, & descriptione dictorum vini, & bladi fienda, sub pœna floren. centum applican. Cameræ Domini, & hoc qualibet vice, & vlterius perdendi exemptiones suas. Franciscus suprascriptus subscripsit.

De locis prohibitis capi vlz. in Curia Arenghi, ad Douanam, & ad Polariam, vsq; ad quatuor Marias.

MCCCCXLV. die quinto Maij. Fiat proclamatio parte Magnifici Domini Gubernatoris, quod nullus Executor, seu Officialis, vel Minister, aut de familia ipsorum cuiuscumq; conditionis, vel qualitatis existat, audeat, nec præsumat capere, seu detinere aliquam personam cuiuscumq; conditionis existat pro aliquo debito publico, vel priuato mandato cuiusuis Magistratus, Iudicis, vel Officialis intra infrascriptos confines vlz. à strata, qua itur à Curia

Arenghi

Arenghi ad Douanam, & à dicta Douana, vsq; ad Turrim credentiæ, & à Turri credentiæ, vsq; ad Polariam, & à Polaria, vsq; ad domos quatuor Mariarum post Campumsanctum, & inde veniendo ad Ecclesiam Sancti Michaelis subtus Ecclesiam Maiorem, & ab inde veniendo ad Curiam Illustrissimi quon. Archiepiscopi Mediolani, nec intra dictam Curiam Illustrissimi Domini Domini nostri, quæ de Arengo dicitur, nec à Broletto veniendo ad Curias prædictas per viam Vayrariorum, & Frixariorum. Saluo, quod possint Magistri Intratarum, tàm ordinariarum, quàm extraordinariarum, & alij Officiales Curiæ facere citari debitores Cameræ ad dictam Curiam, & eos, quos vocari fecerint detineri facere, prout ante præsentem proclamationem facere potuissent. Bartholomæus signauit.

Decretum, quod Fortalitia non alienentur sine licentia Domini.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Tantum ad rerum nostrarum commoditatem, & tutelam respectus habentes quantum conuenit in materia non alienandorum, absq; nostri licentia Domini nostri Fortalitiorum, fieri fecimus Decretum præsentibus annexum, itaq; volumus, & mandamus vobis quatenùs ipsum Decretum in numero aliorum Decretorum nostrorum inseri, describi, ac pòni, & firmitèr, & ad vnguem obseruari faciatis. Dat. Mediolani die quinto Iulij MCCCCXLV. Marcolinus. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur, Nobilibus Viris Magistris Intratarum nostrarum ordinatiarum, & extraordinariarum.

Tenor Decreti.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Iure Diuino, & humano edocemur, & aliarum Monarchiarum exemplo instruimur, vt nostram Rempublicam, quæ omnē Subditorum nostrorum vtilitatem concernit, priuatorum commodis, & singularibus rebus, & negotijs anteferentes anteferamus, ac pro Status nostri tutela, & conseruatione subiectorum negotiationes, & commercia æquissimis edictis limitemus. Cum itaq; dudum felicis memoriæ Illustrissimus quondam Dominus Genitor noster irrefragabili decreto statuerit, & decreuerit, ac pro lege perpetua seruari, atq; sanctissimè prohibuerit Castra, & Fortalitia sine eius licentia alienari, vel quouis modo distrahi posse, & contrafacientibus pœnas imposuerit sicuti ex Decreto MCCCLXXXVII. quinto mensis Februarij publicato salubritèr, ac probè sancitum est. Nos etiam, qui tanti Genitoris vestigia iustissima libentèr insequimur, ad tollendas omnes dubitationes, & vt omnium errorum materia clariùs auferatur, hoc perpetuo, & irreuocabilitèr valituro Decreto, motu proprio, de nostræ potestatis plenitudine, animo plenè, & maturè deliberato, & multorum fidelium nostrorum accedente consilio, ex certa scientia edicimus, decernimus, iubemus, statuimus, declaramus, & mandamus, quod nullus ex Capitaneis, Conductoribus, Feudatarijs, Donatarijs, aut Subditis nostris originarijs, vel aduenticijs cuiuscumq; status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis existat, audeat, vel præsumat quouis modo directè, vel indirectè palàm, vel occultè, nec sub aliquo prætenso colore vendere, vel donare, pignerare, vel in solutum dare, nec ex causa dotis transferre, nec ex testamento, codicillis, vel legato

legato relinquere, nec ex aliqua dispositione inter viuos, vel in vltima voluntate transferre, vel quouis modo alienare, infeudare, vel ad longum tempus locare, vel concedere, nec ex aliqua legitimatione incapacium, & inhabilium quouis modo relinquere, dare, vel legare aliqua Castra, vel Fortalitia, seu loca pro veris Fortalitijs habita, & ædificata, feudalia, allodialia, vel propria in quauis parte territorij, & dominij nostri existentia in quempiam nostrum Subditum, vel non Subditum sine nostri speciali, & expressa licentia, de qua constet claris litteris corniola secreta muniendis. Si quis autem huic nostro Decreto contrafecerit, contractus, & omnis alienationis, aut cuiuslibet translationis contractus, aut actus irritus sit, & inanis, & tamen alienans, & transferens pretium, si quod habuit, & rem amittat, & in floren. mille puniatur; emptor autem, vel quicumq; alius acceptor rem, & pretium perdat, & in alijs florenis mille puniatur, quæ omnia Cameræ nostræ ipso iure, & facto applicata intelligantur, & per Magistratus Præsidentes exigantur. Teneantur autem Potestates Ciuitatum, & Magistratus Terrarum, in quibus tales alienationes fieri contigerit Nobis, aut saltem nostro Consilio illas significare, sub pœna floren. quingentorum, & contractuum ipsorummet alienationũ reuocare, & prædictas pœnas exigere, aut Præsidentibus dictæ nostræ Cameræ committere. Permittentes tamen, & declarantes, quod habentes Castra & Fortalitia possint ab intestato filijs legitimis, & alijs de agnatione propria secundum iuris formam relinquere, dum tamen extra propriam agnationem nullo modo transferantur sine speciali licentia. Mandantes vniuersis & singulis Officialibus, ac Subditis nostris, quatenùs hoc Decretum nostrum, & eius continentiam, ac dispositionem obseruent firmitèr, & faciant inuiolabilitèr obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri, ac registrari iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Datum Mediolani die quinto Iulij MCCCCXLV. Marcolinus.

Correctio Decretorum bonorum apprehensorum nomine Cameræ pro contradicentibus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Editis ab Illustribus Dominis quondam maioribus nostris circa formam applicandi bona malefactorum ad Cameram, & bonorum ipsorum apprehensionem, & liquidationem binis Decretis necessaria videbatur certa correctio, quam quidem fieri fecimus, & reformationum proinde Decretum ipsum igitur præsentibus annexum vobis emittimus, volentes quod id in numero aliorum Decretorum, & Ordinum nostrorum poni, & inferi, & vbique in Dominio nostro publicari opportunè, & executioni demandari faciatis; continebant enim priora illa Decreta multam in se varietatem, quàm intelligere, & amouere, & omnia bene digesta, & composita in vnum redigere corpus & vtile, & commendabile fuit. Dat. Mediolani die penultimo Aprilis MCCCCXLVI. Marcolinus. A tergo Nobilibus, & Sapienti Viris Regulatori, & Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Certiorati sumus, quod circa modum applicandi bona malefactorum

malefactorum ad Cameram Illustrissimorũ qu. Dominorũ Præcessorum nostrorum, eorumq; bonorum apprehensionem, ac liquidationem bina Decreta per ipsos Dominos Præcessores nostros fuere condita, vnum vlz. sub die decimoquinto mensis Octobris anni MCCCLXXXV., & alterum sub die primo Septembris anni MCCCLXXXVII. cum additione ipsi Decreto facta sub die decimonono Iulij anni MCCCLXXXXIII., & ipsa plurimas diuersitates continere, ex quibus etiam nonnulla damna, & expensas Cameræ nostræ, ac Subditis nostris in dies afficiunt, quæ sanè propter varietatem temporum omnimoda reformatione, suppletione, ac correctione indigent. Vt igitur plura alia Decreta sparsìm, ac diuersis temporibus edita in vnum corpus redigantur, quo Subditi nostri sciant quid agendum, iurandumvè sit in prima comparitione fienda super cridis bonorum malefactorum Cameræ nostræ applicatorum, quibusvè pœnis subijcient si quid indebitè, aut calumniosè, aut plus debito petierint, aut quicquam ex huiusmodi bonis à tempore delicti commissi citrà alienatum, translatum, occupatum, aut occultatum fuerit, ac Regulator, & Magistri Cameræ nostræ extraordinariæ, tàm præsentes, quàm futuri non ignorent, quomodo huiusmodi bona Cameræ nostræ spectantia, & pertinentia liquidari debeant, ac describi super libris nostræ Cameræ, paritèrq; incorporari, circumscripto radicitùs superiore primo Decreto. Considerantes, quod pœna aliæ graues, aliæ grauiores malefactoribus pro eorum qualitatibus imponuntur ad finem, quod audacia malefactorum, quorum infinitus est numerus ab illicitis refrenentur, volentesq; quantum possumus obuiare ne maleficia præsertim infrascripta committantur, paritèrq; prouidere, quod si commissa fuerint, debita animaduersione puniantur, tenore præsentium ex certa nostra scientia, de nostræq; plenitudine potestatis edicimus, decernimus, & mandamus, quod quicumq; commiserit, vel committi fecerit homicidium, assasinamentum, robariam, incendium, aut raptum Virginum, aut mulierum honestè viuentium, tàm Religiosarum, quàm non, & per contumaciam, vel conuinctus condemnatum fuerit ad mortem ex aliquo casu prædictorum, etiam si fuerit fœmina, quæ commiserit, aut committi fecerit homicidium, assasinamentum, robariam, vel incendium, vel etiam si punitus fuerit vltimo supplicio ex aliquo casu dinumeratorum in alio Decreto per prælibatos Prædecessores nostros sub die vigesima tertia Septembris anni MCCCLXXXXIII. edito contra falsificantes, seu falsò mutantes sigillum, instrumenta, scripturas nostram, vel nostra, vel Cancellariæ, vel Curiæ nostræ, vel falsum circa prædicta, vel aliquod prædictorum commiserit, aut contra famosos latrones stratarum, & inuadentes pyratico modo territorium nostrum, vel partem ipsius, & stratas publicas, ac occidentes dolosè personam, seu Dominos, in quorum domibus habitant, ac contra veneficos, assasinos, siue mares, siue fœminas, ac præstantes actualitèr, & dolosè prædictis auxilium, & opem, & contra receptatores prædictorum, vel etiam vbi punitus fuisset, vel per contumaciam condemnatus ex aliquo capitulorum criminis Læsæ Maiestatis, vel pro fabricatione falsæ monetæ, aut tonsura alicuius monetæ, & generalitèr in quibuscumq; casibus pro quibus iure communi, vel municipali, vel Decretorum, aut Ordinum Illustrissimorum quondam Prædecessorum nostrorum, aut nostrorum, vel successorum nostrorum; tàm editorum, quàm edendorum bona malefactorum venirent Cameræ nostræ applicanda, omnia bona, & iura ipsorum malefactorum verè, vel fictè, vbiq; sita, vel reperta in dominio, & territorio nostro, tàm mediato, quàm immediato Cameræ nostræ publicentur,

centur, & ipso iure, & facto publicata, incorporata, & confiscata, pariterq; apprehensa, etiamsi per ignorantiam, aut negligentiam, vel per impossibilitatem Officialiũ nostrorũ, aut alitèr verè, & actualitèr non fuerint apprehensa, sint, & esse intelligantur Cameræ nostræ à die commissi criminis vtsupra, iure tamen legitimè ascendentiũ, & descendentiũ, ac creditorũ reseruato, in quibus nullũ præiudicium fieri intendimus ex præsenti nostro Decreto, excepto tamen quàm in capitulis criminis læsæ Maiestatis, in quibus de ipsa legitima disponatur, prout tantùm reperitur ex aliquibus Decretis, vel Ordinibus nostris, aut prædecessorum nostrorum, & vbi tantùm non reperiatur ex præfatis Decretis, vel Ordinibus ius legitimè talis criminosi relinquatur dispositioni iuris communis, nec opponi possit, quod non appareat de aliqua apprehensione, nec incorporatione, nec de processu, vel quod nullus processus factus sit, & quolibet tempore fieri possit executio, & apprehensio, nulla præscriptione admissa, neq; obstante. Decernentes, ac statuentes, quo ad modum procedendi contra huiusmodi delinquentes, quod si prædicti, vel aliquis eorum erunt, seu erit absens, vel absentes, & citati fuerint personalitèr, vel ad domum eorum solitæ habitationis si habitatione habuerint, vel habere soliti sint, & vbi nullam habuerint si citati fuerint ad loca solita illius Ciuitatis, vel Terræ, vbi de crimine cognoscitur in termino, seu terminis eis assignatis non comparuerint, elapsis ipsis terminis, seu termino banniantur, & ponantur in banno, in quo ipsis aliquo termino assignato, si in contumacia perseuerauerint, & comparere neglexerint, ex tunc, dicto termino elapso, habeantur pro conuictis, & confessis, & per sententiam diffinitiuam condemnentur in pœnis, & modis contentis in Decretis, & Ordinibus prælibatorum Dominorum nostrorum Prædecessorum, & nostris singulis singula congruè referendo, quarum pœnarum executio fiat, & adimpleatur per eos Rectores, Potestates, & Officiales, ad quos attinent, & in futurum spectabit quandocumq; in fortiam eorum reperiatur, seu reperietur, & etiam bona, & res eorum, & cuiuslibet eorum sita, & compertæ vbilibet in territorio, & dominio nostro, tàm mediato, quàm immediato publicentur, & ipso iure, & facto Cameræ nostræ publicata, & confiscata, apprehensa, & incorporata sint, & esse intelligantur vtsupra, ex tempore commissi maleficij, & vbi bona, vel pars bonorum forent extra dominium, & territorium nostrum, tàm mediatum, quàm immediatum, tunc publicentur Cameræ nostræ, ea quæ sita sunt, vel reperta in dominio, vel territorio nostro, tàm mediato, quàm immediato, ac publicata, & confiscata sint, & esse intelligantur vtsupra, & vlterius talis malefactor condemnetur vtsupra in tanta quantitate pecuniæ, quantum verisimilitèr, ac communi forma, & opinione ascendere possint bona sita, vel quæ ei condemnato quoquo modo spectarent, & pertinerent extra territorium, & dominium nostrum vtsupra, non possint de huiusmodi bonis publicatis Cameræ nostræ vtsupra, in eorum occasione per aliquam personam, Commune, Collegium, vel Vniuersitatem fieri aliqui contractus, vel distractus, aut aliquod Instrumentum, nec aliquid aliud in præiudicium Cameræ nostræ in petitorio, nec in possessorio, nec in præiudicium alicuius acquisitoris ipsorum secundum formam Decretorum nostrorum, nec alicuius, qui succederet in dictis bonis in nostrum ius, statum, vel locum, & quod quicquid secùs factum fuerint ipso iure, & facto irritum sit, & inane, prædictaq; & infrascripta, & quodlibet prædictorum habeant, & vindicent sibi locum, tàm in numero plurali, quàm singulari principalitèr, & in consequentiam. Volentes, ac

decernentes,

decernentes, quod ad prædicta, & infrascripta omnia, & singula exequenda, & executioni mandanda etiam effectualitèr adimplenda procedatur, & procedi debeat, & possit summariè, simplicitèr, & de plano, sine strepitu, & figura iuditij, sola facti veritate inspecta, & etiam per modum inquisitionis, & etiam sine accusatore, vel denunciatore per quemcumque Potestatem, Capitaneum, & Iusdicentem cuiuslibet Ciuitatis, vel Terræ Iurisdictionem, & Imperium habentem in huiusmodi Criminalibus; & per quemlibet alium, qui per nos deputabitur per nostras patentes litteras, vel alium, vel alios, seu alium mandato, seu voluntate nostra, etiam contra absentes, & indefensores, ac etiam quocumq; die etiam feriato. Decernentes etiam ex certa nostri scientia vesupra, ac mandantes, quod processus quicumq; super prædictis, nec infrascriptis, vel aliquo prædictorum non possint, nec possit annullari, querelari, nec in dubium reuocari ex cuiusuis solemnitatis defectu maximo, seu modico. Supplentes ex certa scientia vesupra, omnem deffectum facti, & iuris in prædictis, & circa prædicta, ac dependentia ab eis. Declarantes, quod à die qua aliquem prædictorum peruenire contigerit in fortiam dictorum Officialium, vel alicuius eorum infra dies quindecim debeant inchoare processus contra ipsos delinquentes, & quemlibet eorum, & deinde infra alios dies triginta ipsos condemnare si præteriti fuerint in banno, aut alitèr conuincti, & sententia diffinitiua, & executio modis contentis in prænominatis Decretis, & prædecessorum nostrorum, aut nostris vesupra, ferri, & effectualitèr adimpleri, & infra breuius tempus si prædicta fieri poterunt, sub pœna floren. quingentorum auri contra quemlibet ipsorum Rectorum, Potestatum, & Officialium, qui prædicta non adimplerentur, & maiori arbitrio nostro secundum qualitatem facti, delicti, & personarum conditionem ipso iure, & facto committendam, & nostræ Cameræ applican. ex tempore commissi maleficij, & prædicta omnia, & singula, & infrascripta, edicimus, & mandamus fieri, exequi, & adimpleri debere, ac etiam locum habere in futuris, pendentibus, & præteritis non decisis non obstantibus aliquibus Legibus, Statutis, Decretis, prouisionibus, consuetudinibus, & etiam non obstantibus aliquibus iuribus communibus, & municipalibus; & alijs quibuscumque prædictis, & circa prædicta obuiantibus, & obuiare possentibus, vel alitèr formam dantibus, quibus ex certa nostri scientia, & de plenitudine potestatis vesupra derogamus quo ad præmissa, & infrascripta, & derogatum esse volumus, & expresse mandamus; saluis tamen, & semper reseruatis, & exceptis his, quæ specialitèr per Decreta prælibatorum Illustrium Prædecessorum nostrorum, ac nostra super crimine lesæ Maiestatis statuta, & ordinata fuere, quibus per præsens Decretum nostrum præiudicare, neq; derogare quicquam non intendimus, sed immo ampliare, prout supra continetur. Horum autem bonorum publicatorum, seu confiscandorum executionem, ac liquidationem nedum ex criminibus, & causis memoratis sed etiam in quibuscumq; alijs casibus, & criminibus; in quibus aliquo Iure, Statuto, Decreto, vel Ordinamento, sine mandato nostro bona aliqua quorumcumq; malefactorum nostræ Cameræ applicata essent, & quæ applicentur, seu quouis modo applicari contingent ad obuiandum fraudibus, & extorsionibus olim perpetratis, tàm in nostra præfata Camera, quàm Subditorum nostrorum non modicum præiudicium fieri volumus in hunc modum vlz. Quod Potestas, vel Rector illius Ciuitatis, vel Terræ, in cuius territorio, & districtu crimen fuerit commissum, vel alius ad quem cognitio

 talis

talis criminis spectauerit, postquam commissi criminis notitia ad ipsum peruenerit, teneatur, & debeat infra duos dies mittere Collateralem suum, seu Notarium Malefactorum, seu Notarius forensis vbi fuerit ad Maleficia deputatus, & si alius fuerit, vnum ex suis Notarijs ad scribendum diuersa bona illius, qui inculpatus erit de crimine prædicto tàm mobilia, quàm immobilia, & se mouentia, cum quo collaterali, siue Notario forensi, vel alio vtsupra, teneatur Referendarius, vel Commissarius illius Ciuitatis, vel Terræ, si ibi tunc fuerit, Notarium suum mittere, & pari modo requirere Syndicum Cameræ nostræ ibidem, qui personalitèr cum eis accedere, aut Notarium suum mittere teneatur, qui omnes vtsupra vlz. duo ex eis in præsentia Consulis, Parochiani, vel Antiani, ac duorum bonorum hominum contratæ, seu Parochiæ vbi bona dicti culpati esse contingat si fuerit in Ciuitate, & si fuerit in Villa, vel Castro in præsentia Consulis, vel Antiani, & duorum bonorum hominum illius Villæ, vel Castri, vbi erunt prædicta bona debeant per se scribere, & notare, paritèrque apprehendere corporalitèr, vel quasi omnia, & singula bona mobilia, & immobilia, & se mouentia, iura qualibet, ac nomina debitorum, & fructus, & redditus collectos si extabunt, ac pendentes ex immobilibus bonis inculpati prædicti, videlicet mobilia cum qualitatibus, & nominibus suis, se mouentia similitèr, & cum pilis, & signis animalium, & eorum nomina, immobilia cum situ, cohærentijs, numero perticarum; & an sint cultiua, vineata, pratiua, zerbida, vel buschiua, vna cum diuersitate fructuũ pendentium, vel seminatorum si erunt, eaq; bona consignare Consulibus, Antianis, ac bonis Viris prædictis, qui se obligent, & obligati esse intelligantur virtute præsentis Decreti ipsa bona accipere, conseruare, restituere, & consignare Regulatori, & Magistris Cameræ nostræ extraordinariæ, & possessionum nostrarum, vna cum fructibus collectis, vel colligendis quotiescumq; fuerint requisiti ab eis Regulatore, & Magistris, aut ipsorum mandato personalitèr, vel ad domum eorum solitæ habitationis, fructusq; pendentes debitis temporibus colligere, & colligi facere sumptibus ipsorum fructuum, sub pœna soluendi de proprio, pro quibus Consulibus, vel Antianis, ac bonis Viris si non fuerint soluendo teneantur Commune, & homines, aut Parochia, seu contrata, damnum, ac interesse passum per Cameram reparare, ac emandare, etiamsi Ciuitas, Terra, Parochia, Villa, aut Castrum non habeant Consules, vel Antianos, vel haberent, & ipsorum copiam habere non potuissent, quibus peractis Potestas, & Referendarius vna cum Syndico Cameræ nostræ facta diligenti collatione suprascriptarum duarum descriptionum, & apprehensionum bonorum, teneantur, & debeant infra decem dies proxime venturos postquam redierint, & perfecerint ipsam descriptionem, & apprehensionem bonorum subscriptam manu propria amborum Notariorum, qui eam scripserint prædictis Regulatori, & Magistris transmittere cum eorum litteris, sub pœna retentionis salarij vnius mensis de quibus bonis fiet prout infra, & hæc vbi bona huiusmodi sint in illamet iurisdictione in qua crimen commissum fuerit, si verò fuerint in alia iurisdictione tàm mediata, quàm immediata territorij, & dominij nostri, tunc dictus Potestas, seu Rector vel alius sic delegatus teneatur, & debeat infra dictos duos dies scribere Potestati, seu Rectori, & Referendario Iurisdictionis prædictæ vbi talia bona sita sunt, vel reperirentur si Referendarius ibi erit, & vbi non, ipsi soli Potestati, Rectori, Vicario, ac Consulibus, etiam si fuerint in Iuris-

dictione

diction e aliquorum Feudatariorum, vel Donatariorum nostrorum, ut faciant praedictam descriptionem, vel apprehensionem nomine Camerae nostrae, & deinde litteris eorum auisare Regulatorem, & Magistros praedictos sicuti ipsi scripserint tali Potestati, vel Officiali in cuius iurisdictione bona sita sunt de tali descriptione, & apprehensione fienda, quam, modo praedicto, infra quatuor dies proximos ipsi quibus scriptum fuerit, ad faciendum mittere teneantur, & factum in scriptis, & ordinatè subscriptum manu publici, & autentici Notarij, transmittere teneantur tales Officiales, quibus scriptum fuerit, vel scribetur vtsupra, praedictis Regulatori, & Magistris Camerae nostrae extraordinariae infra decem dies ad tardius, ipsis quatuor computatis, sub pœna florenorum quinquaginta Camerae nostrae applicandorum.

Declarantes tamen, ac decernentes, quod per talem descriptionem, & apprehensionem corporalem bonorum mobilium, se mouentium, & immobilium, ac fructuum talis imputati de crimine nullum praeiuditium afferatur, tàm in iure dominij, quàm possessionis ipsius impucati, nisi demum secuta fuerit condemnatio, ac bonorum confiscatio per sententiam, vel alitèr vtsupra in versu,, horum autem bonorum,, quae secuta, aut in altero casuum de quibus supra in ipso versu,, horum autem,, & non alitèr suum sortiatur effectum ex tempore dictae descriptionis, & apprehensionis; teneatur autem, & debeat praedictus Potestas, vel Rector, Executor, vel Delegatus post huiusmodi condemnationem, ac bonorum publicationem vtsupra si bona fuerint in iurisdictione sibi commissa infra quatuor dies facere proclamari, tàm per Ciuitatem, vel Terram in locis publicis, & consuetis, quàm extra vbi dicta bona esse contingat, prout infra vlz.

Quod quilibet etiam vtriusq; sexus, qui praetendat se creditorem talis condemnati, vel ius aliquod habere in bonis relictis per ipsum, & apprehensis verè, aut fictione praesentis decreti nomine Camerae nostrae teneatur, & debeat infra tres menses à die facta cridae numerandos comparere coràm praefatis Regulatore, & Magistris Camerae nostrae, aut coràm ipso Potestate, Rectore, vel Iusdicente vtsupra, & in scriptis producere, aut probare, & probatum habere per omne genus probationum omne, & totum id, & ius, quod habere pratendit à dicto condemnato, vel in bonis ipsius condemnati, & hoc si fuerit intra Iurisdictionem illius Ciuitatis, vel Terrae in qua condemnatio, seu confiscatio, & bonorum publicatio facta fuerit, vel in aliqua parte territorij dominij nostri, tàm mediatè, quàm immediatè suppositi. Si autem fuerit extra territorium, & dominium nostrum vtsupra, teneatur, & debeat infra spatium sex mensium à die suprascriptae cridae numeran. ad comparitionem, & probationem praedictas faciendum, quem terminum sex mensium locum habere decreuimus, ac decernimus etiam in pupillis, furiosis, mentecaptis, prodigis, & alijs tutore, vel curatore indigentibus, ac venientibus ex successione, vel persona alterius, ac viduis, & mulieribus praetendentibus iura dotalia.

Item, quod si quis fuerit, & sit debitor talis condemnati tempore delicti commissi verè, vel fictè ex quacumq; causa, vel ratione alicuius quantitatis pecuniae, vel rei consistentis pondere, numero, vel mensura, aut alitèr cum carta, vel sine carta purè in diem, vel sub conditione, vel habuerit, vel habeat, aut tenuerit, & possiderit, vel quasi tempore supradicto aliquam proprietatem, vel rem talis condemnati ad fictum perpetuum, vel ad tempus, aut alitèr, aut aliquid aliud de bonis mobilibus, se mouentibus, aut

aut immobilibus, vel aliquos fructus, & redditus eorundem talis condemnati teneatur, & debeat infra spatium vnius mensis cum dimidio proxime venturi à die præsentis crida illud corã præfatis Regulatore, & Magistris Cameræ nostræ, aut coram Potestate, vel Rectore, ac Referendario, vel Delegato vbi talis condemnatio facta fuerit in scriptis, præsentibus etiam Aduocato, & Syndico Cameræ nostræ, notificare, & dare omne, & totum id, quod dare tenebatur dicto condemnato tempore delicti perpetrati vtsupra, & cum causa, ac omnia bona, quæ per ipsum tenebantur, & possidebantur, vel quasi tàm mobilia, quàm immobilia, & semouentia, & è contra cum qualitatibus, & declarationibus, de quibus supra in fienda descriptione, & apprehensione bonorum latior habetur mentio, sub pœna quadrupli eius, quod dare tenebitur, aut valoris eorumdem bonorum immobilium, ac rerum, de quibus supra, quæ pœna commictatur ipso iure, vel facto, absque alio processu, & hoc si crida prædicta, quo ad contenta in præsenti, & sequenti capitulis facta fuerit in Ciuitate, in qua, vel eius districtu, vel Episcopatu talis debitor, & vtsupra habitat, vel habitabit, & idem intelligatur de ijs, qui sub aliquo ficto titulo, vel colore pigneratitio, vel feneratitio, aut in fraudem, & præiudicium Cameræ nostræ, vel aliorum aliquid haberent de huiusmodi bonis talis condemnati in finem emptionis, vel aliorum alterius cuiuscumq; tituli veri, vel ficti, & vbi tacitè, vel expressè aliud foret inter contrahentes actum conuentum, vel promissum de retrouendendo, aut alitèr, sub pœna prædicta, & vtsupra.

Item, quod si quis Notarius rogauerit, vel imbreuiauerit aliquod Instrumentum alicuius Decreti, vel acquisiti aliquorum bonorum talis condemnati, aut successerit alio Notario, qui ipsum imbreuiauerit, vel rogauerit, & habeat imbreuiaturas penès se, aut aliter, quicumq; qui haberet penès se aliquas scripturas, vel alia Instrumenta spectantia tali condemnato ante crimen commissum verè, vel fictè, vel secretè teneatur, & debeat infra dictum terminum vnius mensis cum dimidio coràm præfatis Regulatore, & Magistris Cameræ nostræ extraordinariæ, vel Potestate, Rectore, Vicario eius Rectore, vel Referendario, ac Procuratore, Fiscali, vel delegato vtsupra illud notificare in scriptis cum quantitate, re, causa, qualitate, ac tempore confecti Instrumenti, & illa Instrumenta, & scripturas penès se existentia, & existentes restituere, & consignare prædictis Regulatori, & Magistris, vel vtsupra, sub pœna soluendi de proprio, & quadruplitate quantitatis, vel valoris rei in ipso Instrumento, vel imbreuiatura contentorum; & idem intelligatur de quibuscumque Instrumentis confessionum rogatorum ad fauorem talis condemnati, tàm tempore perpetrati delicti verè, vel fictè, quàm postea, in quibus aliquo tempore prædictus condemnatus, aut in eius locum successus fuisset obligatus, vt teneatur dare in scriptis, & notitiam facere de rogatione, aut Instrumentis talium confessionum, & liberationum vtsupra, sub pœnis, & modis prædictis.

Elapso autem tempore supradicti mensis cum dimidio, cuilibet liceat, & licitum sit accusare, & denunciare coràm altero prædictorum Regulatoris, & Magistrorum, aut aliorum Officialium vtsupra, quoscumque contrafacientes, omittentes, vel negligentes prædicta adimplere, qui tenebitur secretus si voluerit, & lucrabitur tertiam partem bonorum, ac rerum, de quibus supra, quæ remanebunt ad Cameram facto, & opere ipsius accusatoris, vbi verò bona prædicta in totum, vel pro parte fuerint extra iurisdictionem

risdictionem prædicti Potestatis, vel Rectoris, qui fecit dictam condemnationem, ac confiscationem vtsupra, & inter territorium, & dominium nostrum, tàm mediatum, quàm immediatum tunc teneatur, & debeat infra quatuor dies scribere Potestati, vel Rectori illius Ciuitatis, vel Terræ, vel loci in cuius territorio huiusmodi bona sita sunt, vel reperiuntur, quod fieri faciat cridam prædictam sicut superius continetur, mittendo copiam ipsius cridæ Potestati, vel Officiali Ciuitatum, vel Terrarum Feudatariorum, aut Donatariorum nostrorum cum in Ciuitatibus nostris immediatis præsens decretum nostrum fuerit solenniter publicatum, sub pœna retentionis salarij vnius mensis, quæ Cameræ nostræ applicetur pro quolibet, & qualibet vice, & ille Potestas, vel Rector, vel Officialis noster, vel aliquorum feudatariorum, aut donatariorum nostrorum cui scriptum fuerit teneatur, & debeat infra quatuor alios dies ipsam cridam fieri facere in Ciuitate, vel Terra, & in loco, vel Villa vbi bona ipsa sita sunt, ac in locis publicis, & consuetis eorumdem, & relationem huiusmodi cridæ in forma fidem faciente litteris suis inclusam mittere præfatis Regulatori, & Magistris, aut prædicto Potestati, vel Rectori, qui eidem scripserit pro dicta crida facienda infra alios sex dies tunc proxime secuturos post dictam cridam, sub pœna florenorum quinquaginta Cameræ nostræ applican. totiens committenda, quotiens singula decem dies transiuerint, & labentur, quibus prædicta exequi recusauerit, vel omiserit, sine alia declaratione.

Volentes, ac decernentes, quod vbi verisimiliter tutus non esset accessus propter quenam rebellionem, potentiam, vel inobedientiam alicuius, vel alium timorem ad terras, loca, vel villas nobis tàm mediatè, quàm immediatè subiectas, in quarum territorio bona talis condemnati in toto, vel pro parte sita sint, vel reperientur sic, quod non possit fieri talis proclamatio in ipsis Terris, locis, vel villis, vbi bona ipsa sita sunt, tunc, quo ad ipsa bona ibidem sita sufficiat proclamationes ipsas fieri trina vice, & cum interuallo quatuor dierum inter vnam, & alteram in locis publicis, & consuetis in Ciuitate in cuius districtu, vel Episcopatu bona ipsa sita sunt, & vna alia vice, & in diuersis diebus fiat, & copia dimittatur super platea Terræ, loci, Villæ, aut Capsinæ propinquioris illius Terræ, loci, aut Villæ, in quibus bona huiusmodi sita sunt, & ad quam tutus accessus haberi non possit, perindeq; habeatur ipso iure, & facto, ac si crida ipsa facta fuisset in ipsa Terra, loco, aut Villa, in cuius finibus bona ipsa sita sunt, & intelligatur legitimè constare, quod in ipsa Terra, loco, vel Villa tutus non possit haberi accessus, quo ad prædicta vbicumq; per præsens duo seruitores illius Ciuitatis, vel Terræ, in cuius districtu, vel Episcopatu bona ipsa sita sunt cum sacramento eorum deposuerint in manibus Potestatis, vel Rectoris, qui de crimine cognouit, aut prædictorum Regulatoris, & Magistrorum sese iustè timere, & non audere accedere ad ipsam Terram, locum, vel Villam de per se, nec cum Collaterali, Notarijs, Syndico Cameræ, & famulis de quibus supra pro dicta descriptione, vel apprehensione bonorum, ac occasione proclamationis, & cridæ fiendæ vtsupra.

Si quid autem eorum, quæ continentur in supradictis secundo, & tertio capitulis cridæ supradictæ infra dictum terminum vnius mensis cum dimidio per quempiam fuerit denunciatum, vel portatum in scriptis, vel re ipsa exhibitum, vel detectum, aut restitutum coràm Potestate, Referendario

ac

ac Procuratore Cameræ, aut delegato vtsupra teneantur, & debeant ipsi Officiales illud notificare infra sex dies proxime futuros prædictis Regulatori, & Magistris, & etiam ea transmittere sumptibus Cameræ nostræ vbi aliter fieri non potest si fuerint Instrumenta, scripturæ, aut aliæ res mobiles faciles transportari, & si fuerint alia bona, ipsa notificare, cum eorum qualitatibus, signis, & conditionibus, de quibus supra, sub pœna retentionis salarij vnius mensis pro quolibet eorum Cameræ nostræ applican.

Si quem autem comparere, vel contradicere dictis cridis contingat prætendentem aliqua iura sibi competere in bonis talis condemnati coram Potestate, Rectore vbi condemnatio, & confiscatio prædicta facta fuerit, aut alio Iusdicente, vel delegato, decernimus, & volumus Vicarium Potestatis, vel Rectoris illius Ciuitatis, vel Terræ, aut eius Locumtenentem casu suæ absentiæ, ac Referendarium, vel eius Locumtenentem, vbi dicta Terra Referendarium haberet aliàs suprascriptum Vicarium, vel eius Locumtenentem, & eo defficiente Potestatem ipsius Terræ interesse omnibus comparitionibus, contradictionibus, iurium productionibus; ac probationibus fiendis per eos, qui comparuerunt in terminis debitis, sub pœna retentionis salarij vnius mensis, quod applicetur Cameræ nostræ, ac omnis damni, & interesse partis comparere volentis, citatis tamen, ac requisitis ad singulos actus Aduocato, & Procurat. Fiscalibus, vel Cameræ ipsius nostræ illius Ciuitatis, vel Terræ, qui iura Cameræ nostræ diligentèr, ac solicitè tueantur, & defendant ne fraus aliqua, vel dolus committatur in præiuditium Cameræ nostræ, & se iurent probationibus, Instrumentis, & alijs necessarijs prout eorum cura, solicitudine, ac prudentia cognouerint expedire sumptibus, & expensis Cameræ nostræ. Si vero comparitio, & iurium productio, vel probatio aliqua fiet coràm Regulatore, & Magistris, qui per tempora erunt, sufficiat eorum præsentia, ac sola citatio Aduocatorum, & Procuratoris Cameræ nostræ ad singulos actus vtsupra, qui diligenter, & viriliter tueantur, & defendant ipsa bona, ac iura Cameræ nostræ vtsupra, & pari modo si ipsi Regulator, & Magistri in alijs casibus, de quibus supra mandauerint, vel scripserint aliquibus Officialibus, & Iusdicentibus coràm quibus fieri debeant comparitiones, contradictiones, probationes, & iuriû productiones vtsupra, citentur Aduocatus, & Procurator nostri Fiscales illius Ciuitatis, vel Terræ prædictæ, procedaturq; in ipsis causis, ac contradictionibus, & defensionibus summariè, simplicitèr, & de plano, sola facti veritate inspecta, prout in superioribus dictum est.

Qualibet autem persona cuiusuis status, gradus, præeminentiæ, ac conditionis existat, siue vera, vel repræsentata, quæ de cætero aliquid à nobis, vel à Camera nostra pro talibus bonis petierit, vel requisiuerit quomodocumq; & ex quacumq; causa, & sub quocumq; Magistratu, vel Iusdicente, vel contradixerit super huiusmodi proclamationibus, de quibus supra, asserendo nos, vel Cameram nostram eius esse debitores, vel dictum condemnatum eius fuisse, vel esse debitorem direclè, aut vtiliter mediatè, aut immediatè, aut aliquid de bonis prædicti condemnati, aut alijs bonis, quæ tenentur, & possidentur, vel quasi, vel in futurum tenebuntur, vel possidebuntur, vel quasi, etiam fictione aliquorum Decretorum Illustrium Prædecessorum nostrorum, vel nostrorum, seu de bonis, quæ ad nos, seu ad Cameram nostram spectant, & pertinent licet actualiter non fuerint apprehensa sibi restitui, vel relaxari in toto, vel in parte, vel hypothecata esse

pro

pro aliquorum eorum credito, vel ipsum condemnatum sibi in aliquo teneri, vel eius esse debitorem vtsupra, teneatur, & debeat in primo actu, quem faciet per se, vel per Procuratorem ad hoc speciale, & singulare mandatum habentem post ipsam petitionem, contradictionem, vel requisitionem, aut in ipsa exhibitione, contradictione, vel petitione ad ipsas cridas factas præmissorum, vel aliquorum ex eis causa, vel occasione super bonis talis condemnati, vel etiam super bonis aliquorum debitorum Cameræ nostræ iurare ad Sancta Dei Euangelia, manibus corporalitèr tactis scripturis, coràm illo, qui super contentis in ipsa petitione, requisitione, aut contradictione debebit cognosci, quod prædictam petitionem, requisitionem, aut contradictionem malitiosè, nec animo condemnandi, nec in aliquam fraudem Cameræ nostræ, aut alterius personæ, sed credens iustam fouere causam non fecit, nec facit, & quod iura, Instrumenta, seu causæ, quorum vigore consequi vult contenta in sua petitione, requisitione, vel contradictione sunt bona, integra, & vera, & non fictitia, nec simulata, & vltra prædicta, si in prædicta petitione, vel contradictione vtsupra, asserat se esse creditorem de aliqua pecunia, quantitate, vel bona aliqua in prædictis bonis talis condemnati, vel debitoris Cameræ fore obligata in toto, vel in parte pro aliquo credito quoquo modo sibi spectante, iurare etiam teneatur se esse verum creditorem eius, de quo prætendit se creditorem in toto, vel in parte, & pro parte etiam iurare possit; declarando tamen in specificando ipsam partem clarè, & specificè; & si repertum fuerit postea quandocunq; in aliquo falsum iurasse; vel dolum, aut fraudem commisisse, cadat ipso iure, & facto absque alia declaratione, & processu in pœnam quadrupli eius, vel valoris eius in quo reperietur falsum iurasse, vel dolum, aut fraudem commisisse, de cuius periurio, vel dolo, aut fraude commisso ipsi Regulator, & Magistri, & quilibet alius Iusdicens ex prænominatis vtsupra singulis singula congruè referendo ex eorum mero, & puro officio possint, & valeant inquirere per opportuna remedia, & ipsum punire secundum, quod discretioni eorum videbitur expedire vtsupra, inspecta conditione personæ, qualitate facti, & quantitate causæ, & quæ falsitas, vel fictio, aut simulatio contractus, vel distractus, vel Instrumentorum iurium productorum etiam possit detegi per libros ipsius iurantis, vel eius in cuius locum successit, ad quorum exhibitionem cogi possit, & debeat per omnia iuris remedia per quemcumq; Iusdicentem vtsupra, secundum quod verisimile erit saltim communi, vel verisimili opinione, vel fama, vel etiam si contra ipsum comparentem verificatum fuerit ex verisimili, vel communi opinione, vel fama, vel simulata, vel falsa ipsum iurantem libros habere, in quibus scripta esse debeat ratio illius asserti debiti, de quo ibi agitur, & si recusauerit, vel neglexerit infra terminum statuendum per Iusdicentem vtsupra, illos libros exhibere, habeatur pro conuicto, & confesso ipso iure, & facto, quod falsum iurauerit, vel dolum, & fraudem commiserit totalitèr, aut simulatum contractum, vel distractum fecerit, & si non iurauerit vtsupra, ipso iure, & facto succumbat in dicta petitione, requisitione, aut contradictione, & super contentis in ea intelligatur esse, & sit perpetuum silentium impositum, ita quod super eis vnquam possit audiri, & cadat in pœnam supradictam, quæ Cameræ nostræ applicetur, & quilibet quocunq; tempore possit accusare, & si accusator interuenerit, cuius opera detegatur tale periurium, vel dolus, vel fraus, de quibus lucretur dimidiam

partem

partem suprascriptæ pœnæ, & tenebitur secretus si voluerit, & prædicta, quo ad pœnas prædictas, volumus locum habere in illis personis dumtaxat, quæ verisimiliter arbitrio Iusdicentis vtsupra haberent iustam causam credendi contenta in sua petitione, requisitione, vel contradictione fore vera tempore quo sic iurabunt, vel iurare debebunt, vt præfertur.

Elapsis autem memoratis terminis trium, & sex mensium singula singulis congrue referendo nullà admittatur contradictio, comparitio, probatio, neq; iurium productio contra bona talis condemnati, neq; contra nos, vel Cameram nostram causa, & occasione alicuius debiti ipsius condemnati, quinimmo omnes, & singulæ personæ etiam fictè, & repensatè fingantur ipso iure, & facto nullum ius habere in bonis talis condemnati, & omnes termini supradictorum trium, & sex mensium sint, & esse censeantur peremptorij, aduertantq; tales Potestates, & cæteri vtsupra, vt aliqua fraus, dolus, vel malignitas, quo ad contenta in præsenti nostro Decreto fiat, nec committatur in præiuditium Cameræ nostræ, sub pœnis antedictis.

Mandantes, & volentes, quod Potestas, seu Rector prædictus, vel eius Vicarius vna cum supradicto Referendario, Aduocato, & Procuratore Cameræ eiusdem nostræ teneantur, & debeant, elapsis suprad ctis tribus mensibus assignatis respectu præsentium in territorio, & Domino nostro, tam mediato, quàm immediato vtsupra, infra decem dies proximè sequentes transmittere præfatis Regulatori, & Magistris, sumptibus comparentium, & contradicentium, omnes comparitiones, contradictiones, requisitiones, probationes, iurium productiones cum ipsis iuribus, vel copijs eorundem diligenter auscultatis, & subscriptis per Notarium actorum, & omnia actitata, probata, facta, & factas pro parte comparentium, & contradicentium super bonis talis condemnati, & super proclamationibus superinde factis infra ipsum terminum trium mensium, necnon facta, & factas per Aduocatum, & Procuratorem Cameræ nostræ clausas, ligatas, & sigillatas sigillis proprijs prædictorum Iusdicentium, & nemini panditas, ad hoc, vt ipsi Regulator, & Magistri, ac Aduocati Cameræ nostræ huius Inclytæ Vrbis interim, quo expirabunt termini sex mensium assignatis absentibus, & alijs personis tutore, & curatore indigentibus vtsupra videre, & examinare possint iura ipsorum, qui comparuerunt, & contradixerunt vtsupra, & pari modo, finitis prædictis sex mensibus ipsi Iusdicentes vtsupra teneantur, & debeant infra alios decem dies tunc proximè venturos transmittere præfatis Regulatori, & Magistris omnes comparitiones, contradictiones, probationes, iurium productiones, ac defensiones, & actitata, & probata hinc inde, cum copia iurium prout supra continetur factas, & actitata hinc inde in ipso semestri tempore inter personas memoratas, & ipsam Cameram, & sumptibus, & expensis quibus supra, sub pœna retentionis salarij vnius mensis pro quolibet prædictorum, applicandorum Cameræ nostræ præfatæ vtsupra, quorum omnium iura probationes, contradictiones, iuriumq; productiones, & actitata hinc inde ipsi Regulator, & Magistri, cum participatione Aduocatorum Cameræ nostræ huius Inclytæ Vrbis nostræ teneantur, & debeant vnica sententia, vel declaratione decidere, & terminare per eorum sententiam diffinitiuam seruatis Ordinibus, & Decretis nostris, infra duos menses à die receptionis eorum post lapsum dictorum vltimorum decem dierum numeran. secundum, quod iuri, honori nostro, & eorum videbitur conuenire, sic quod nemo de iniustitia iustè conqueri valeat, à quorum tamen

sententijs

sententijs, & declarationibus, & liquidationibus bonorum super huiusmodi cridis, ac bonis condemnatorum, vel debitorum Cameræ nostræ non possit appellari, querelari, supplicari, neque de nullitate dici. Et vbi declaratum, vel sententiatum fuerit bona huiusmodi in totum, vel pro parte spectare, & pertinere iure dominij, vel quasi alicui eorum, qui comparuerint, & de iuribus eorum docuerint vtsupra, iuraq; meliora ipsum habere, quam Camera nostra, quod per ipsum Regulatorem fiat, & fieri debeat talium bonorum restitutio, vel relaxatio in totum, vel pro parte, prout declaratum fuerit; ea tamen lege, & pacto in ipsa relaxatione inserendis, quod quicumq; & quocumq; tempore detegeretur talem obtinentem deierasse, vel dolum, aut fraudem aliquam, vel simulatum, fictumq; contractum, vel distractum commisisse, vel aliqua falsitas alicuius Instrumenti detegeretur in eius comparitione, vel contradictione, aut in aliqua parte litis, & controuersiæ, eo casu iura Cameræ nostræ sint, & esse censeantur illæsa, & reseruata in illis statu, & gradu, in quibus erant ante dictam primam comparitionem, & contradictionem, & perinde, ac si nulla sententia, vel declaratio vnquam facta fuisset, neq; dicta bona fuissent restituta, vel alia executio sequuta, quinimmo talis periurus, vel dolum, aut fraudem committens, vel eius hæredes, ac successores teneantur, & debeant ad restitutionem fructuum perceptorum à die restitutionis, vel relaxationis dictorum bonorum extra, & citra si extabunt, & non ad valorem eorundem, & eo casu dominum, & possessionem, vel quasi dictorum bonorum reseruamus nobis, & Cameræ nostræ; & reseruatum esse declaramus ipso iure, & facto de nostra plenitudine potestatis cum delictum, ac dolus, vel fraus patrocinari non debeat ea committentibus, & lucrum sentire, vbi pœnam merentur.

Si autem declaratum fuerit per ipsos Regulatorem, & Magistros creditum aliquorum comparentium, contradicentium vtsupra, ac bona talis condemnati fuisse, & esse hypothecata ipsius crediti vigore, tunc ipsi Regulator; & Magistri teneantur, & debeant infra tres menses à die declarationis factæ numerandos talibus creditoribus satisfacere pro eorum creditis, & bona condemnati retinere si voluerint, ac cognouerint hoc cedere vtilitati Cameræ nostræ; & si non teneantur, & debeant infra dictum terminum dare in solutum talibus creditoribus tot de bonis condemnati, quæ sufficiant creditis eorum, quæ bona volumus æstimari per duos æstimatores bonæ reputationis, famæ, & conditionis, & omni exceptione maiores iuratos illius Ciuitatis, vel Terræ, in quibus fuer t Potestas, vel Rector, ac Referendarius, vel Delegatus vtsupra, aut prædicti Regulator, & Magistri si bona fuerint in Ciuitate, vel Ducatu nostro Mediolani, adiunctis eisdem æstimatoribus alijs duobus bonis viris per ipsos Potestatem, ac Referendarium, necnon Aduocatum, ac Procuratorem Cameræ nostræ eligendis, qui delato ipsis omnibus æstimatoribus, & adiunctis sacramento iurent sic fideliter, ac bona fide, & sine fraude, & in ipsorum conscientia æstimare bona ipsa, & quæ æstimare teneantur, & debeant, & in scriptis redigere infra decem dies prox. fut. postquam electi fuerint, & dati dicti adiuncti, & quod Referendarius antedictus, vna cum Procuratore Cameræ nostræ sit, & esse debeat præsens dictæ æstimationi, quæ fiet per duos æstimatores, adhibendo tamen bonam, & diligentem aduertentiam, quod in facto dictæ æstimationis nulla fraus, nullusue dolus valeat quoquo modo committi; si vero non essent in Ciuitate, vel loco prædictis

 aliqui

aliqui æstimatores Communitatis electi, volumus, & mandamus, quod quotiens expediens fuerit infra quatuor dies proximè venturos postquam ipsi Regulator, & Magistri scripserint ipsis Potestati, & Referendario, quod duo eligantur æstimatores per Antianos, seu Præsidentes negotijs dictæ Ciuitatis, vel Terræ, ad quorum etiam electionem ipsi Potestas, & Referendarius ex ipsorum mero officio cogere, & compellere possint, & valeant dictos Antianos, & Præsidentes non expectatis litteris prædictorum Regulatoris, & Magistrorum, quibus vna cum dictis duobus Adiunctis sacramentum prædictum in præsentia Aduocati, & Procuratoris Fiscalium per ipsos Potestatem, & Referendarium deferatur modo quo supra. Factis autem prædictis æstimationibus, & in scriptis redactis, manuque propria ipsorum æstimatorum subscriptis, vel aliorum ipsorum loco, vbi aliqui scribere nescirent, aut litterati forent, teneantur, & debeant ipsi Potestas, vel suus Vicarius, ac Referendarius dare copiam talis æstimationis prædictis Aduocato, & Procuratori Cameræ nostræ cum assignatione termini dierum quindecim proximè venturorum ad opponendum, contradicendum, & probandum quicquid volunt, possunt, & intendunt contra dictam æstimationem, quam ipsi Potestas, Vicarius, & Referendarius reformare, & corrigere teneantur vbi in ea dolus, vel fraus commissa foret in præiudicium Cameræ nostræ, & de ipsis facta fuisset saltem fides summaria; & demum ipsam æstimationem clausam, & sigillatam transmittere teneantur præfatis Regulatori, & Magistris, qui infra alios dies quindecim de bonis ipsius condemnati talia qualia erant tempore commissi delicti verè, vel fictè vt supra, & cum oneribus suis in solutum dationem facere teneantur, vsq; ad concurrentem quantitatem crediti vniuscuiusq; declarati, cum solemnitatibus, promissionibus, transactionibus dominij, & possessionis iurium, & actionum, cessionibus, constitutis, & constitutionibus iuris in rem, & alijs clausulis, & renunciationibus in talibus insolutum dationibus, & instrumentis apponi solitis, & consuetis: saluo semper, & excepto, quod volumus teneri de euictione, nec defensione talium bonorum, nisi pro dato, & facto nostro, Cameræq; nostræ tantùm, quod datum, & factum proprium sit, & esse intelligatur si de huiusmodi bonis aliquam transactionem, vel alienationem fecisserimus, aut de cætero, aliter non teneamur etiam nec ad precij restitutionem, ita tamen, quod ipse in solutum accipiens habeat ad defensionem ipsorum bonorum in solutum acceptorum, & in casu euictionis eorum bonorum tantum, ac eatenus quatenus fuerit euictio subsecuta, quæ omnia verba inserantur in ipso instrumento donationis in solutum horum bonorum, & etiam saluo, & reseruato ec quod in superioribus datum est, & quod vbicumque, & quocumq; tempore detegeretur dolus, vel fraus, aut aliqua simulatio contractus, vel distractus, aut falsitas alicuius instrumenti commissus, vel commissa per talem comparentem, vel alium iura nostra, ac dominium, & possessio talium bonorum, eo casu sit, & esse intelligatur reseruatum, & reseruata, ac in nobis retentum, & vt supra, & etiam saluo, & reseruato, quod Cameræ nostræ liceat, & licitum sit infra biennium talia bona in solutum data luere, & recuperare eodem pretio pro quo facta fuerit, & esse reperiatur dicta datio in solutum, retentis tamen, & lucratis fructibus inde perceptis per ipsum, cui dicta datio in solutum facta fuerit, & restitutis expensis vtilibus, & necessarijs in melioramentis dictorum bonorum interim factis, si qua facta reperiantur hoc medio tempore, æstimandi

dis per duos amicos communes eligendos, & cum eorum sacramentis, & quæ omnia in ipso instrumento dationis in solutum describantur veluti reseruata, & contenta, tàm in principio, quàm in medio, & fine; & in qualibet parte dictæ dationis in solutum.

Idem quoque fiat, & seruetur in æstimationibus, & dationibus in solutum fiendis coram præfatis Regulatore, & Magistris Cameræ nostræ in hac Vrbe nostra Mediolani, & toto eius Ducatu, & etiam in fiendis alibi vbi scripserint, aut mandauerint supra dictas proclamationes, comparitiones, contradictiones, iurium productiones, ac probationes fieri, & recipi debere ratione aliquorum subditorum, vel incolarum Ciuitatum, aut Terrarum in feudum concessarum, aut alio quocumque titulo per nos alienatarum, de quibus in superioribus mentio facta est, quibus peractis præfati Regulator, & Magistri reliqua bona, & iura talis condemnati in solutum non tradita veluti ritè, ac solenniter liquidata vtsupra, describere faciant super libris Cameræ nostræ ordinatè cum situ, cohærentijs, ac numero perticarum, vna cum creditis, & iuribus talis condemnati, ac Cameræ nostræ, ac bonis mobilibus, & se mouentibus vtsupra.

Et si infra prædictũ terminũ triũ, & sex mensium nemo comparuerit, prædicti Potestas, vel eius Vicarius, ac Referendarius, vna cum Aduocato, & Procuratore Cameræ nostræ pari modo teneantur, & debeant infra dictos decem dies præfatis Regulatori, & Magistris Cameræ nostræ scribere, & in scriptis, & ordinatè transmittere copias proclamationum super huiusmodi bonis factarum, & relationum inde secutarum, & subscriptas manu publici Notarij, & ipsis notificare neminem infra dictos terminos trium, & sex mensium comparuisse, sub pœna retentionis salarij vnius mensis applicand. vtsupra, quas litteras, cridas, relationes, ac bona omnia descripta, & apprehensa vtsupra, eo casu ipsi Regulator, & Magistri describi faciant super libris Cameræ nostræ veluti liquidata, & incorporata ipsi Cameræ, & aliter non. Idem quoq; fiat, & seruetur per ipsos Regulatorem, & Magistros in cridis, & proclamationibus fiendis parte Potestatis nostri Mediolani, aut alicuius nostri executoris generalis, aut Capitanei deuetus, vel alterius Officialis, aut ipsorum Regulatoris, & Magistrorum in hac Ciuitate, vel Ducatu Mediolani, vel alibi, vbi ipsi Regulator, & Magistri scripserint vtsupra, videlicet, quod ipsæ cridæ, ac relationes, & litteræ eorum scribantur super libris Cameræ vna cum bonis liquidatis vtsupra.

Denique liceat prædicti collaterales, famuli, ac Notarij, Potestatum, & Referendariorum, necnon Syndici, & Procuratores Cameræ nostræ, tamquam salariati, & ex debito ipsorum teneantur facere memoratas descriptiones, & apprehensiones bonorum publicatorum ad Cameram nostram, seu aliter spectantium, & pertinentium Cameræ nostræ vtsupra; veruntamen, vt causam habeant magis sollicitè, fideliter, ac temporibus debitis procedendi, & faciendi quicquid facere teneantur circa ipsorum bonorum descriptiones, & apprehensiones, mundasq; manus tenere, serie præsentiũ decernimus, & taxamus eisdem, & cuiq; eorum, prout infra vlz., vbi bona imputati de crimine soluendo erunt, collateralis Potestatis habeat pro persona sua soldos sexdecim Imper. pro singula die, & pro tempore, quo stabit occupatus itu, mora, & reditu verè, & non fictè, & soldos octo Imper. pro quolibet duorum famulorum si eo secum conduxerit; Syndicus Cameræ, si personaliter accesserit ad contrascribendum, similiter habeat

 pro

pro persona sua soldos sexdecim Imper. in die vtsupra, & pro Notario suo, seu famulo soldos octo Imper. vtsupra. Si verò Notarium suum miserit ad contrascribendum, habeat soldos sexdecim Imper. in die vtsupra. Notarij verò Potestatis, & Referendarij habeant soldos sexdecim pro quolibet eorum in die vtsupra, soluen. ex bonis, seu ex denarijs imputati, vbi condemnatio non sequeretur, aliàs autem, vbi sequeretur condemnatio, & publicatio, soluatur sumptibus Cameræ nostræ, & vbi bona imputati non essent soluendo, vel non apta ad tantam impensam, tunc omnes prædicti habeant impensas cibi, & potius pro itu, mora, & reditu tantùm sumptibus Cameræ nostræ, pro quorum securitate liceat vni eorum pro omnibus, prout conuenerint accipere vnum pignus, ex bonis talis imputati retinendum, donec pecuniæ prædictæ ipsis soluantur vtsupra; hoc tamen ordine, quod ipsum pignus ponatur in descriptione cum qualitatibus suis, & vbi dolus, vel fraus aliqua per prædictos, vel aliquem eorum per se, vel per interpositam personam directè, vel per indirectum, nec aliquem alium commissus, vel commissa fuerit in occultando, vel accipiendo aliquas res vltra prædictum pignus talis imputati, aut negligendo eas describere, vel in eas occupando, puniatur irremissibilitèr in quadruplo valoris talium rerum, vel bonorum applican. Cameræ nostræ, & quilibet possit talem committentem, vel committenti facientem dolum, vel fraudem vtsupra, vel occultantem, aut occupantem aliquas res, vel bona quæcumq; talis imputati denunciare, & accusare coràm Regulatori, & Magistris Cameræ nostræ, aut coràm Potestate, ac Referendario, ac Syndico Cameræ illius Ciuitatis, vel Terræ in quorum districtu, vel Episcopatu bona ipsa sita sunt, vel reperiantur, & habebit dimidiam pœnæ suprascriptæ, & tenebitur secretus si voluerit, & si talis denuncia, vel accusa fieri contingat coràm Potestate, Referendario, ac Syndico, de quibus supra, teneantur ipsi Potestas, & Officiales de ipsa accusa, vel denuncia notitiam facere prædictis Regulatori, & Magistris infra sex dies proximè tunc venturos à die porrectæ accusæ, vel denunciæ numerandos, sub pœna salarij vnius mensis pro quolibet eorum.

Mandantes denique præfatis Regulatori, & Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum, & possessionum, necnon Potestatibus, Referendarijs, Rectoribus, & Insdicentibus Ciuitatum, & Terrarum nobis tàm mediatè, quàm immediatè suppositarum, Capitaneis nostris deuetuum, ac Aduocatis, & Procuratoribus Fiscalibus Cameræ nostræ, alijsque Officialibus, & Subditis nostris, necnon Feudatariorum, & Donatariorum nostrorum quibuscumq; ad quos spectat, & spectare poterit quomodolibet in futurum, quatenus præsens nostrum Decretum, & contenta in eo, prout iacent ad litteram firmitèr obseruent, & in Ciuitatibus, & Terris nostris, & in locis publicis, & consuetis publicari, & registrari faciant, & inuiolabilitèr obseruari, non obstantibus aliquibus Legibus, Statutis, Decretis, & Ordinibus, alijsque in contrarium disponentibus, vel alitèr formam dantibus, quibus omnibus (exceptis tamen, & reseruatis his de quibus supra) ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis derogamus, & derogatum esse volumus, & iubemus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die vigesimo primo Aprilis MCCCCXLVI. Indictione nona.

Decretum,

Decretum, quod quilibet in scriptis propalet emolumenta, commoditates, & vtilitates, ac earum pretium, quas percipit cuiuscumq; immunitatis, concessionis, ac exemptionis causa.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Sentientes ex importunitate postulantium concessiones immunitatum, & exemptionum, tàm per nos, quàm per Illustrissimos quondam Progenitores, & Præcessores nostros factas adeò excreuisse, vt maximam intratarum nostrarum partem absorbeant, deliberauimus omninò perspicacitèr intelligere, quàm iacturam, & diminutionem ex ipsis exemptionibus, & immunitatibus intratæ nostræ anno singulo patiantur, in qua quidem materia nouum Decretum edidimus, quod volumus ab omnibus in eo contentis obseruari, cuius copiam vobis mittimus his inclusam: committentes vobis, ac strictè mandantes, quod illud vbiq;, ac omnibus in locis dominio nostro, tàm mediatè, quàm immediatè suppositis, vt ad omnem notitiam veniat publicari, & in numero aliorum Decretorum nostrorum inseri, & describi, ac inuiolabilitèr obseruari faciatis. Dat. Mediolani die vltimo Decembris MCCCCXLVI. Marcolinus. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur Nobilibus Viris Magistris Intratarum nostrarum ordinariarum, ac etiam Domino Vincentio de Vegijs Doctori extraordinariarum Regulatori.

Tenor Decreti.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriaque Comes, ac Ianuæ Dominus. Nundum Magistri Intratarum nostrarum, alijq; nostri Officiales intelligere potuerunt quantùm commoditatis, & vtilitatis capiant, consequanturq; aliquos habentes tàm à nobis, quàm ab Illustrissimis quondam Progenitoribus nostris exemptiones, immunitates, seu concessiones, seu aliter, vel quouis modo immunes, vel exempti singulo anno ex ipsis immunitatibus, exemptionibus, seu concessionibus, neq; quantum damni, difalcationis, nec diminutionis intratæ nostræ retroactis temporibus proinde anno singulo passæ fuerint, & de præsenti patiantur, ac in futurum passuræ sint; quæ omnia plurimum cupientes, vt rebus nostris postmodum prouidere, & eas certo ordine gubernare valeamus, præsenti nostro decreto, & edicto; quod pro generali lege, vt infra perpetuò seruari volumus; ex certa nostri scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, ordinamus, statuimus, ediximus, atq; decernimus, quod omnes, & singuli Feudatarij, Donatarij, Capitanei Armorum, siue Generales illi fuerint, siue non; Armorum ductores, Squadrerij, Armigeri, Familiares, Prouisionati, quilibet etiam Consiliarij, Secretarij, & Camerarij nostri, siue assistentes personæ nostræ, siue non quilibet etiam Aulici cuiuscumque status, gradus, aut præeminentia existant, Nobiles, Magistri Intratarum nostrarum vtriusq; Cameræ, Commissarij, Referendarij, Officiales salariati; quilibet etiam Communia, Collegia, Societates, Corpora, Vniuersitates; & generalitèr omnes, & singuli Ciues, & Subditi nostri, ac personæ quæcumq; veræ scilicet, aut repræsentatæ, seu fictæ, necnon Vicecomites, etiam si fratres, aut filij nobis essent, ac omnes, & singuli, qui possessiones, vel Datia Imbotaturarum vini, bladorum, ac feni, & panis, vini, & carnium, vel alia quæuis datia, quæ verisimilitèr incantari, vel vendi possent à nobis, vel à Camera nostra, vel ab Illustrissimis quondam Præcessoribus nostris haberent ex causa

venditionis, in solutum dationis, permutationis, dotis, donationis, pignoris, translationis, remissionis, & quauis alia causa etiam extranea, & excogitata, & etiam à prædictis dissimili, sint qui velint, & quouis nomine nuncupentur, & quauis dignitate præfulgeant, quod, & quæ dici, vel excogitari possit nobis mediatè, vel immediatè supposito, ac in dominio nostro nobis mediatè, vel immediatè supposito commorantes, qui beneficio immunitatis, vel exemptionis Imbotaturarum vini, bladorum, & feni, vel panis, vini, & carnium, necnon aliorum quorumuis Datiorum, quod tàm ad ingressum Portarum Ciuitatum nostrarum, seu in ipsis Ciuitatibus, quàm earum districtibus per alios exsoluuntur quouis modo perfruantur, & gaudeant, siue conuentionati illi sint, siue qualitèrcumq; & quomodocumq; fuerint, & sint immunes, & exempti, vel exemptione, aut immunitate vtantur modo aliquo, vel ingenio, quod dici, vel excogitari possit, teneantur, & debeant infra menses duos, à die publicationis præsentis Decreti nostri computandos, in scriptis dedisse, & assignasse Magistris Intratarum nostrarum ordinariarum, ac etiam Domino Vincentio de Vegijs Regulatori Cameræ nostræ extraordinariæ emolumenta, commoditates, vtilitates quaslibet, earumque pretium, & valorem, quas ipsi, & eorum massarij, fictabiles, molendinarij, pensionantes, tabernarij, pistores, seu pristinarij, & reddituarij cuiusuis maneriei, ac quouis nomine nuncupentur exemptionibus, immunitatibus, seu concessionibus suis, seu earum causa, vel occasione anno singulo perceperint, vno anno computato cum altero, & altero cum, altero bona fide, & sine fraude, faciendo superinde illam meliorē, & iustiorem æstimationem, quam poterunt secundum rectum iudicium, & conscientiam suam, ita quòd clarè, & specificè declaret quantitas pecuniarum, quas soluerent pro huiusmodi Imbotaturis, & Datijs vtsupra singulo anno, vno anno computato cum altero, & altero cum altero si exempti non essent, vel si nobis pro ipsis Imbotaturis vtsupra, soluerent ipsi suprascripti, vel eorum Subditi, vel eorum nomine tenentes; declarando singula nomina Ciuitatum, Castrorum, Terrarum, Villarum, Capsinarum, Molendinorum, Tabernarum, Pistorum, & locorum, cum quantitatibus pecuniarum, seu pretij valoris vtilitatis ipsarum immunitatum, exemptionum, vel concessionum vtsupra annuatim percipi solitis, vno anno computato cum altero, & altero cum altero, ponendo quamlibet Ciuitatem, Terram, & vsupra de per se, separando etiam pretium, seu valorem vtilitatis imbotaturarum feni ab alijs Imbotaturis, & Datijs, & alia datia ab alijs imbotaturis, & datjs, & datia panis, vini, & carnium ab alijs imbotaturis, & datijs, & datia imbotaturarum Vini, & bladorum ab alijs imbotaturis, & datijs, ita quòd clarè, & expressè intelligatur quantitas pecuniarum, seu valoris, & pretij percipi solita ex vtilitate exemptionum, vel concessionum ipsarum, vel quæ percipi possent si similes exemptiones, vel concessiones factæ non essent, tàm ad ingressum portarum Ciuitatum, & aliorum locorum, quàm in ipsis Ciuitatibus, & locis, vel alitèr ex vnoquoq; datio, & per se ex vnaquaq; Ciuitate, vel Villa, aut loco vtsupra, de per se, vno anno computato cum altero, & altero cum altero, singula singulis congruè referendo, specificando etiam districtus, plebes, Vicariatus, squadras, & regiones, in quibus vnaquaq; ipsarum Villarum, & Terrarum vtsupra fuerint, singula singulis congruè referendo, & hoc sub irremissibili pœna priuationis exemptionū, immunitatum, vel concessionum

sionum prædictarum, quas quidem omnes, & singulas casu inobedientiæ, vel negligentiæ commissæ in obseruatione præsentis Decreti ex nunc, prout ex tunc cassamus, reuocamus, annullamus, & irritamus, ac pro cassis reuocatis, & irritis haberi volumus ipso iure, & facto, absque vlla vlteriori declaratione, seu sententia superinde fienda, ferenda, & absq; eo, quod quis iurare se possit beneficio aliquo etiam speciali, etiam si tales essent, de quibus oporteret in præsenti decreto nostro fieri mentio specialis. Decernentes, ac declarantes, quod omnes, & singulæ exemptiones, & immunitates per nos in futurum concedendæ nullæ sint, & irritæ, nisi in litteris proinde conficiendis expressum sit pro quanta pecuniarum quantitate, & modis quibus super talis concedatur exemptio; omnes vero Religiosos, & Ecclesiasticos vtriusque sexus cuiusuis status, gradus, & dignitatis, aut praeminentiæ existant, siue sint paupertatis obseruantiæ meditantes, aut dedicati Sanctis deuotis nostris, siue non, in dominio nostro, tàm mediatè, quàm immediatè supposito commorantes, vel habentes possessiones, vel aliqua bona immobilia, qui beneficio alicuius exemptionis, immunitatis, vel concessionis, & vtsupra fruuntur, & gaudent exortamur, quatenus debeant in termino prædicto duorum mensium memoratis Magistris Intratarum nostrarum, & Domino Vincentio in scriptis dedisse pretium, & valorem vtilitatis exemptionum, & immunitatum suarum vtsupra, & omnia fecisse modis quibus supra, quod in presenti decreto continentur; nàm si aliquam præsentis Decreti partem, vel ipsius effectum adimplere neglexerint vtilitati, & rebus nostris prouidebimus, prout cognouerimus honestati, & æquitati conuenire; de quibus omnibus valoribus, & quantitatibus vtsupra, fiat liber vnus, qui ad Officium Magistrorum Intratarum nostrarum ordinariarum perpetuo remaneat, vt beneficia, quæ nostri progenitores, & antecessores nostri erogata sint, aut nos erogauimus, & in dies erogauerimus intelligere, & si quando opus fuerit rebus nostris consulere valeamus. Mandantes omnibus, & singulis Gubernatoribus nostris præsentibus, & futuris, ac spectabilibus, & Egregijs Dominis vtriusq; Consilij Magistris Intratarum nostrarum ordinariarum, & extraordinariarum, ac Feudatarijs, Donatarijs, ac exemptis cuiusuis status, gradus, & præeminentiæ existant, etiam si essent Capitanei generales, vel non, aut conductores gentium nostrarum armigerarum, & alijs Commissarijs, Rectoribus, Potestatibus, Referendarijs, tàm Cameræ nostræ, quàm Ciuitatum nostrarum, Capitaneis denetuum, Vicarijs, ac Executoribus nostris generalibus, alijsq; Ciuibus, & Subditis nostris, ac omnibus de agnatione nostra etiam si fratres, aut filij nobis essent, & generalitèr omnibus, & singulis nobis mediatè, vel immediatè suppositis, vel in dominio nostro commorantibus quo supra declarauimus quatenus præsens nostrum Decretum obseruent, & pro lege, & Decreto nostro faciant perpetuo obseruari, non obstantibus aliquibus legibus communibus, vel feudalibus, alijsque Ordinibus, & Decretis nostris, ac Statutis, & Ordinamentis Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, tàm mediatè, quàm immediatè nobis suppositarum, ac etiam aliquibus pactis, conuentionibus, & contractibus quibusuis clausulis roboratis, quibus ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, etiam absolutè, derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die vltimo Decemb. MCCCCXLVI.

Priuilegia

FRancifcus Sforcia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, Cremonæ, Parmæ, Placentiæ, Nouariæ, Laudæ, & Cumarũ Dñus. Ex parte Communis, & hominum Terræ Noftræ Modoetiæ accepimus capitula tenoris inferius defcripta, quibus refpondemus, prout apparet in fine vniufcuiufq; capituli. Quorum quidem capitulorum tenor talis eft vlz. Infrafcritti fono li capitoli, & patti, quali fupplicano la Communità, & huomini della Terra di Monza effere confirmati, & conceduti per l'Illuftriffimo, & Eccellentiffimo Sig. Duca di Milano &c. Et primo fupplicano effi huomini di Monza, che il prelibato Illuftrifs., & Eccellentiffimo Signore fi degni conferuarli, cõfirmarli, & mãtenerli inuiolabilitèr in tutte quelle franchifie, Priuilegij, Statuti, & Ordini, Decreti, & Prouifioni, & mixto, & mero Imperio, & iurifdittione feparatim dalla Città di Milano, & nel modo, & forma, che foleuano effere al tẽpo della buona memoria delli altri noftri Illuftriffimi Signori Vifconti paffati, & maffime del primo Duca di Milano. Refp. Fiat de illis; de quibus erat in poffeffione, vel quafi, tempore obitus Illuftriffimi Domini Philippi Mariæ olim Ducis Mediolani Patris noftri honorandiffimi. Item, che fi degni concedere afli detti Supplicanti, che li datij delle intrate ordinarie della detta Terra non fi debbiano fcodere altrimente, nè incantare; fe non come fi faceua al tempo della bona memoria di tutti gli altri Signori Vifconti paffati, & maffime il datio delle intrate delle porte d'effa Terra, qual frà le altre cofe il Datio del vino, & della biaua non fe fcodeua fe non à computo di foldo vno per caduna brenta di vino, & dinari fei per caduno moggio di biaua, & fù fempre feruato fino dell'anno MCCCCXXXIII.; nel qual anno lo Illuftriffimo Sig. quon. Duca di Milano nuouamente efpirato fece fare vna additione al detto datio folamente alli detti huomini di Monza, cioè da fs. vno Imp. per brenta vna di vino per fino à fs. trè Imp.; & dalli detti din. fei per mozo di biaua per fino à foldi duoi Imperiali, il qual incanto fù feruato per fin à vn certo tempo, & poi il prelibato Signor quondam Duca di Milano fece ordini generali, & fù pofto, & adiunto lo terziamento. Ad primam partem prædicti capituli, quæ durat vfq; ibi; & maximè, refpondemus; contentari, quod dicta datia exigantur ficut exigebantur tempore Illuftrifs. Domini Ducis Patris olim noftri honoran. detracto interziamento. Et ad fecundam partem prædicti capituli, quæ incipit ibi, & maximè, vfque ad finem, refpondemus contentari nos, quod foluant de cætero fol. duos pro qualibet brenta vini; & denarios duodecim pro quolibet modio bladi. Item, che li fia affirmato, che tutti li beni immobili d'effa Terra, & del Territorio fiano obligati à tutti li carichi, & fpefa di detta Terra, come è de loro Statuto, & ordine. Refponfio. Fiat ius. Item, che la detta Communità, & huomini di Monza, quali habitano, & habitaranno in detta Terra, così Clerici, come Secolari fiano preferuati èfenti da ogni carico reale, perfonale, & mixto, come voglia fiano appellati, & da ogni altra requifitione pecuniaria, eccetto da li datij ordinati per fino ad anni 20. à venire. Ad prædictũ capitulum refpondetur. Contentamur de extraordinarijs tantùm, nifi in cafu neceffitatis, vtq; ad ... de extraordinaria intelligimus taxas. Item, che il prelibato Signore fi degni far preferuare efempta la fabrica della Chiefa di Santo Giouanni, & tutte le cafe dell'Hofpitale, & Frati di Pouertade della detta Terra di cadauno Datio in tutto, & per tutto, come

fempre

sempre sono stati preseruati per il passato insino al presente. Responsio. Placet. Item, che'l Datio della Mercantia di Milano sia incantato con quelli patti, & declaratione, quali fù incantato in questo anno prossimo passato per rispetto alli detti huomini di Monza. Responsio. Hoc seruari volumus secundum consuetum tempore obitus dicti Ill. D. Ducis proximè defuncti, detractis interciamentis. Item, che non siano tenuti à pagare Datio alcuno d'alcuna robba per loro condutta à Milano per fuga in questa nuoua guerra, cioè in ritornarla alla detta Terra di Monza, iurando loro essere condutta per fuga. Responsio. Acceptamus pro rebus illuc delatis, vti ad locum tutiorem, non causa mercandi. Item, che la detta Communità, & huomini ritrouandosi debitori di alcune quantità di dinari per cagione delle intrate de' Datij, ò per segurtà, ò per altre cagioni sopra alcuni libri della Camera Ducale, cioè dalla morte dell'Illustrissimo Signore quondam Duca nouamente spirato indreto sieno in tutto liberati, & cancellati. Fiat, quatenus ad Cameram nostram spectat. Item, che da ogni tempo, & da ogni loco si possa condurre vittuaglia alla detta Terra senza impedimento alcuno, pagando li datij ordinati. Responsio. Acceptamus, habita tamen à nobis, vel à Capitaneo dictæ Terræ licentia sine solutione. Item, che si degni confirmar la donatione fatta per la bona memoria del prelibato quondam Illustrissimo Sig. Duca prossimo spirato, in quelli otto Capellani, quali officiano di presente, & che officiaranno nel tempo auenire nella Chiesa di S. Giouanni di essa Terra, in remedio delle anime delli loro Illustrissimi Signori Visconti, & accadendo morire alcuno di detti Capellani, habbia la detta Communità arbitrio, & possanza di eleggere altri in suo loco sempre con il piacere, & confirmatione della Eccellenza Sua. Responsio. Placet, sed substitutum, vel alium loco deficientis, volumus nos eligere. Mandantes omnibus, & singulis Officialibus nostris præsentibus, & futuris, tàm ibi, quàm alibi, quod prædicta responsa obseruent, & faciant ab alijs inuiolabiliter obseruari, sub indignationis nostræ pœna. In quorum testimoniũ has præsentes fieri fecimus, & registrari, nostri soliti sigilli impressione muniri, & manu infrascripti nostri Auditoris subscribi. Ex Castro nostro Modoetiæ die decimonono mensis Martij MCCCCL. Ioannes de Amellia I. V. Doctor Auditor.

Decretum pro libellis exhibitorijs.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus. Dilecti nostri. Pro reprimendis nonnullis litigandi abusibus Decretum ordinauimus, quod per copiam his inuolutam vobis mittimus; volentes, ac vobis mandantes, quatenùs illud ad scalas palatij iuxta solitum publicari, & in aliorum Decretorum nostrorum volumine inseri faciatis in posterum, prout iacet ad litteram obseruandum. Dat. Mediolani die xx. Iulij MCCCCL. Franciscus.

Tenor Decreti.

DIsponentes totis viribus quosdam litigandi abusus reprimere, quos multimodè per aliquos cauillationum fautores inductos audiuimus, non vt partium iura protegant, sed, vt potius solutiones debitas diffugiant, vel differant, aut saltem, vt diutiùs partes litigijs teneant, præsentis nostri Decreti serie ordinamus, mandamus, & volumus, quod nullus ex Officialibus

ficialibus quibusuis nostris, tàm præsentibus, quàm futuris libellum aliquem exhibitorium ex quacumqꝫ causa deinceps porrigendum admittat, nec eius occasione executionem differat, velomittat, nisi prius, si id quod in ipso libello deducetur à libris centum Imper. infra fuerit pars ipsa libellum eiusmodi porrigens deposuerit penès personam idoneam per eum coram quo talis libellus producetur eligendam libras decem Imper., & si fuerit à libris centum, vsqꝫ in ducentum, libras sexdecim Imper., à libris verò ducentis, vsqꝫ in quingentis, libras vigintiquinque Imper.; & à libris quingentis supra; vsqꝫ ad omnem summam libras quadraginta. Imper., quæ denariorum quantitates lucro cedant parti contra quam libellus ipse productus fuerit, & in causa obtinuerit. Huiusmodi igitur nostri Decreti dispositionem, quam vt legem, & pro lege seruari volumus, & in volumine aliorum Decretorum nostræ Vrbis Mediolani describi, & inseri Officiales prædicti deinceps seruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari. Declarantes tamen, quod si ille, qui talem libellum produxerit, in causa succubuerit, in expensis debeat per ipsum Officialem, coram quo productus fuerit integralitèr condemnari, & ad solutionem compelli vltra summam depositam vtsupra. In quorum &c. Dat. Laudæ die decimo octauo Iulij MCCCCL.

Quod in causis commissis D. de Consilio numquam finiatur instantia. MCCCCLI. Die secundo Ianuarij.

NOta, quod Domini de Consilio ordinarunt, quod in causis tàm commissis, quàm committendis eisdem, vel alteri eorum, & tàm simùl, quàm diuisim, siue fit vni ex eis de per se, vel cum alio, vel alijs, qui non sint de Consilio, & tàm per litteras commissionis, quàm per compromissum, aut alio quouis modo, nunquam finiatur instantia, quinimmo vltima die instantiarum ipsæ instantiæ semper prorogatæ sint, & intelligantur, vsque ad diem, qua causæ ipsæ terminabuntur, licet alitèr de prorogationibus non appareat; cum hoc tamen, quod per has generales prorogationes non præiudicetur specialibus prouisionibus, quæ per eos fierent in aliqua causa.

Confirmatio Priuilegij Busti Arsitij.

FRancifcus Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Cremonæ Dominus. Supplicauerunt nobis homines Burgi nostri Busti Arsitij, vt infrascriptas litteras ab Illustrissimo nunquam delendæ memoriæ Principe Dominò Philippo Maria olim Duce Mediolani &c. Patre, & Socero nostro Colendissimo sibi concessas probare, validare, ratificare, & confirmare, prout iacent, ac de nouo concedere dignemini, sicuti eis per nos aliàs concessum fuit, quarum quidem litterarum tenor sequitur, vt infra videlicet.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæqꝫ Comes, ac Ianuæ Dominus. Pro parte Communis, Burgensium, & hominū Burgi nostri Busti Arsitij, quorum fidem, & constantiam erga nos, & Statum nostrum longa experientia cognouimus nobis humillimè supplicatum est, vt pro euitandis laboribus, & expensis, tàm coràm Iusdicentibus nostris Mediolani, quàm Officialibus nostris Seprij,

&

& Bulgariæ in ciuilibus, & criminalibus, quas quotidiè patiuntur de gratia speciali, & de nostræ plenitudine potestatis prouidere dignaremur, quod ab huiusmodi laboribus, & expensis respirare possint. Nos autem benignè eorum requisitionibus annuentes, harum serie ex certa scientia, & de plenitudine potestatis nostræ, ac omnibus modo, iure, via, & forma, quibus melius, & validiùs possumus, decernimus, statuimus, & mandamus, quod Plebs Olgiati Olonæ, ac omnes Villæ, Terræ, Capsiuæ, & loca in ea existentes, & existentia sint, & esse debeant de cætero, vsque ad nostrum beneplacitum, supposita, & subiecta iurisdictioni Potestatis, quem eisdem Communi, Burgensibus, & hominibus dictorum Busti Arsitij, & Plebis Olgiati Olonæ de proximo dare disponemus; & quod idem Potestas, & successores sui, in quibuscumque causis, & quæstionibus, litibus, & controuersijs, tàm in ciuilibus, quàm criminalibus quasuis maneriei, formæ, quantitatis, summæ, ac valoris existant, cum mero, & mixto Imperio, & omnimoda gladij potestate, quod, & quam eidem Potestati nostro, & successoribus suis de eadem plenitudine potestatis nostræ præsentium tenore concedimus, & tribuimus vertentibus, & quæ verti possent in futurum coram eis possint, & debeant iura reddere, pronunciare, determinare, & in qualibet quantitate pecuniæ, & pœna tàm pecuniaria, quàm corporalis, vsq; ad vltimum supplicium inclusiuè condemnare, omnesque sententias, pronunciationes, & condemnationes per eos fiendas pecuniarias, & corporales executioni mandare, seruatis Statutis, & Decretis nostris, ac Communis Ciuitatis nostræ Mediolani. Declarantes, & decernentes, quod nullus de dicto Burgo Busti Arsitij, & plebe Olgiati Olonæ nostris possit, nec debeat extra dictum Burgum Busti Arsitij, nec coram alio Potestate, Iudice, vel Rectore in ciuilibus conueniri, citari, vocari, compelli, vel in litem trahi; nisi in casibus, in quibus ratione rei, vel contractus, aut alio legitimo respectu potest non Subditus de iure coràm alio Iudice conueniri, neque in criminalibus, nisi pro delictis dumtaxat extra dictum Burgum Busti Arsitij, & eius Terrarum, & plebem Olgiati Olonæ committendis, & perpetrandis, sed etiam à futuro Potestati nostro, & eius successoribus, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus omnes lites, controuersias, & inquisitiones inter omnes ipsos homines Burgi, & Plebis prædictorum fiendæ, & suscitandæ terminentur, & definiantur seruata forma Statutorum, & Decretorum de quibus supra fit mentio. Reuocantes, & annullantes omnes, & singulos processus, citationes, scripturas, & actus fiendos inter, & contra ipsos homines dictorum Burgi, & Plebis coràm alijs Officialibus nostris, tamquam non habentibus iurisdictionem in dictis Burgo, & plebe, quod, & quàm immune, & immunem à iurisdictione omnium Officialium nostrorum, tàm Mediolani, quàm Seprij, & Bulgariæ præsentium tenore fore, & esse decreuimus. Mandantes Magistris Intratarum nostrarum ord. & extraor., necnon Potestati, Vicario, & duodecim prouisionum, ac Syndicis Communis Ciuitatis nostræ Mediolani, necnon Capitaneis, & alijs Officialibus nostris Seprij, & Bolgariæ, cæterisq; omnibus, & singulis Officialibus, & Subditis nostris præsentibus, & futuris, quatenus se, de dictis Burgo, & Plebe nostris, tamquam in eis iurisdictionem non habentibus pro iure reddendo, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus, non intromittant directè, nec per indirectum, vel alio quouis modo, vel ingenio, præsensq; priuilegium, ac omnia, & singula in eo inserta, prout iacent

iacent ad litteram obseruent, & faciant firmitèr, & inuiolabilitèr obseruari, nihilq; contra id, & eius tenorem attentent, nec permittant quomodolibet attentari, sub indignationis nostræ pœna, & hæc omnia aliquibus Statutis, Decretis, Legibus, Litteris, & Ordinamentis nequaquam attentis, quibus in quantum obstarent ex certa scientia, & de eadem plenitudine potestatis nostræ derogamus. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrorumq; sigilli, & corniolæ secretæ munimine roborari. Datum Mediolani die primo Aprilis MCCCCXL. Signat. Lanciarotus Vrbanus. Et diligentèr attendentes dictarum litterarum continentiam, simùl & honestatem, ipsorumque hominum requisitionem satis iuri, & æquitati consonam esse, maxime, quod aliàs, vti exposuerunt, eis promisimus dictas litteras confirmare, & quatenus expediret, de nouo concedere, summèque deceat Principem quæq; promissa fidelitèr attendere, & obseruare, ac inuiolabilitèr obseruari facere, & executioni mandare, nec nos alitèr facere disponimus. Tenore præsentium voluntariè, spontè, & ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis prædictas ipsas litteras, earumq; continentiam, & effectum, prout iacent ad litteram approbamus, ratificamus, confirmamus, & de nouo concedimus vtsupra, valituras vsq; ad nostri beneplacitum. Mandantes quibuscumq; Officialibus nostris præsentibus, & futuris, quatenus has nostras approbationis, ratificationis, confirmationis, & nouæ concessionis litteras obseruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari, nec contra eas, & earum tenorem quicquam intentent, nec intentari faciant quouis modo, nec patiantur pro quanto nostram gratiam caripendant. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die vigesimo secundo Martij MCCCCLI. Signat. Raphael.

MCCCCLI. die xxvij. Martij. Ordines facti in causa onerum.

PRimo, quod quilibet licet Ciuis Mediolani, & æstimatus in Mediolano habitans in aliquo Burgo, Villa, Terra, vel Capsina, seu Molendino Ducatus Mediolani, ibique continuam residentiam faciens, & exercitium aliquod ibi faciens, seu fieri faciens, teneatur contribuere ad onera, quæ fuerint imposita per Illustriss. D. D. Ducem Mediolani, aut per Commune Mediolani, seu eorum Agentes, vel dictarum Terrarum vtsupra, & hoc cum Communitate viciniore illius Terræ, & hoc pro illo exercitio, quod ibi fecerit, seu fieri faciet tantùm.

Item quilibet licet Ciuis, & æstimatus vtsupra, & laborans, seu laborari faciens terras suis manibus proprijs, seu eius sumptibus, & expensis, vel ad suas manus vltra numerum perticarum vigintiquinque teneatur soluere, & contribuere vtsupra, & hoc vsq; ad id ad quod teneretur Massarius, qui laboraret dictas terras per respectum ad quantitatem terræ, quam dictus Ciuis laboraret, seu laborari faceret vtsupra, saluo quod hoc non habeat locum in illis, quorum Massarij, vel fictabiles, terram deseruissent motte, vel alitèr, in quantum sit pro oneribus illius Terræ.

Item Ciues Mediolani, & in Ciuitate Mediolani verè, & realitèr onera incumbentia dictæ Ciuitati sustinentes, licet habitarent, & continuam residentiam facerent etiam post Festiuitatem Sancti Martini, & ante Calendas Madij

in

in dictis Terris, & locis vtsupra, & non facientes exercitium ibidem aliquod, nec laborari facientes vtsupra non teneantur contribuere ad onera dictis Terris imposita vtsupra, nisi ad saluamentum Terræ, quam habitauerint, & intelligantur habitare in dictis Terris si ibi relinquerent filium, vel filios, vel aliquos descendentes descendentis, vel vxorem, vel nurum, vel fratrem, aut fratres bona in communione habentem, vel habentes.

Quod emphiteotæ non exciderint à tempore mortis Philippi Mariæ Ducis Mediolani, vsque ad diem xxx. Iunij 1451., sed soluere teneantur.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus. Memores diebus superioribus ad preces nonnullorum ciuium nostrorum Mediolani, qui in causis fictorum nos adierunt, vt quid in eis deliberandum foret determinaremus, Sapientibus, & Famosis Doctoribus de Collegio nostro scripsisse, & commisisse, vt conuocatis, & congregatis Doctoribus, & Iurisperitis in Collegio præsentialiter residen. & maturè, & diligenter ponderata, ac discussa inuicem materia illa ventilarent, & examinarent inter eos qualiter, & quomodo superinde ipsis fiendum videretur, vtrum ius postularet an dicti Ciues tenerentur ad solutionem Canonis, seu fictorum libellariorum, vel ne ob guerrarum strepitus, ac turbinis, & an pro parte, vel in totum &c. prout seriosius in dictis litteris fit mentio, & de apparere suo, & de eo, quod superinde ipsis fiendum videretur Spectab. de Consilio nostro Iustitiæ postmodum certiores redderent; & quia dicti de Collegio licet aliquanto tempore distulerint mittere eiusmodi determinationem, seu declarationem, quod processisse arbitramur propter eorum varias, & ingentes occupationes, tandem eorum determinationem, & apparere scripserint præfatis de Consilio in forma inferius annotata vlz. Magnifici patres, & Domini Ducales Consiliarij Iustitiæ. Scripsit ad nos Illustris. D. D. noster, vt super litteris in supplicationibus illis introclusis de facto solutionis canonum per emphiteotas fiendæ, vel non fiendæ propter nouitates guerrarum occursarum mentionem facientibus vobis apparere nostrum scriberemus; quocirca sæpius super hoc Collegium congregatum fuit, in quibus congregationibus consideratis, & circumspectis, tam narratis in dictis litteris, quam etiam in supplicationibus eis introclusis, tandem conclusum, & deliberatum fuit per ipsum Collegium in hunc modũ vlz. Quod non obstantibus guerris, etiam talibus propter quas bona emphiteotica coli non potuerunt, nec ex ipsis fructus, aut redditus percipi, emphiteotæ tamen de iure teneantur ad canonis integri solutionem, quam conclusionem dictum Collegium multis, & infinitis iuribus, & rationibus fundauit, quæ breuitatis causa omittuntur. Dat. Mediolani primo Aprilis MCCCCLI. A tergo Magnificis Doctoribus, & Ducali Consilio Iustitiæ. Nos autem inhærentes iudicijs, ac declarationi præfatorum Dominorum de Collegio, tenoris in litteris per nos destinatis præfatis de Consilio nostro Iustitiæ, declaramus, & decernimus quod, quo ad caducitatem dictorum fictorum libellariorũ vllum tempus non cucurrisse intelligatur à tempore mortis nunquam delendæ bonæ memoriæ Illustrissimi D. D. Ducis Philippi Mariæ citra, nec in futurum currere, vsq; ad diem vltimam Iunij proximè futuri, quem terminum, seu quod tempus suspendimus, & in suspenso teneri volumus, vsq; ad dictam diem vltimam Iunij inclusiuè; decernentes tamen insuper, quod interim debito-

res

res ciusinodi fictorum cogi possint, & conueniri ad solutionem fictorum
ipsorum etiam pro dicto tempore curso à tempore dictæ mortis citrà, &
cursuris, vsque ad dictam diem vltimam Iunij hac suspensione non attenta,
quam declaramus non operari, nisi respectu solùm caducitatis. Man-
dantes Potestati nostro Mediolani, siue eius Vicario, ac vniuersis, & sin-
gulis Officialibus, ac Subditis nostris ad quos spectat, & spectabit, quate-
nus has nostras declarationes, & suspensiones litteras seruent, & faciant
inuiolabilitèr obseruari. In quorum &c. Dat. Mediolani die 15. Aprilis
MCCCCLI.

Decreti Illustrissimi D.D. Francisci Sfortiæ, disponens super legitimationibus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus.
Dilecti nostri. Condiderat alias Illustrissimus recolendæ perpetuæ me-
moriæ Princeps D. Dux Philippus Maria Pater, & Præcessor noster quàm-
plurimum honorandus Decretum ad præcidendas corruptelas, & iniu-
rias, quæ committebantur à nonnullis Comitibus Palatinis in legitiman-
dis filijs, & filiabus, inuitis, & defunctis etiam patribus, & alijs quidem,
& alitèr. Quod quidem Decretum (adhibita in aliquibus ampliatione
sicuti pro rei natura, & honestate Subditorum nostrorum commoditate
meliùs conuenire videbatur) Reformauimus, & de nouo confecimus sicuti
videre possitis per exemplum his inuolutum. Itaq; volumus, quod De cre-
tum ipsum in numero aliorum Decretorum, & ordinamentorum nostrorum
poni, & describi, & in consuetis, & opportunis suppositæ vobis iurisdictio-
ni locis publicari, & diuulgari, ita quod eius continentia ad omnem noti-
tiam deuenire possit, & quantum ad vos attinet obseruari faciatis, & obser-
ueris accuratissimè. Dat. Mediolani die vj. Martij MCCCCLII. Signat.
Vincentius. A tergo Spectabili, Egregio, Nobilibus, & Sapientibus Vlris
Potestati, Vicario, & xij prouisionum huius Vrbis nostræ Mediolani.

*FRancisсus Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq;
Comes, ac Cremonæ Dominus. Audientes multiplices Subditorum nos-
trorum querimonijs inordinationes, quæ sæpè hactenus sequutæ sunt, &
dietìm sequuntur, siue ignorantia, & inaduertentia, siue dolo, & desi-
derio turpis quæstus nonnullorum Comitum Palatinorum à Sacra Imperia-
li Maiestate amplissima Priuilegia habentium ad legitimandũ spurios, & bas-
tardos, & alios omnes ex illicito coitu procreatos, siue mares fuerint, siue
fœminæ, qui spurios, & bastardos huiusmodi viuentibus, & non consen-
tientibus eorum patribus, aut etiam, & maxime post eorum decessum
legitimare non verentur, & ad successiones, hæreditatesq; perducere in
præiuditium legitimorum ex testamento, vel ab intestato ad successiones
ipsas legibus, & ex voluntate ipsorum parentum vocatorum, satis dubij,
& incerti fuimus, quonam modo ea scandala, & inconuenientia tollere-
mus, quæ ex huiusremodi abusione prouenient, ne fienda à nobis prouisio
Imperiali auctoritate aliqua ex parte detrahere videretur, aut aliena
esse à reuerentia, & deuotione, qua Sacro tenemur Imperio, sed posteà
cogitantes, quod per importunitatem petentium ampliora sæpè conceduń-
tur, quàm sit recta concedentium dispositio, sæpè etiam habentes conces-
siones, aut leuitate, aut cupiditate nimia eis abutuntur, decreuimus om-
ninò lasciuiæ, & insolentiæ ipsorum Comitum occurrere, & mala auertere,
quæ ex legitimationibus, & habilitationibus dicto modo fiendis euenisse*

experti

experti sumus, & euentura fore cognoscimus, nil dubitantes, quod Imperialis Maiestas pro sua immensa prudentia, & maxime erga nos beneuolentia, & caritate, prouisionem à nobis fiendam non improbabit, sed factam indicabit ad scandala probibenda, & maxime cõmendabit, iniustum nempè, indignumq; ac inbonestum nimis iudicamus, quod ipsi Comites Palatini concessa eis per importunitatem potestate in dictis casibus abutantur; & spurios, & bastardos, aliósq; vtsupra in odium patrum suorum, & succedere debentium praiudicium ad successiones, ac hæreditates habilitent, proindeq; inter legitimos, & bastardos inconuenientia, & scandala suscitentur, ex quibus etiam nonnumquam homicidia, & mala plurima subsequuntur; propterea, vt magis, ac magis lasciuiam dictorum Comitum reprimamus, & maior adhibeatur cura ne scandala, & inconuenientia ex prolapsibus ipsorum eueniant, præsenti nostro Decreto vim perpetuæ legis habituro, ex certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis absolutè sancimus, edicimus, & decernimus, ac mandamus, quod nullus eorum quantumcumq; latum, & amplum Priuilegium habens, etiam motu proprio concessum, eo de cætero in casu legitimandi vtatur quouis modo absq; nostri licentia speciali, nisi talis legitimatio fiat de expresso consensu, & indubitata voluntate patris, aut eo defuncto, aui paterni ipsius, qui legitimabitur, in qua licentia nominatim sint expressi illi, qui legitimandi erunt, & eorum parentes. Nemo etiam Officialis, sine Magistratus in dominio nostro constitutus audeat, vel præsumat super aliquibus legitimationibus fiendis per aliquem Comitem Palatinum, sine nostri licentia vtsupra, vllam executionem facere, aut fieri permittere, sub pœna cuicumq; tàm Comiti, quàm Official, & Magistratui contrafacien. floren. quingentorum pro quolibet, & qualibet vice nostræ Cameræ applican., & irremissibiliter infligenda; & floren. ducentum cuicumq; Not. præsumenti aliquod Instrumentum legitimationis contra dispositionem huius nostri Decreti quouis modo recipere, seu rogare; quodq; nulla legitimatio effectum operetur, quo ad successiones transuersalium, nisi tales de quorum successione tractatur, aut eorum parentes ipsi consenserint legitimationi. Declarantes, & volentes, quod Decretum factum circa hanc materiam per Illustrissimum Principem D. D. Ducem Patrem, & Socerum nostrum Colen respectu temporis præteriti, vsq; ad tempus mortis ipsius; vsq; in diem publicationis præsentis Decreti durasse, & viguisse intelligatur præterquam respectu legitimationum, quæ factæ reperientur ipso medio tempore in vita, & cum consensu Patris, vel eo defuncto Aui Paterni talium legitimatorum; quas legitimationes dicto medio tempore factas cum consensu Patris, vel eo defuncto Aui Paterni talium legitimatorum non volumus eo prætextu infringi, quod non fuerit habita licentia de qua in eo Decreto fit mentio. Item exceptis Ciuitatibus, in quibus post mortem prælibati Principis Decretum ipsum in genere, vel specie suspensum fuisse reperiretur. Nam circa legitimationes factas, ipso suspenso tempore durante, per præsens nostrum Decretum nil disponere intendimus. Post quam publicationem volumus istud vtsupra seruari, & executioni mandari debere etiam respectu Ciuitatum earundem. Reuocantes ex nunc ex certa scientia suspensiones antedictas. Mandamus deniq; Vniuersis, & singulis Officialibus, Communitatibus, Ciuibus, hominibus, & Subditis nostris, ad quod spectat, & spectabit, quatenus præsens nostrum Decretum in volumine aliorum Decretorum nostrorum inseri faciant, &

describi,

describi, nec minus in locis publicis, & consuetis solenniter publicari, & affigi, ac etiam perpetuo irreuocabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die sexto Martij MCCCCLII.

Datum, seu Ordo, quod, & quantum habere debeant Notarij Maleficiorum pro comparitionibus, satisdationibus, sententijs, & alijs scripturis. MCCCCLII. Die vndecimo mensis Septembris.

MAndato Spectabilium, & Sapientum Virorum Dominorum Magistrorum Intratarum Ducalium extraordinariarum, ac D. Balthassaris de Curte LegumDoctoris, ac Ducalis Vicarij generalis, fiat proclama ad scalas palatij Communis Mediolani, vt infra videlicet.

Quod Notarij Officij Maleficiorum Ciuitatis, & Ducatus Mediolani non audeant, nec præsumant aliquouis modo accipere causa eorum Officij quicquam vltra taxationes inferius in infrascripta cedula descriptas, & hoc sub pœna quadrupli vltra restitutionem totius eius, quod acceperint, seu extorserint à dicta infrascripta taxatione supra.

Primò, quod Notarij Maleficiorum Mediolani habeant pro qualibet inquisitione formata, & pro citatione fienda, sub prædicta inquisitione, & pro comparitionibus, & satisdationibus omnibus computatis in summa —— ss.x. d. viij.

De prorogatione cuiuslibet banni —— ss. j. d.

De eximitione banni —— ss.vj. d.

De qualibet sententia, siue absolutoria, siue condemnatoria in pecunia lata à lib. j. vsq; in lib. xxv. tertiolorum —— ss.v. d.

De qualibet sententia vtsupra à libr. xxv. vsq; in centum —— ss.x. d.

De qualibet sententia vtsupra à libr. centum supra, & in quantacumq; quantitate sit —— ss.xx.d.

De qualibet sententia in criminali, pro qua pœna sanguinis ingereretur habeant solutiones prædictas duplicatas

De qualibet descriptione bonorum in Ciuitate, Suburbijs, vel Corporibus Sanctis —— ss.x. d.

De qualibet descriptione bonorum in Comitatu, vel in Ducatu pro quolibet miliario —— ss. j. d.

De quolibet relaxetur cuiuscuis capti facti pro aliquo debito publico, vel priuato, vel alia occasione etiam maleficij —— ss. j. d.

De omnibus vero alijs scripturis, & processibus post inquisitionem factis, & quæ circa prædicta fieri occurrent, & de quibus facta non sit mentio, habeant ad computum denarij vnius pro qualibet linea congruè scripta vlz. quod linea ipsa habeat litteras quadraginta alphabeti, nullis titulis computatis, tituli tamen ipsi congruè apponentur. Signat. Antonius, Paulus, Franciscus, Balthasar. Subscr. inferius. Ioannes Antonius de Vicomercato Cancellarius Ducalis Cameræ extraordinariæ subscripsit.

MCCCCLIIII. Die Februarij. Ordo super reuisione arbitramentorum.

CIrca requisitiones, quæ fiunt de reuisione arbitramentorum, quæ, ex forma Statutorum, non possunt dici iniqua, deliberatione vtriusq; Consilij ordinatum est, vt infra vlz.

Quod

ucd petensreuisionem talium arbitramentorum. Si reuisio concedenda videbitur, primo, & ante omnia teneatur, & debeat soluere, & numerare alteri parti totum id in quo condemnatus fuerit in ipsis arbitramentis occasione expensarum litis, ac salariorum &c.

Item, quod petens vtsupra, teneatur, & debeat deponere penès personam idoneam partium confidentem omnes expensas faciendas pro ipsa reuisione per Dominos de Consilio eligendam, vsque ad illam denariorum quantitatem de qua ipsis Dominis de Consilio videbitur, & pro expensis verisimilitèr fiendis in tali causa reuisionis. Ita tamen, quod si petens reuisionem obtinuerit pro maiori parte in causa dictæ reuisionis, eo casu tale depôsitum restituatur ipsi qui deposuerit. Si vero succubuerit, detur parti contra quam petita erit reuisio si in tanta condemnabitur, & nihilominus si condemnatio pro expensis fuerit maior, teneatur etiam ad residuum ille petèns reuisionem.

Item, quod per ipsum petentem reuisionem talium arbitramentorum deponatur illa quantitas occasione pœnę appositę in compromisso, de qua, inspecta quantitate ipsius pœnæ, & personarum, ac rei qualitate illis videbitur, quibus pro suprascripta reuisione supplicabitur.

Item, quod Commissarius, qui dabitur, teneatur ad instantiam eius contra quem petita erit reuisio, non attenta eius emologatione tacita, vel expressa, cognoscere, & moderare si contra eum læsionem contineant ipsa arbitramenta.

Item, quod Commissarius, qui dabitur ipsa arbitramenta, non moderetur, reperiendo etiam læsionem quando non excedat sextam partem.

Decretum super tutellis, & curis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus. Dilecti nostri. Nihil accuratius, diligentiusq; animo reuoluentes, quàm omni studio prouideri, vt pupillorum, & minorum bona, atq; iura tali aliquando, & tàm bono, sub Protectore, siue Tutore, vel Curatore directa, & custodita sint, quod quandocumq; minores ipsos contingat perfectam ætatem attigisse sua, quàm meliùs, & integriùs fieri possit, situata comperiant, & non ipsorum suorum Tutorum, siue Curatorum facilitare, aut fortassis malitia, vel negligentia distracta, dilaniata, vel exinanita. Circa modum dandorum deinceps Tutorum, & Curatorum eiusmodi, ac fideiussorum, & cautionum eorum ipsis pupillis, & minoribus, quibus hactenus adeò imbecilles, tàm sensu, quàm facultatibus dare solitos esse audimus, vt quotiescumq; de eis memoria nobis fiat stupor quidem maximus, & displicentia vos surripiat, Decretum edicimus his inserti tenoris, quod à Kalendis Ianuarij proximè futuris in anteà inuiolabiliter obseruari disponimus. Mandamus igitur vobis, quatenus illud statim ad scalas Palatij Broleti Communis huius nostræ Inclytæ Vrbis Mediolani diligentèr iuxta solitũ, horisq; consuetis, itaut ad hominum notitiam peruenire queat, publicari faciatis, atq; in volumine aliorum Decretorum huius ipsius nostræ Vrbis perpetuo à dictis Kalendis inclusiuè Ianuarij anni proximè venturi 1456. in antea obseruandũ seriosè describi. Volẽtes insuper, quod vos ipsi copiam huiusmodi nostrarum litterarum, & Decreti benè cum his concordatam singulis Potestatibus quarumcumque Terrarum Diœcesis huius sæpedictæ nostræ Vrbis transmittatis, paritèr in consuetis locis earundem Terrarum publicandum,

publicandum, ac ibidem in voluminibus aliorum Decretorum, atq; Ordinum ipsarum Terrarum conscribendum. Dat. Mediolani die vigesimo secundo Nouembris MCCCCLV. Franciscus. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur Egregijs, & Sapientibus, ac Nobilibus dilectis nostris Potestati, necnon Vicario, & duodecim Prouisionum Communis nostri Mediolani.

Tenor Decreti.

DVX Mediolani &c. Abusum quendam non minus impium, quàm fraudolentum, & detestabilem adeò in hac Alma nostra Vrbe Mediolani inualuisse percepimus, vt, tamquam lex confirmata practicetur allegetur, & à Iusdicentibus indifferentèr obseruetur, & quod profectò mirandum est, licet omnibus displiceat, ab omnibus tamen frequentatur; quo autem clypeo, quibusue latebris eius auctores, fautoresq; pondus conscientiæ possint euitare non possumus animaduertere, cum namq; quisquam moritur relictis liberis, Tutore, aut Curatore indigentibus, tametsi adsint legitimi, vel alij attinentes, datur pro Tutore, aut Curatore aliquis pauperrimus, quandoq; etiam morum non conuenientium, qui nec se, nec suo, si haberet, tueri, aut curare vllo modo sufficeret, & vt legem videantur implere, quæ in talibus requirit satisdationem, alius quispiam, qui pro fideiussore intercedat pretio quodam emitur, quorum vterque multotiens tot tutelis, aut curis, totq; fideiussionibus earum suppositus reperiantur, vt eas ipsemet numerare nesciret, cæterum cum lex Communis sancta, & cunctis benè prouidens statuerit in tutelis, & curis decernendis per Magistratum haberi debere diligentem causæ cognitionem, adeunt Consules quosdam, qui satis, ac abundè se causam cognouisse indicant, cum de mercede sua, vt eorum vtamur vocabulo, pro interpositione auctoritatis, & Decreti conuenerint, quibusue conueniri possint in subsidium inopiæ efficacem tribuit securitatem, vtq; planiorem viam efficiant ad deuorandum minorum ipsorum facultates, & intra, simulant repertorium conficere, in quo quidem paucula conscribi faciunt, protestantes se si de alijs inuenerint, additturos, sibi ex hoc suadentes legi plenum, & integrum repertorium exigenti satisfecisse, quæ quidem si in iudicium deducta fuerint, tametsi debuissent, exigente iustitia, reuocari, fuerint tamen per patientiam tollerata, quo fit, vt multi minores, quorum ab initio erant amplæ facultates, eodem tempore se reperterint inopes, & miseros; hi vero, qui bonorum suorum administrationi se ingesserint ex inopibus effecti sunt epulenti. Hanc igitur labem pestiferam virus hoc acutissimum, quibus Orphani deuorantur, & eorum absorbentur diuitiæ ab hac Vrbe nostra prorsus, & toto dominio nostro disponentes exulare, hoc præsenti Decreto in perpetuum, Deo propitio, valituro, & quod pro lege generali obseruari decreuimus, statuimus, volumus, & iubemus, quod si contingat aliquem decedere relictis liberis masculis, vel fœminis vno, vel pluribus in eius potestate constitutis, pupillis, vel adultis non dato, vel nominato per eum in eius vltima voluntate Tutore, vel Curatore, & quibus prouidendum sit de Tutore, vel Curatore superstite ipsorum pupillorum, vel pupilli, seu adultorum, vel adulti, matre, vel Auia viduis, teneantur illæ, vel illa, cui, seu quibus tutela ipsa tamquam legitimo, seu legitimis deffereretur de iure si dicta mater, vel auia non forent in rerum natura

infra

infra menses quatuor post mortem talis defuncti denunciare dictis matre, vel auia, congrua relatione habita, an velint tutellam ipsam acceptare, & si infra mensem vnum post talem denunciationem dictæ mater, vel auia responderit, quod sic, tunc eam acceptet, præstito idoneo fideiussore, qui sit idoneus facultatibus, habito respectu ad facultates dicti pupilli, & alia faciat, & obseruet, quæ secundum formam, & dispositionem iuris requiruntur, & si fideiussor non sit idoneus, obligatus remaneat Magistratus, qui dictum fideiussorem acceptauerit, & mulierem ipsam in tutella confirmauerit, & si ipse Magistratus non sit soluendo, vel sit absens à Ciuitate, & Ducatu Mediolani, teneatur agnatus, qui consensum præstiterit ipsi mulieri in confirmatione tutellæ. Si verò dicta mulier infra ipsum mensem non responderit, vel responderit, non velle dictam tutellam acceptare, vel responderit obscurè, vel conditionaliter, siue suspensiuè, responderit, habeatur proinde ac si respondisset non velle acceptare & eo casu, ac etiam eo casu quo antea acceptasset, & deinde per transitum ad secunda vota, vel per mortem, vel alio modo desierit esse tutrix, etiam per renunciationem factam in manibus Iudicis, vel coràm eo, etiam quando mater, nec auia non adessent, tunc & eis casibus, & quolibet eorũ locus sit legitimo, & non datiuo, & ad eam tutellam suscipiendam compellatur ille legitimus, qui de iure communi compelli possit in casibus, in quibus locus est tutori legitimo, qui legitimus teneatur promittere, obligare, & iurare secundum iuris dispositionem, ac idoneè satisdare taliter saltem, quod iunctis facultatibus tutoris, & fideiussoris, bene cautum reperiatur ipsi pupillo, vel pupillis, & si ille, cui prius tutella deffereretur non esset idoneus facultatibus, nec reperiret fideiussores idoneos respectu facultatum pupilli, seu pupillorum, vel legitimè se excusaret, tunc tutella decernatur alij propinquiori secundum iuris dispositionem, qui idoneus sit, & satisdet, & faciat vtsupra, & licet in casibus suprascriptis tutella de facto non decerneretur tali legitimo, vt supra dictum est, tamen proinde teneatur, & obligatus sit, & eius bona obligata sint dictis pupillo, vel pupillis ac si ei expressè tutella decreta esset, & se, & eius bona pro ratione reddenda, & residuis, seu reliquis restituendis, & alijs pro quibus solent obligari tutores obligasset, & si nullus reperiretur, tunc procedatur ad datiuum, qui detur cum legitima inquisitione, & satisdatione, nec sufficiat illo casu interuentus Consulis Iustitiæ, nisi fuerit ex Iuristis Collegij Mediolani, sed necessaria sit auctoritas Domini Vicarij, & saltem quatuor ex duodecim prouisionum Mediolani, & eorum inquisitio, & quæ dicta sunt in tutoribus, & eorum fideiussoribus locum etiam habeant in curatoribus adultorum, furiosorum, mentecaptorum, hæreditatum vacantium, bonorum absentium, prægnantis, & similium, quibus prouideri debet de curatoribus, mutatis mutandis, & in sano, & ciuili intellectu; teneantur tamen etiam suprascripti tutores, & curatores inuentarium, seu repertorium facere, & alias solennitates obseruare secundum, quod iura disponunt singula singulis congruè referendo, in eoq; inuentario, seu repertorio iurare teneantur se omnia, de quibus notitiam habent in ipso repertorio, describi fecisse, nec secundum eorum scire, vel credere aliud fore in bonis, & iuribus ipsius minoris vltra descripta in ipso repertorio. Decernentes insuper omnes tutellas, & curas, omniaq; repertoria, quæ de cætero fient prædictis non obseruatis, omniaq; etiam quæ per tutores, vel curatores datos, vel ordinatos non seruatis præmissis,

seu

seu aliter, quàm supra dispositum est, vel cum eorum auctoritate, gesta, aut facta fuerint nullas, & nulla fore, & nullius effectus, ac momenti, tàm in iudicio, quàm extra, & illos teneri ad indemnitatem talium minorum, eorumq; bona proinde fore obligata, qui tenerentur ex iuris dispositione si ipsi tales dati, aut decreti tutores, vel curatores nullatenus extitissent. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & infrascripti Secretarij nostri nomine proprio signari. Dat. Mediolani die tertio Nouembris MCCCCLV. Franciscus.

Decretum super compromissis fiendis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus. Dilecti nostri. Inuigilantes semper ad ea, quæ commodum Subditorum nostrorum concernere possunt, & ea, quæ incommodum, aut damnum referunt tollere, & eradicare cupientes. Cum intelleximus circa materiam compromissorum, & arbitrorum multa omni conuenientia commitri, componi fecimus Decretum in forma præsentibus introclusa, quod quidem publicari, & inuiolabilitèr obseruari volumus. Mandamus itaq; vobis, quatenus illud idem in publicis, & consuetis locis Ciuitatis huius nostræ diligentèr, horisque debitis publicari, ita quod ad omnium notitiam peruenire possit iuxta solitum, faciatis atq; in volumine aliorum Decretorum eiusdem Ciuitatis, obseruandum vt supra fidelitèr prout iacet describi. Iniungentes, quod vos exemplum huiusmodi nostrarum, & Decreti bene cum his cócordatum statim singulis Potestatibus quarumcumq; Terrarum Diœcesis Ciuitatis huius transmittatis, paritèr in consuetis locis earundē dem Terrarum publican., ac ibidem in voluminibus aliorum Decretorum, & Ordinamentorum conscribendum. Rescribendo, ac iniungendo Potestatibus suprascriptis, quod Spectabilibus de consilio nostro Iustitiæ de ipsa publicatione indilatè rescribant. Dat. Mediolani die xxiiij. Nouembris MCCCCLV. Io. Antonius. A tergo quarū sigillatarū sigillo præfati Domini continetur. Egregijs, & Nobilibus Viris Porestati, Vicario, & duodecim prouisionum Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani.

Tenor Decreti.

DVX Mediolani &c. Quoniam in aliquibus Ciuitatibus, & locis nobis subditis, Decreta in aliquibus vero Statuta, vigent disponentia, quod quando est lis, vel quæstio inter affines, cognatos &c. coguntur partes ipsæ ad se compromittendum in amicum, vel amicos communes, & in aliquibus adsit clausula si huiusmodi arbitramēta, & arbitratores fuerint discordes assumatur tertius, cuius solius auctoritati pareatur, prout latius in ipsis Statutis, & Decretis singula singulis congruè referendo reperitur contineri, aliquando etiam id fieri debere pacto in compromisso, vel assumptione tertij apposito partes cauent. Sensérimusq;, non sine multorum querimonia, quàm sæpissimè, & quàm semper, quod in dictis casibus non procedit talis tertius sicuti primi duo procedere poterant ex forma compromissi; quin potius, nec ipsi primi cum tertio assumpto quicquam auctoritatis habere censentur, & quod deterius est idem tertius in eiuscemodi litibus, & causis examinandis, & terminandis nulla vtitur facultate, seu potestate compromissi, sed sequitur potius iuris rigorem me-

rum

rum ex quo duo absurda principalitèr oriuntur; alterum, quod maiorem solus tertius auctoritatem habeat, quam alij duo primi simul; Alterum, quod abrogando continentiam compromissi non solùm à partium compromittentium dispositione recedit, sed à mente talium etiam Statutorum, quæ fuit, vt lites huiuscemodi non inspecto iuris rigore, sed mera, puraq; veritate tractarentur paritèr, & terminarentur, ob quam vnam causam rationabili prouisione statutum est à talium Arbitrorum sententijs, seu arbitramentis appellari non licere, quæ res magnis nonnunquam incommodis partes afficit cũ à sententia tertij, qualiscumq; sit, appellare, siue reclamare minime possit, sicq; affines, & reliqui in Decretis, & Statutis prædictis comprehensi deterioris conditionis in litigando cæteris afficiuntur, quibus competit legitima facultas appellandi. Volentes quemadmodum nos decet similibus querimonijs, & corruptelis obuiare, & opportunè prouidere. Tenore præsentium, quas pro nouo Decreto, & inuiolabili lege volumus perpetuo obseruari, edicimus, decernimus, & mandamus, quod quandocumque contingat in causa alicuius compromissi facti per, & inter affines, & agnatos, vel alios ex dispositione suprascriptorum Decretorum, vel Statutorum assumi tertium, intelligatur ille tertius habere, & habeat illud idem arbitrium, & bayliam, tàm in cognoscendo, quàm in decidendo, quod, & quam alij Arbitri, seu Arbitratores, qui primo loco per partes electi essent ex tenore, & dispositione compromissi habere dignoscuntur, eamq; viam sequantur, quam illi sequi poterant, non autem procedat, nec terminet iuxta iuris stricti rigorem, si is à veritate sibi dissonare videatur. Additientes quoq; quod ipse tertius non habeat, neq; habere intelligatur solus auctoritatem, cui pareatur etiam si in compromisso apposita essent hæc verba, cuius solius auctoritati pareatur, sed illam habeat cum duobus primis antedictis, vel saltem altero eorum concorditèr, ita etiam, & talitèr, quod vbi tertio soli aliquid videatur, & reliqui duo fuerint simùl inter se concordes stetur, & stari debeat ei, quod per ipsos duos concorditèr fuerit ordinatum, & iudicatum, dictis talibus verbis non attentis, siue in Statutis, aut Decretis, vel prouisionibus adsint, siue in compromisso, vel assumptione tertij. In reliquis autem omnibus, & singulis locus sibi vindicent dispositiones Decretorum, & Statutorum prædictorum aliquibus Statutis, stilis, ordinibus, consuetudinibus, corruptelis, & obseruantijs, tàm Communis, & Collegij Iurisconsultorum Ciuitatis nostræ Mediolani, quàm aliarum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum quarumcumq; in quibus vigeant Statuta, vel Decreta de compromissis ex necessitate faciendis non attentis, quibus, in quantum præmissis obstarent, ex certa scientia, & de plenitudine nostræ potestatis etiam absolutè per præsentes derogamus, & derogatum esse volumus, & intendimus, etiamsi tales essent, quæ mentionem, vel derogationem exigerent indiuiduo specialissimam præsentibus, tàm ad pendentia, quàm futura efficacitèr valituris.

Decretum, quod victus non absoluatur ab expensis, nisi Commissarius iuret in sententia. Item non detur Consilium Sapientis super aliquo articulo, nisi deponatur salarium Sapientis, & vltra lib. xij. tertiol. Item, quod non petat socium. Item, quod adiunctus non detur. Item, quod victus condemnetur in expensis.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus. Dilecti nostri. Cupientes finem quo celeriùs fieri possit imponi litibus,

quibus

quibus litigantes multiplicibus distrahuntur laboribus, & expensis, & plerumq; tædio fatigati ad scandala nonnulla prorumpunt. Dolemus neglectui traditum esse Decretum, quod ad coercendas lites Illustrissimus olim Princeps D. Philippus Maria Pater, & Socer noster honorandissimus edidit anno MCCCCXXXI. quamobrem disponentes illud obseruari debere vobis his inclusum mittimus, volentes ipsum faciatis publice diuulgari, & in volumine aliorum Decretorum inseri simul cum litteris præsentibus, vt omnibus, tam ipsius Decreti dispositio, quam additio per præsentes illi facta clarius innotescat. Addentes illi parti, qua facultas conceditur iudicanti, vt ab expensis absoluere possit si iurauerit videri sibi victum habuisse iustam litigandi causam, quam expresserit in sententia, quæ causa ipsa nominatim exprimatur; alias autem iudicans, vel consulens in pœnam ipso iure, & facto cecidisse intelligatur florenorum vigintiquinque applicandorum, vt in Decreto continetur in causis paruis infra florenos quinquecentum. In causis verò magnis supra florenos quinquecentum incurrat pœnam florenorum centum ipso iure, & facto, quæ statim per Magistros nostros Cameræ extraordinariæ exigatur, & quarta pars delatori, & accusatori detur, & nihilominus victus, qui non fuerit vt supra condemnatus, aut cum causæ expressione vt supra ab expensis absolutus, intelligatur in expensis ipsius litis victori condemnatus, quarum taxatio eis casibus fiat per Magistros Cameræ nostræ extraordinariæ infra decem dies postquam eis fuerit requisitum, teneaturq; vincens causam denunciare, & notificare ipsis Magistris, quod sententia sua lata sit, in qua victus non fuerit in expensis vt supra condemnatus, aliquin pro dicta sententia nullam petere, vel consequi possit executionem. Dat. Mediolani die xxij. Februarij MCCCCLVII. Vincentius. A tergo Egregiis, ac Nobilibus, & Sapientibus Viris Potestati, Militi, ac Vicario, & duodecim prouisionum Communis huius Ciuitatis nostræ Mediolani.

Cuius Decreti talis est tenor.

Philippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ Dominus. Quoniam ex Statuto de Sapientibus dandis sito in volumine Statutorum Communis nostri Mediolani bono respectu condito, multa inconuenientia sequuntur, & per calumnias litigantium, quod bono initio introductum est, ad malum exemplum sæpè deducitur, experientia rerum magistra docente, volentes multimodas calumnias, & insolentias refrenare. Edicimus serie præsentium, decernimus, & mandamus, quod in quibuscumq; causis ordinarijs, vel extraordinarijs motis, seu mouendis in Ciuitate, seu Ducatu nostro Mediolani, coram quocunq; Iusdicente, in quibus petitur Consilium Sapientis super aliquo articulo emergenti, incidenti, dependenti, vel connexo, vel orienti, aut dubio occurrenti in dictis causis, vel ob eas vt supra, non teneatur, nec debeat Iusdicens ipsum Consilium Sapientis dare, nisi hoc processerit de voluntate vtriusque partis, vel nisi pars altera tantùm petens deponat apud Campsorem idoneum per Iudicem eligendum salarium Sapientis requisiti arbitrio Iudicis coràm quo petitur, & vltra hoc lib. xij. tertiol. dandas aduersario contra quem petitur Consilium Sapientis si succubuerit in eo super quo petitum fuerit Consilium, adhuc idem petens dictum consilium, & succumbens condemnetur in expensis ea occasione factis omni exceptione repulsa, & ipso denegato, vel non concesso, etiam si per alteram partium tantùm petitur, quæ prædictis non satisfecerit, nihilominus processus

postea

postea factus valeat, & teneat, & Iusdicens denegans, vel non concedens nullam pœnam incurrat, & vbi de voluntate partis vtriusq; petatur ipsum Sapientis Consilium, vel ab altera tantùm satisfaciente vt supra, vni partium confidenti committat de Collegio Iudicum nostræ Ciuitatis Mediolani, qui Sapiens nullum socium petere possit, seu adiunctum; sed ipse solus decidere debeat articulum sibi commissum infra tempus debitum, quod non sit maius duodecim diebus, sub pœna in Decretis nostris contenta, etiamsi vtraq; pars adiunctum peteret sibi dari, & si aliquod grauamen reperiretur illatum contra formam consilij ex processu, possit tolli, & reparari per Iusdicentem, qui habebit decidere illud, aut eum qui habebit consulere super eo, quod principaliter agitatur. Quo vero ad commissionem negotij principalis causæ, seu appellationis fiendam. Volumus Statutum Communis nostri Mediolani seruari debere, eo addito, quod Commissarius principalis ipsius causæ, seu appellationis non possit adiunctum petere sibi dari, nec ei detur, sub pœna florenorum centum applicandorum Cameræ nostræ. Item statuimus, & decreuimus, quod in quibuscumq; causis victus victori condemnetur in expensis per Commissarium Consultorem, seu Iudicem causæ, nisi eum duxerit absoluendum propter iustam causam litigandi, quod facere possit si iurauerit in absolutione ad Sancta Dei Euangelia manu tactis scripturis, sibi videri dictum victum habuisse iustam causam litigandi, & eam causam nominatim, & expressè expresserit in ipsa sententia; & hoc sub pœna dupli ipsarum expensarum, quam pœnam ipso iure, & facto incurrat Consulens Commissarius, seu Iudex, qui prædicta non seruauerit, quarum medietas perueniat Cameræ nostræ, & alia medietas victori, & hoc non obstantibus aliquibus Statuto, Consuetudine, stylo, seu fori Mediolani, qui potius sunt, & dici possunt corruptelæ. Mandantes Potestati nostro, Vicario, & duodecim prouisionum Communis Mediolani, quatenus huiusmodi nostrum Decretum publicari in locis consuetis, ac inseri faciant in volumine Decretorum, & Statutorum Communis nostri Mediolani, & pro lege inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli impressione muniri. Datum Abbiate die xviij. Iulij MCCCCXXXI. Franciscbinus.

Ordines circa onerum solutionem.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus. Dilecti nostri. Cum multiplicibus, & quotidianis Subditorum nostrorum querelis vexarentur ob eas, quæ iugitèr exercitabantur querelas super distribuendis, & soluendis oneribus, tàm per nos, ac & nostram Cameram, quàm alitèr necessario incumbentibus. Nos quoniam est cura potissima, vt Subditorum ipsorum nostrorum quantum fieri queat commodis, & tranquillitati, & omni conuenientiæ, & quieti consistetur, vtq; onera illa, quæ euitari, & auerti non possunt, adhibita saltem omni possibili æqualitate tollerentur, compillari nuper, & stabiliri fecimus ordinem quendam, sub capitulis tribus, quorum dispositione plurimis huiusmodi controuersijs, & differentijs declarari, & dirimi, & onerum ipsorum non minimam partem rectè, & liquidò distribui posse confidimus. Volumus igitur, vt ordines ipsos in locis istis consuetis diuulgari, & publicari, ac in volumine aliorum Ordinum, & Decretorum nostrorum inseri faciatis, ac illos

illos in posterum in casibus, quibus his comprehenduntur, seruetis, & obseruari inuiolabiliter faciatis. Dat. Mediolani die decimoquarto Februarij MCCCCLXI. Vincentius. A tergo Egregio, Nobilibus, & Sapien. Viris Potestati, & Vicario prouisionum Vrbis nostræ Mediolani, similitèr Potestatibus, & Referendarijs, ac Agentibus pro Comitatibus aliarum Ciuitatum, necnon Capitaneo Episcopatus, ac Commissario taxarum ibidem.

Tenor prædictorum ordinum talis est.

PRimò, quod quicumq; Ciuis etiam originarius, vel ex Priuilegio, qui habitat cum familia sua, vel cum maiori parte familiæ à Festo Sancti Martini, vsq; ad Kalendas Iunij, vel aliqua parte ipsius temporis, quæ minor diebus octo continuis non existat in aliqua Terra, Castello, Burgo, loco, Villa, Capsina, Hospitio, Molendino, vel Taberna nobis, tam mediatè, quàm immediatè Subdito, vel Subdita, siue ibi laborauerit, siue laborari fecerit terras ad suas manus, siue non, siue ibi fecerit aliquod exercitium, siue non teneatur toto tempore, quo æstimum tunc vigens durauerit, quod quidem de quinquennio in quinquenniũ debeat reformari, ibidem contribuere ad onera ipsi loco per nos, aut Cameram nostram imposita, & imponenda, non ad alia alitèr incumbentia pro bonis, quæ ibidem habuerit, non tamen cum villicis, seu cum vicinis, sed cum Nobilibus si ibi aderunt, vel separatim, nisi specialem habuerit exemptionem, seu immunitatem; circa onus autem salis seruentur ordines super sale specialiter facti, videlicet quod leuare teneantur sal vbi habitant separatim tamen, & non cum vicinis, seu cum Communi Terræ, in qua habitant, cum hac tamen declaratione, quod id, quod supra decretũ est de Ciuibus foris habitantibus, intelligatur de ijs, qui extra Ciuitatem habitare reperientur post Festum Sancti Martini nunc proximè futurum, ad hoc, vt Ciuibus ipsis spatium relinquatur deliberan. vtrum foris, an in Ciuitate velint residere.

Item, quod quicumq; siue Ciuis, & habitans cum tota familia in Ciuitate, & ibi æstimatus, & onera contribuens, siue non, deinceps, id est à Kalendis mensis Ianuarij præteritis in antea, acquisiuerit titulo venditionis, donationis, siue inuestitura libellaria, aut ex successione, vel legato, vel quouis alio modo bona aliqua immobilia existentia in aliqua Terra, Burgo, & vt supra, pro quibus soluerentur in dicto loco onera, vel quæ essent æstimata in ipso Burgo, Terra, & vt supra, etiam si talitèr acquirens alias esset exemptus, vel immunis, teneatur à die facti contractus, vel acquisitionis prædictæ in antea in eodem loco vbi solui consuetum est pro talibus bonis onera quælibet soluere. Et quoniam per tempora superiora graues, & multiplices querelas a pluribus ex Subditis nostris habuimus propter alienationes factas de bonis, pro quibus onera solui consueuerant in alios, qui sub prætextu ciuilitatis, aut exemptionis, vel alitèr onera ipsa soluere recusabant: reseruamus nobis declarationem omnium huiusmodi solutionum onerum pro contractibus, alienationibus, transactionibus, & acquisitionibus factarũ ab annis quinque proximè elapsis, viz. à Kalendis mensis Ianuarij MCCCCLVI. citra pro quibus tales ementes, & acquirentes soluere recusassent, & recusarent onera prædicta, quoniam, intellectis casibus, & rerum, ac personarum qualitate, ac conditione pensatis, id decernemus superinde, quod nobis æquius, & conueniens videbitur.

Item, quod ordines suprascripti solùm intelligantur, & locum habeant

respectu

respectu onerum impositorum, & in futurum imponendorum per nos, aut nomine nostro, vel successorum nostrorum, non autem respectu onerum, quæ per Communia, Villarum, & locorum extra Ciuitatem existentium imponuntur, sed in illis obseruentur Statuta Ciuitatum, & locorum, quibus non intendimus detogare. In Episcopatu Mutinæ. Albricus Lucas.

Res adducta per Collegium Procuratorum pro reformatione, & correctione aliquorum ordinum in materia causarum ciuilium.

AD laudem, & gloriam Dei Æterni, & ad exaltationem, & preconium Illustrissimi, & Excellentissimi Domini Ducis nostri, & ad commodum, & diminutionem expensarum Subditorum prælibati Domini ista humilitèr, & sincera fide, & deuotione adducuntur per Collegium Procuratorum Mediolani, corrigenda tamen, mutanda, & acceptanda ad beneplacitum prælibati Domini.

In primis, quod litigantes quomodolibet, statim facta commissione, deferant processum, & iura sua Commissario causæ, qui Commissarius teneatur iuta ipsa videre, & examinare quamcitiùs fieri poterit per modum, quod in termino instantiæ causæ possit, & debeat consilium suum dare, etiam in contumaciam partis processum, & iura sua non differentis.

Deinde si causa sit talis in qua sit necessarium allegare possit vtraq; pars habere Aduocatum vnum tantùm pro parte, vbi si fortè causa esset ardua, & magni valoris, quo in casu possit vtraq; pars habere Aduocatos duos pro parte videlicet vnum ex antiquioribus, & alium ex iunioribus sit qui velit actor, siue reus, & qui Aduocati allegantes incæpta vna allegatione prosequantur ipsum allegando vna vice tantùm pro quolibet eorum, & vna vice tantùm pro vtraq; parte pro motiuis per ipsum Commissarium fiendis, & hoc nisi fortè visum fuerit ipsi Domino Commissario necesse esse vltra vices suprascriptas, vel allegare, vel motiuare, & quod instantia dictæ causæ non possit prorogari vltra terminum instantiæ causæ, nisi cum maxima causæ cognitione, & iustissima existente causa, sed tamen ipsa prorogatio non fiat, nisi bina vice quoquo modo sit, nisi fortè ex infirmitate, vel absentia iusta Commissarij, vel alicuius ex interuenientibus in causa, vel alia iustissima causa, ex qua reddatur impossibilis expeditio dictæ causæ: hoc tamen intellecto, quod attento, quod à sententijs, quæ feruntur in causis cridarum non appellatur; ideò erant illæ prorogationes, quæ opportunæ, siue necessariæ videbuntur.

Item, quod contradictiones, quæ quouis modo fient contra præcepta robandi, & sequestrandi de bonis debitorum, ac capiendi ipsos debitores occasione creditorum, de quibus constet per publica documenta prosequantur per ipsos contradicentes in causis ipsarum contradictionum: docendo de solutione, vel compensatione, vel alitèr de iuribus suis, vel se non teneri, vel de aliquo eius credito, vt consequatur compensationem eius, & infra terminum viginti dierum vtilium ipsas contradictiones terminari faciendo, & quod si talis contradicens permiserit instantiam dictæ causæ labi indecisam, quod talis contradicens amplius non admittatur ad aliquam nouam contradictionem contra nouitatem iam antea factam, seu fieri temptatam,

 hoc

hoc nisi primo post talem lapsum instantiæ soluerit integrè parti aduersa agenti, seu ad cuius instantiam facta fuerit executio omnes expensas per eum factas, tàm nouitatis, quàm in causa taxandas sacramento illius contra quem facta fuerit contradictio, & cum moderatione, de quo infra, & vlterius deposuerit tantundem, seu tantam quantitatem pecuniæ, prout ascenderint dictæ expensæ iurandæ, & taxandæ vt supra penès personam eligendam per Iudicem causæ cedendas lucro partis aduersæ si succubuerit in causa. Et hæc omnia vltra expensas de quibus infra. Et quod si lata fuerit sententia in fauorem actoris vlz. creditoris, & reperiatur ipsum non impetrasse executionem, nisi pro vera summa crediti, quod succumbens condemnetur in omnibus expensis taxandis ex iuramento partis obtinentis, habita tamen diligenti animaduersione per Commissarium ad delationem iuramenti, & de quibus expensis deferat iuramentum, & quod instantiæ talium causarum, contradictionum, sequestrorum, robariarum, & captionum durent, & durare debeant solummodo diebus viginti vtilibus a die contradictionis exclusiue in antea, & in eis procedatur summariè, & committi possint quolibet die ipsius instantiæ ad omnem instantiam vtriusq; partis, vel alterius earum, dummodo petatur per sex dies ante finem ipsius instantiæ, vt talis vrsio fiat, & id idem fiat, & seruetur in omnibus alijs causis non excedentibus valorem librarum quinquaginta imperialium, hoc tamen addito, quod tales instantiæ possint prorogari per Commissarium causæ ex iusta causa, quam ipse Commissarius declarare, & eius sacramento affirmare teneatur in tali prorogatione, & hoc vsq; ad dies quadraginta vtiles, & non vltra, computatis dictis diebus viginti vtilibus, vel minus, prout sibi videbitur, & hæc omnia aliquibus in contrarium non obstantibus, & si reperiatur impetrantem executionem non fouere iustam causam, quod similitèr condemnetur in expensis, taxatione habita vt supra.

Item, quod si fieret contradictio contra præceptum quindecim dierum vtilium, & in termino ipsorum quindecim dierum ipse debitor, vel contradicens nihil ostenderit de solutione debiti contenti in præcepto, constante tamen in ipso termino de tali debito, quod elapso ipso termino quindecim dierum fiat executio contra debitorem, & eius bona, prout in Statuto superinde disponente continetur, non obstante, quod instantia quadraginta dierum vtilium non sit adhuc elapsa, & hoc vbi nihil sit ostensum, vel probatum reuelet: vbi vero fuerit aliquid probatum, vel ostensum in causa, procedatur vsq; ad sententiam diffinitiuam, & vt declaratum fuerit executioni mandetur, nulla appellatione admissa, nec obstante.

Item, quod nullum grauamen admittatur, nec interponi possit post litem aliquam contestatam, vel habitam pro contestata siue ex dispositione iuris communis, siue Statutorum, siue Decretorum, nisi aggrauans prius exposuerit penès Notarium banci causarum ciuilium libras vj. Imperialium dandas alteri parti vbi aggrauans succubuerit, & si contigerit terminũ dicti grauaminis spirare indecisum, quod appellans tale grauamen non possit admitti, nec committi, nec valeat, nec amplius se grauari possit ea occasione, & dictæ libræ vj. relaxentur parti contra quem tale grauamen interpositum fuerit indilatè.

Item, quod si qua mulier constante matrimonio voluerit, seu nixa fuerit defendere bona mariti sui, vel soceri, vel prosoceri intrando bona sua, vel contradicendo, & defendendo, vel aliter, quod ipsi tali creditori contra quem fieret talis defensio concedatur, & concessa sit, & esse intelligatur

co

eo casu, & ipso iure, & facto executio personalis contra talem debitorem nominatum, & in dictis Instrumentis obligationum creditorum, vt lites, & iurgia tollantur, non obstantibus aliquibus Statutis, aut Decretis, seu Ordinibus in contrariũ disponentibus, dummodo non excesserit ætatem annorum sexaginta, idem si bona ipsa defenderentur per hæredes mulieris, vel per habentes causas ab eis, quo capto si postea constiterit bona, de quibus agitur esse vltimum pignus, quod talis detentus statim relaxetur etiam absq; aliqua alia declaratione.

Item, attento quod pensio domus est iustissima causa agendi, & quod ea causa multæ lites insurgunt propter renitentiam debitorum, quod eius posse pensionis occasione possint detobari, & obtineri bona quæcumq; mariti, & hoc si reperirentur in se conducta, nec possint talia bona defendi per aliquam mulierem vigore dotalium iurium, & hoc si ipsa mulier talia bona inhabitauerit, & inhabitet simul cum marito, vel filijs, aliter quod non habeat locum in bonis prohibitis à Statuto.

Item, quia maxima pars expensarum, quæ fiunt per partes causantes fiunt in actitando, & processu, & testibus, prouideatur pone, quod causa esset summaria, quoniã si esset ordinaria non esset dubium, quod ante instantiam per quatuor dies, altera partium produceret capitula, & nominaret testes absentes, & eidem statueretur terminus probandi extra iuris, qui terminus stat suspensus, postea, finito ipso termino, instantia durat alios quatuor dies, slz. tot quot habebat tempore statuti termini extra iuris probandi.

Quod Notarij causarum ciuilium nihil penitùs accipiant vltra taxationem eis datam ex Dato incantus, & ex Decretis Ducalibus, & nisi pro ea reperiatur per eos recipi debere præcisè, nõ obstantibus aliquibus cõsuetudine, aut stilo fori, seu banchi, quæ potius corruptelæ dici possunt, & quod processus fiant de lineis vigintiquinque pro qualibet pagina, & de verbis sex pro qualibet linea ad minus, fieri faciendo ipsos processus in bona littera, & quod temporibus causarum ad banchum iuridicum Domini Vicarij Domini Potestatis intersint continuè ad minus quatuor Coadiutores benè litterari, & boni scriptores vltra Notarium scribentem acta, & alium scribentem contumacias, & banna, vt citiùs expediantur procuratores, & causantes, & quod Notarij recipientes testes non se intromittant de officio procurandi, nisi in causis proprijs eorum, & hoc vt partes, & testes celeriùs expediantur, & quod redigi faciant dicta testium in bona, & legibili littera, & hæc omnia sub pœna librarum decem Imperialium pro qualibet vice, & quotiens contrafactum fuerit.

Item, quod si qua mulier constante matrimonio, vel aliqui filij, seu descendentes, vel hæredes talis mulieris ea mortua quoquo modo voluerit viuente marito defendere, vel aliter auocare, vel consequi bona mariti vigore dotis, vel bonorum parafernalium ipsius contra creditorem mariti nihil habentes datum, vel causam à marito, vel socero, & constiterit per summariam informationem ipsum maritum, vel socerum tenere, vel possidere tot alia bona immobilia, quæ sint valoris dotis, & bonorum parafernalium ipsius vxoris, tunc, & eo casu dicta mulier, nec tales defendentes non admittantur ad defensionem, nec impeditionem, nec ad aliquam aduocationem, nec consecutionem dictorum talium bonorum, sed ipsa mulier, & vtsupra sit, & remaneat secura super dictis alijs bonis mariti sui, seu patris vtsupra, quæ ipse maritus, vel pater haberet, vel teneret vltra dicta bona.

Item fiat prouisio, quod de causis ciuilibus nemo se intromittat, nisi Dominus

Poteſtas Mediolani, & quod non fiat commiſſio alicuius cauſæ extra Collegium, nec commiſſio executionis alicuius creditoris ciuilis, niſi Domino Poteſtati, vel eius Curiæ.

Item, quod declaretur, quod Statutum de fideiuſſore exonerando mandetur executioni, prout iacet ad litteram, & quo ad executionem perſonalem, & hoc quia ſuper hoc multum fuit diſputatum.

Idem fiat de Statutis diſponentibus, quod fiat executio perſonalis contra condemnatos in expenſis ratione prædicta, non obſtantibus aliquibus in contrarium.

Item, quod quandocumq; contingat prorogari inſtantiam alicuius cauſæ, & interim laberetur annus appellationis, vel triennium inſtantię cauſarum cridarum, quod prorogata cauſa, intelligantur eſſe etiam, ac ſint prorogati annus, & triennium debitè referendo.

Item, ad euitanda ſcandala, & ſuſcitationem multitudinis perſonarum, ex quibus periculoſi euentus aliquando ſequuntur pro executionibus perſonalibus, prouideatur, quod nemo à modo in antea poſſit detineri in Broleto, nec in Curiam Illuſtriſſimi Principis noſtri, nec in vijs, nec in ſtratis publicis inter dictam Curiam, & Broletum, nec intra dictam Curiam, & Broletum, & hoc pro aliquo debito publico, nec priuato.

Item pro celeriori expeditione cauſarum cridarum, & comparitionum, mandatorum, & relationum cridarum, & cridæ in cauſis ipſarum contradictionum faciant fidem, & habeantur pro productis in ipſis cauſis.

Item ad tollendum innumerabiles extorſiones, quæ fiunt per Notarios Maleficiorum, prouideatur, quod non emanetur præceptum ſimplex quare formari non debeat inquiſitio, niſi facta fide, & quod non formetur inquiſitio, niſi debitis inditijs, & quod pro ſimplici comparitione occaſione præcepti non accipiatur niſi ſoldos tres tertiolorum, & pro comparitione formatæ inquiſitionis, & ſatiſdationis, niſi ſoldos decem Imperialium, omnibus computatis, computata ſcriptura, dato quod eſſent plures comparentes, & in his, & in alijs, quod ſeruentur ad litteram Statuta, & Decreta Ducalia, & Communis Mediolani, non obſtantibus aliquibus conſuetudinibus, ſtilis, ſeu verius corruptelis in contrarium.

Item, quod nullus Iuſdicens poſſit accipere aliquid pro examinatione teſtium in cauſa criminali, tàm ante litem conteſtatam, quàm poſt producendorum, & pro examinando proceſſus, & iura, tàm actoris, quàm rei, ſub pœna quadrupli, & credatur accuſatori.

Item, quod facta requiſitione per aliquē, vt quis cogatur ad faciendum compromiſſum ſecundum formam Statutorum Communis Mediolani, prouideatur, quod partes teneantur ad faciendum compromiſſum ſimùl, & non in diuerſis compromiſſis, & in perſonas ſubditas dominio Poteſtatis Mediolani ad tollendas fraudes illorum, qui pro euitando pœnas faciunt compromiſſum de per ſe, ſiue altera parte, & in perſonas forenſes, & non ſubditas.

Decretum pro Notarijs Ciuilibus.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Cremonæ Dominus. Dilecti noſtri. Intellecta, ex relatione nobis per vos facta, querela Da-

tiariorum Notatiorum ciuilium causarum huius Inclytæ Vrbis nostræ, qui asserunt fieri, & eis, & Cameræ nostræ graue detrimentum pro inobseruatione tàm Decreti, quàm proclamationum editi, & factarum, vsq; tempore recolendę semper Illustrissimi Principis Patris, & Soceri nostri Colendissimi memoriæ super materia ordinum, qui deberent pro ipsis Notarijs iuxta Dati sui formam obseruari, nec minus visa forma, & prædicti Decreti, & proclamationum earum. Quia placet nobis opportunè prouideri indemnitati tàm Datiariorum ipsorum, quàm etiam prælibatæ Cameræ nostræ eiuscemodi Decretum, & formam proclamationum antedictarum, quæ vos nobis attulistis, vobis his alligata remittimus. Committentes, ac volentes quatenùs ipsas proclamationes iterato in locis publicis, & consuetis fieri, & ipsum Decretum simùl cum illis obseruari, & executioni mandari faciatis. Datum Mediolani die octauo Iunij MCCCCLXI. Signat. Vincentius. A tergo quarum sigillatarum sigillo præfati Domini continetur, Egregio, Nobilibus, & Sapientibus Viris Regulatori, & Magistri Intratarum nostrarum extraordinariarum.

Tenor proclamationum sequitur.

MCCCCLXI. Die octauo mensis Iunij. Siando certificato il nostro Illustrissimo Sign re, come diuersamente sono vsurpati, & dannificati li Datiari delle Notarie del Ciuile di questa Inclita Città di Milano, per alcune persone, che si attribuissero la vtilitate, che debitamente in loro dourebbe peruenire, in tal modo, che non gli prouedendo sarà loro di grandissimo danno, & in l'auuenire sarà annichilatione della intrata Ducale di esse Notarie, qual cosa disponendo Sua Eccellentia non patire, ma reformare, acciò non succeda tale iattura, & detrimento alla prefata Ducale Camera, hà fatto nuouamente special commissione la prefata sua Signoria alli Spettabili Signori Regulatore, e Magistri delle intrate Ducali ordinarie gli mettano tale prouisione, & forma, che omnino cessino tali vsurpationi, e danni. Per tanto di mandamento delli prefati Signori Regulatori, & Magistri delle Intrate per le trombe del Commune predetto di Milano si fà Crida alla scala del Palatio del predetto Commune onde è opportuno, e necessario acciò venga à orecchia di ciascuno in questa forma, cioè.

Che niuno Iusdicente, Commissario, ò Delegato di qual grado, dignità, ò preeminentia voglia se sia à chi sia fatto di presente, ò si farà alcuna commissione di alcuna causa ciuile pertinente, & spettante allà giurisdittione delle predette Notarie Ciuili secondo il tenore delle infrascritte lettere possa, nè debba per alcun modo esquisito, retto, nè per indiretto espedire, nè far espedire alcuni atti, nè sententie per alcune commissioni fatte, nè si faranno in l'auuenire per alcuna altra persona, che per li predetti Notari, e soli li predetti Notari siano quelli li quali habbiano la facultate, e autoritate di scriuere, & espedire tali atti, e sententie, & in loro peruenga la vtilitate, e emolumento secondo la dispositione da loro datà, & delle infrascritte lettere. Et vlterius, che alcuno altro Notaro, ò Cancelliero osa, nè presuma per alcun modo impacchiarse, nè intrometterse in scriuere, ò notare simili atti, e sententie pertinenti vtsupra, sotto la pena irremissibile specificata, e determinata nelle dette lettere, quale in omni-

 nibus,

bus, & per omnia dispone, & vuole il prelibato nostro Illustrissimo Signore siano obseruate.

Ancora, che niun' altro Officiale possa, nè debba administrare rasone in cosa pertinente al ciuile, ma solo lo Podestà della predetta Cittade à chi spetta ex debito la administratione, sotto la pena antedicta.

Quarum quidem litterarum tenor talis est.

DVX Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Memores patentes litteras non immerito aliàs concessisse Incantatori, & socijs participibus Notariorum Ciuilium Communitatis nostræ Mediolani, & eius Ducatus tenoris huiusmodi vlz. Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ Dominus. Facta nobis querimonia per Incantatores, & socios participes Notariorum ciuilium Communitatis nostræ Mediolani, & eius Ducatus, vt licet ipsi in quibuscumq; causis ciuilibus in dicta nostra Ciuitate Mediolani, & eius Ducatu, coram quocumq; Officiali, & Rectore vertentibus sint, & esse debeant soli Notarij, & non alij vlli ad scribendum, & subscribendum quæcumq; acta, & processus fieri contingat occasione præmissa iuxta formam, & tenorem dati dicti sui Incantus, tamen alibi processus, & acta fiunt, & scribuntur per alios, quàm per eos, tàm in Curijs Executorum, seu Commissariorum nostrorum, quàm ad Officia Exactorum Curiæ nostræ, & Communis nostri Mediolani, & alibi in eorum maximum damnum, & præiudicium. Supplicando proinde nobis, vt de remedio opportuno prouidere dignemini pro obseruantia Incantus sui prædicti, & volentes super præmissis sicut conuenit solenniter prouidere, tàm pro indemnitate supplicantium prædictorum, quàm pro obseruatione, & augumento intratarum nostrarum. Mandamus harum serie prædictis Executoribus, seu Commissarijs nostris, & quibuscumq; successoribus suis, necnon Exactoribus nostris Communis Mediolani præsentibus, & futuris, quatenus de aliquibus causis ciuilibus, & de eis, quæ principium habent à contractu qualitercumque eis contingat agitari, & deuolui ad ipsum forum, vel examen se nullatenus intromittant, sed eas remittant, & relaxent foro, & examini Potestatis nostri Mediolani, & Curiæ suæ, cui dignoscuntur iuridicè pertinere, & hoc nisi de præmissis commissionibus litteras à nobis habuerint, reseruatis tamen debitoribus Cameræ nostræ, & debitoribus Datiariorum occasione, quos per Officiales, & Exactores nostros compelli, & arctari volumus more solito. Decernimus vlteriùs pariter, & mandamus, quod nullus Notarius, Scriba, seu Cancellarius, vel alia persona de cætero audeat, vel præsumat tradere, conficere, aut scribere aliqua acta ciuilia coràm suprascriptis Exactoribus, seu Commissarijs, & Executoribus, seu alio eorum, & successoribus suis agitanda, vel conficienda, dato etiam, quod ipsis Commissarijs commissio aliqua per nos facta fuisset, seu fieret, nisi dicti Incantatores, & socij, & hoc sub pœna cuilibet eorum, & qualibet vice contrafacienti floren. decem, quorum medietas perueniat in ipsos Incantatorem, & socios, & alia medietas Cameræ nostræ. Mandamus insuper dicto nostro Potestati Mediolani, quatenus has nostras litteras ad scalas Palatij Communis nostri Mediolani faciat publicè diuulgari per modum, quod ad omnium notitiam valeant peruenire. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari,

gistrari, nostriq; sigilli impressione muniri. Dat. Abbiate die primo Octobris MCCCCXXVIII. Augustinus. Et displicentèr intelligendo, ac informati, quod prædictæ litteræ, quæ tàm maturè à nobis processerunt earum mens, & intrinsecus intellectus per nonnullos, tàm Vicarios generales, Executores, Commissarios, Magistratus, & alios Officiales nostros, quàm etiam per Communia, Collegia, & Vniuersitates, & singulares personas, & Notarios, seu Tabelliones hactenus non bene obseruatæ fuerunt, quin immo ausu quodam modo temerario, & præsumptuosè tam per directum, quàm per indirectum non veritum fuit contra eas, ipsarumq; mentem attemptari in præiudicium honoris nostri, Intratarumq; nostrarum damnum non modicum. Et cum nostræ firmæ intentionis semper fuerit, & de præsenti sit, quod prædictæ litteræ nostræ, earumq; mens, & intellectualis dispositio præcisè inconcussè, & cum effectu obseruari debuerint, & debeant. Harum serie, ex certa scientia, eas ipsas confirmantes, & declarantes, & etiam ad maiorem earum declarationem decernimus, iubemus, volumus, & mandamus, quod dispositio ipsarum litterarum nostrarum antedictarum extendant, & extendi debeant, prout tamen semper fuit de mente nostra, & prout dictæ nostræ litteræ rectè intellectæ disponunt ad omnes, & singulas commissiones causarum ciuilium, & delegationum, etiam per Nos, aut Consilium nostrum factas, & procedentes, atque de cætero fiendas in Ciuitate, & sub iurisdictione Potestatis nostri Mediolani, aut in iurisdictione dicti Potestatis nostri Mediolani commoran., quàm alio quocumq; nomine, & pronomine, aut dignitatibus, Magistratibus, vel Officio appellatur, aut cognoscatur, & inter quæscumq; partes, tàm forenses, quàm non forenses dicta commissio, seu commissiones in dicta nostra Ciuitate Mediolani facta fuerit, seu fuerint, aut fient, per Nos, seu Locumtenentem nostrum, aut Consilium nostrum, vel alitèr quomodolibet. Ita, & talitèr, quod nullus Notarius, Scriba, aut Cancellarius (exceptis dumtaxat casibus, de quibus fit, & habetur mentio in superioribus litteris nostris, necnon exceptis dumtaxat causis, seu casibus commissionum per Venerabile Collegium factarum pro quibus seruari volumus mos antiquus) audeat, nec præsumat conficere, tradere, nec scribere aliqua acta ciuilia, nec sententias coràm suprascriptis, nec aliquo eorum etiam delegatorum, seu Commissariorum vtsupra, & hæc omnia, & singula, & quælibet eorum non obstantibus aliquibus in contrarium facientibus quoquo modo secutis, & emanatis, quibus omnibus, & singulis derogamus, & derogatum esse volumus, iubemus, & mandamus. Decernentes insuper, quod quicquid actum, & attemptatum fuerit contra præmissa, & quolibet præmissorum vltra dictam pœnam floren. decem, de qua in supramemoratis litteris nostris habetur, nullius sit valoris, & momenti. Mandantes denique Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum, Dominis Potestati, Vicario prouisionum, & Executoribus nostris Mediolani, tàm præsentibus, quàm futuris, ac quibuscumq; Officialibus nostris Mediolani; ad quos præsentes hæ nostræ litteræ peruenerint, quatenus eas obseruent inuiolabilitèr, & faciant sub indignationis nostræ pœna obseruari. Dat. Mediolani die xxx. Nouembris MCCCCLXI. Marcolinus.

MCCCCLXIIII. Indictione duodecima, die Martis nono mensis Maij. Cùm multiplices discordiæ occasione mercedum Notariorum traditionis, & explctionis Instrumentorum occurrant inter Mediolanenses Notarios Instrumenta ipsa conficientes, vel explentes, vel aliter opera sua præstantes, & ciues, & alios ad quorũ instantiã ea instrumenta tradunt, vel quibus ea dare habent, vel pro quibus labores sunt perpessi, non existente aliqua superinde apparente ordinatione, vel taxatione, quoniã etsi bene partes ad Notarios concurrentes in pretijs tractarentur, id tamquam malè informati non comprehendunt, immo de bono tractamento sæpissimè quidem se lamentant, & si superinde ordo aliquis apparens adesset talis solutionis, illum ordinem sequendo, non essent in aliquo sibi tædiosi, neque graues.

Cumque superinde pluries congregato Notariorum Collegio per longam consultationem, & ventilationem compertum fuerit multum vtile, laudabileq; fore, & cunctis placibile ad aliquam, seu infrascriptam superinde communem taxationem peruenire, eamque tamen per Collegij consuetudinem, siue stilum, siue scriptis per retroacta tempora stilatum esse; & vt in futurum sequi, possit deliberauerunt eam talem consuetudinem in scriptis in vnum redigi, ipsamq; taxationem perpetuo per Abbates, & Notarios modernos, & qui per tempora in dicto Collegio erunt obseruari debere, & sequi, præcipuè, quod mediante ordinatione huiusmodi, Notarij cupidi, & auidi non poterunt plus æquo consequi, & nemini soluere habenti solutio grauis videbitur eam taxationem, & ordinationem esse factam intelligendo, & eam sequendo, vt communitèr fit, vt puta in solutionibus receptionum attestationum testium, & processuum, necnon sententiarum, & arbitramentorum, salarijs, & alijs consimilibus taxationem, & considerato, quod vbi est ordo, omnia ibi bene geruntur.

Ideò congregatis Abbatibus, & Officialibus, & vniuerso Notariorum Ciuitatis Mediolani Collegio in loco consueto in eorum Camareta sita in Broleto nouo Communis Mediolani, omnibus vnanimitèr, & concorditèr, ipsisq; omnibus volentibus malis, & contentionibus plurimis exinde prouenientibus obuiare, & more Rectorum, & grauium virorum sine contentione viuere, ac celeberrimi Collegij sui nomen, & famam vndique commendatam continuare, deliberauerunt, & ordinauerunt prædicta superiùs facta ad finem congruum perducere, & infrascriptam Instrumentorum mercedum, & operum Notariorum taxationem in scriptis demonstrare inconcusè, & perpetuò obseruandam, & sequendam per quoscumque Abbates, & Notarios præsentes, & futuros, prout inferiùs iacet ad litteram, & in libris Collegij ponendam, cuius vigore, & in eius executione Notarij, & alij, quibus rogantes, & rogata, tàm vsque in hodiernam, quàm in futurum explentes Instrumenta cuilibet habere volenti in publicam formam tradere teneantur pro singulis pretijs infrascriptis, etiam sub pœna periurij, conuentione tamen alia inter partes non existente, quæ si aderit exequatur.

Quarum quidem solutionum taxationes sunt istæ vlz.

Pro rogatura, & expletura vnius simplicis procuræ ad causas vnius masculi Notario chartam, & scripturam soluente, & ab eius, vel sui procuratoris banco, seu domo non recedente sol. tres Imper.

Pro

Pro vna domina cum consensu agnati sol. quatuor Imper.

Et vna actoria ad causas sol. sex Imper., & alibi abinde supra iuxta Abbatum discretionem.

Et pro renunciatione, & ratificatione dictorum Instrumentorum debitè referendo totidem.

Pro vno mandato simplici vnius simplicis clausulæ sol. octo Imper., & abinde supra, vltra vtsupra, ad computum sol. trium Imper. pro singula clausula, parte chartam, & scripturã chartæ semper soluente, & hoc vltra supra scriptos soldos octo, & pro renunciatione, & ratificatione similis Instrumenti sol. octo Imper.

Pro vna confessione, vel liberatione, absque alijs narratiuis, & solemnitatibus rei, vel iuris valenris à lib. centum Imper. infra soldos quinque Imper., Notario chartam, & scripturam soluente, & abinde supra, vsque ad libras quinquecentum Imp. sol. decem Imper., & abinde vsque ad lib. duas mille Imper. sol. viginti Imper., à libris vero duabus mille Imp. vsque ad sex mille lib. vnam, & sol. duodecim Imper., à lib. sex vsque in decem mille lib. tres Imper., & abinde supra pro quacumque quantitate lib. quatuor Imper., & hæc omnia ad bancum, & non habita alia fatica, & absque alijs narratiuis, & solemnitatibus, alioquin semper, tàm in præsenti instrumento, quàm alijs quibuscumq;, vltra vtsupra, merces andatarum, & temporis perditionum, si accidet, Abbatum arbitrio taxari debeat.

Pro vna inuestitura temporali simplici vlz. absque alijs narratiuis, & solemnitatibus rei, vel iuris valentis à lib. centum Imper. infra sol. octo Imp. & abinde supra vsque ad libras quinquecentum sol. duodecim Imp., & ab inde supra vsque ad libras duas mille sol. triginta duos Imper, & ab inde supra, vsque ad quamcumque quantitatem lib. quatuor Imper., semper Notario chartam, & scripturam soluente, & æstimetur res valere ad computum de quinque pro centenario eius redditus in anno. Et si inuestitura temporalis fuerit ad annos quatuor, vel vltra, quod Notarius habeat tertium plus. Et si fuerit emphiteotica, siue in vim locationis, siue recognitionis, siue tamen partis rei, vel iuris valen. à lib. ducentum Imp. infra sol. viginti Imp., parte chartam, & scripturam soluente, & ab inde supra, vltra vtsupra, ad computum sol. quatuor Imper. pro centenario lib. Imper. Et si cum pactis, vel alijs solemnitatibus, vltra vt., arbitrio Abbatum. Et pro ratificatione, & renunciatione dictorum Instrumentorum sol. octo Imper. & semper æstimetur vtsupra valere ad computum de quinq; pro centenario eius redditus in anno.

Pro vna simplici obligatione, vel ratificatione ipsius, in omnibus, & per omnia vt supra in confessione dictum est.

Pro vno introitu auctoritate propria, vel Iudiciaria super vna, vel duabus proprietatibus in eadem Parochia consistentibus, & intra Portas Ciuitatis Mediolani, vel super rebus mobilibus in locis prædictis sol. sexdecim Imp., parte chartam, & scripturam chartæ semper soluente. Intra verò redefossum Ciuitatis sol. viginti Imper. Et si proprietates essent plures, vel in diuersis Parochijs, tunc ab inde supra, & vltra vtsupra, Abbatum arbitrio.

Et pro renunciatione similium Instrumentorum medietatem eius, quod dictũ est in præsenti capitulo.

Pro vna simplici venditione, siue cambio, vel datione, seu assignatione in solutum, vel in præmium emancipationis, diuisione, fraternitate, communicatione, dote, vel augumento dotis, tàm denariorum, quàm proprie-

tatis,

tatis, vel aliter, protestatione parafernalium, cessione titulo venditionis rei, vel iuris valentis à lib. centum infra ad banchum Notarij, vel domum eius habitationis, & absque aliquibus pactis, & narratiuis sol. viginti Imper., saluo vt infra, & per Ciuitatem intra Portas sol. viginti quatuor Imper. A libris verò centum Imp. supra, vsque in libris tercentum Imper. ad bancum vtsupra, & instrumenti simplicis vtsupra, libràm vnam, & sol. duodecim Imper. Et per Ciuitatem sol. quadraginta Imper. A libris verò tercentum Imper. supra vsque ad libras tres mille ad computum suprascrip. singulariter referendo, & vltra vtsupra, etiam ad computum sol. decem Imper. pro singulo centenario lib. Imper. dicti pluris valoris. Et ab inde supra, vsque ad omnem quantitatem ad computum vtsupra, singulariter referendo, & vltra vtsupra pro illo pluri ad computum solidorum quinque Imper. pro centenario lib. dicti pluris, parte chartam, & scripturam semper soluente.

Et pro ratificatione talium Instrumentorum medietatem suprascriptæ taxationis, & hæc omnia saluo semper, vt infra vlz. Quod si dicta talia Instrumenta de quibus in præsenti capitulo fit mentio essent cum aliquibus alijs solemnitatibus, vel narratiuis vltra solemnitates de iure apponendas, quod tunc, vltra pretia suprascripta, habeatur aduertentia per dictos Abbates, qui iuxta eorum discretionem super hoc habeant taxationem condignam vltra vtsupra, facere.

Pro Instrumento transactionis, vel pactorum, seu societatis ad computa suprascripta singulariter referendo prout supra dictum est superiori capitulo. Sed quia difficilis, & frequens est, ac prolixus, & grauis hic titulus transactionum, & pactorum, nec aliter posset taxari, nisi oculis tales taxationes, & pacta subijciantur; ideò etiam ab inde supra, & vltra vtsupra, singulariter referendo conuenienter prouideatur, & satisfiat iuxta dictorum Abbatum discretionem, & taxationem secundum facti, & negotij qualitatem, & laborem.

Pro Instrumento verò donationis, & cessionis titulo donationis soluatur duplum eius, quod dictum est supra de Instrumentis venditionum, & cambiorum.

Pro Instrumento socedi quoniam diuersarum sunt maneriarum si fuerit à libris quinquaginta Imper. inclusiuè infra ad bancum, vel domum Notarij sol. decem Imper. A libris verò quinquaginta Imper. supra, vsque in libris ducentum Imper. sol. s. xdecim Imper. Et ab inde supra, vsque in libris quinquecentum Imper. sol. viginti Imper. soluendo vtsupra. Et ab inde supra pro quacumque quantitate solidos triginta duos Imper., parte chartam, & scripturam chartæ soluente semper.

Pro instrumento emancipationis simplicis, vel solemnis licentiæ generalis per patrem filio, vel depositionis solidos viginti Imper., parte soluente chartam, & scripturam chartæ ad bancum, vel habitationis Notarij, & si alibi, vel cum alijs conditionibus, & pactis, abinde supra Abbatum arbitrio.

Pro vna simplici diuisione crediti inter debitores, renunciatione, aditione, vel repudiatione vnius hæreditatis per maiorem ætatis, simplici protestatione caducitatis sol. decem Imper.

Pro vna prorogatione compromissi, vel termini alicuius solutionis, electione Not., assumptione tertij, vel confidentis sol. quatuor Imper. parte chartam, & scripturam soluente.

Pro vno simplici compromisso, appellatione à sententia ad bancum, vel in Broleto

Broleto sol. sexdecim Imper., parte scripturam, & chartam soluente, & si alibi intus portas, vel cum aliqua solemnitate, vel pactis, vel confessionibus, ab inde supra Abbatum arbitrio, & pro ratificatione, vel renunciatione similium sol. octo Imper.

Pro vno testamento, seu codicillo, vel vltima voluntate, arrogatione, & adoptione, ac legitimatione hær. à lib. quinque centum Imper. infra, in Ciuitate ducatum vnum auri in auro, & ab inde supra, vsque ad quantitatem lib. decem mille Imper. ad computum sol. duodecim Imper. pro centenario lib. Et ab inde supra, omni quantitate, ad computum suprasc. vsq; ad dictam quantitatem dictarũ lib. decem mille vltra vts. ad computum sol. sex pro centenario, & si quis velit aliquod legatum, vel capitulum, tunc pro ipso legato si erit à lib. centum Imper. infrà, soluat sol. viginti, & ab inde vtsupra vltra supra, ad computum sol. decem Imper. pro centenario dicti pluris valoris, parte soluente cartam, & scripturam, saluo quod si hæres institutus etiam esset hæres ab intestato, & legatarius esset descendens testatoris, quod solummodo soluat medietatem eius de quo supra dictum est.

Pro vna electione vnius Presbyteri cum suis opportunis solemnitatibus intra Ciuitatem ducatum vnum auri in auro, parte chartam, & scripturam soluente.

Pro vna simplici professione vnius Monialis, siue Fratris, qui, vel quæ recipiatur in aliquo Monasterio sol. sexdecim Imper. parte chartam, & scripturam soluente.

Pro vna tutela, vel cura, seu ipsius confirmationis vnius minoris se absentis, vel mentecapti, seu furiosi, vel vnius hæreditatis, vel bonorum, vel litis generalis, vel specialis ad vnam specialitatem rei, vel iuris valentis, a lib. mille Imper. infra sol. triginta duos Imper.

Et pro repertorijs iuris adeundi, vel repudiandi hæreditatem, cum ea additione, vel repudiatione solidos duodecim Imper., soluendo vtsupra.

Et pro repertorio bonorum, & iurium, soldos duodecim Imper., soluendo vtsupra; à libris verò mille supra ad computum solidorum duorum Imper. pro centenario, vltra vtsupra.

Pro renunciatione verò similium Instrumentorum soldos sexdecim Imper., si vero cura specialis fuerit ad plures specialitates, habeat vtsup, & vltra ad computum soldorum quatuor pro qualibet clausula, parte semper soluente chartam, & scripturam chartæ.

Pro arbitramentis, declaratione, vel sententia, quartam partem salarij debendi proferenti, seu proferentibus arbitramenta, vel sententiam, seu declarationem, vel pronunciationem ad rationem librarum duarum Imper. pro singulo centenario rei, vel iuris eius, pro quo arbitratur, seu sententiatur, seu pronunciatur, vel declaratur vtsupra, & hoc parte chartam, & scripturam chartæ, ac ordinem sententiæ soluente.

Ita tamen, quod Notarius teneatur explere prædicta, vtrique parti illa requirenti, super salario antea soluto pro rogatione ipsorum, ipso secundo requirente ipsam expletionem, soluente Notario solidos duodecim Imper. pro eius mercede examinandi, & subscribendi, & soluente chartam, & scripturam.

Et si vlterius expletio requireretur, seruetur, prout infrà.

Et si contingeret arbitramenta, seu vtsup. expleri, seu haberi velle per aliquem alium, qui dictũ salarium non soluisset, & hoc Notario non satisfacto, prout supra,

ſupra, quod tunc poſt ipſam ſatisfactionem, & non alitèr requirenti vtſupra, expleantur, eo ſoluente chartam, & ſcripturam, & ab inde ſupra, rei, vel iuris valentis à lib. centum Imper. infra ſolidos decem, & ab inde ſupra, ad computum ſupraſcriptum, & vltra ſoldos duos Imper. pro ſingulo centenario librarum.

Et ſi explerentur illi, qui ſalarium ſoluiſſet, quòd tunc expleantur ſibi pro quarta parte pretij eius quo ſibi aliàs expleta fuerint, & ſemper ſoluente chartam, & ſcripturam.

Inſtrumenta vero, quæ explebuntur per auctoritates, ſoluantur iuxta taxationes productas, & Notarius, qui habuerit auctoritatem, habeat dimidiam partem mercedis talis expleturæ, & aliam habeat hæres Notarij, qui rogatus fuerit tale Inſtrumentum, & ſeu ille, ad quem ſpectabit.

Item, quod ſi contingeret aliquem Notarium conduci ad aliquod conſentiendum Inſtrumentum, extra redefoſſum Mediolani, vel terram ſuam, in qua habitet, vt puta introitus, vel alteriuſmodi Inſtrumenti, quod tunc detur ſibi, vltra ea de quibus fit mentio, ad computum ſolidorum duorum pro ſingulo miliari.

Et vltra itineris cibi, & potus, ac dormitus, ac equi, expenſæ ſibi opportunæ fiant.

Si vero, facto itinere, impeditus in loco, quo iuerit, vel ibi remanſerit, prout accidit per vnam diem, vel duas aliquem expectando, vel ad bona aliqua hinc indè per territorium eundo, vel aliud faciendo, quod tunc pro tali tempore occupationis præmiſſæ, ſibi, vltra vtſupra, taxetur ad computum ſolidorum viginti Imperialium, ſingulo die, quo impeditus ſteterit vtſupra, & hoc vltra præmiſſas expenſas.

Item in cauſis compromiſſorum, vel alitèr, in quibus Notarij eligantur ad acta cauſæ, pro ſingulo termino denarios tres Imper. pro parte, & pro ſingula productione actus, vel memoria, ſoldum vnum cum dimidio Imper.

Item pro infilciatura cuiuslibet actus, nihil, & pro ſingulo folio proceſſus ad rationem linearum viginti duarum pro pagina, & verborum quinque pro linea ſolidum vnum, & denarios ſex Imperialium, ſcripturam proceſſus Notario ſoluente.

Item, quoniam Inſtrumentorum rogatio eſt innumerabilis, & diuerſimodè, ac diuerſis nominibus Inſtrumentorum fit, & multum longum de reliquis, vltrà vtſupra, eſſet narrare, & impoſſibile taxare, niſi oculis videretur;

Ideò taxatio præmiſſorum ſecundum modum prædictum, & etiam dictorum reliquorum Inſtrumentorum diſcretioni præfatorum DD. Abbatum relinquitur, quoniam eis attributa eſt præmiſſæ iuriſdictio taxationis, iuxtà negotij, & facti qualitatem, & ſic etiam cogere poſſint quamlibet perſonam, quæ expleri faceret aliquod Inſtrumentum, ad illud recipiendum, & habendum, & per modum ſupraſcriptum, Notario de mercede ſua Inſtrumentorum prædictorum ſatiſfaciendum.

Item, valor rei, vel iuris pro quo fient inſtrumenta, de quibus ſupra, ſemper eſſe intelligatur ad computum de quinque pro centenario, videlicet, libræ centum Imperialium pro qualibet intrata librarum quinque Imper., vel rei eiuſdem valoris.

Et ſi in bladis, vel leguminibus, vel vino, vel miſtura, vnito bono tempore, cum malo, & malo cum bono, ad computum librarum duarum pro ſingulo medio miſturæ, & frumentum, & legumina ad computum librarum trium Imper. pro ſingulo modio, & vinum ad computum ſolidorum triginta duorum Imper. pro brenta.

Et

Et sic tolletur dubietas æstimationis ipsius rei.

Item, quod expletis semel instrumentis suprascriptis, vel aliquo eorum, exceptis Instrumentis testamentorũ; vel arbitramentorũ, vel sententiarum, si posteà acciderit etiam ipse tale instrumentum requiri per illum, qui primò habuisset, teneatur dare Notario quartam partem illius, quod habuisset ex prima expletura ipsius Instrumenti, vltra chartam, & scripturam.

Et si requireretur per alium, qui non habuisset ipsum Instrumentum, aliquã vice, teneatur soluere chartam, & scripturam, & etiam tantum, quantum soluisset ille, qui primo expleri fecisset ipsum Instrumentum.

Prouisio, & Ordinatio pro Notarijs Maleficiorum, & in eorum fauorem.

IN nomine Domini Amen. MCCCCLXIIII. Indictione xiij. die decimo quinto Decembris. Nos Raphael de Bussero, Ioannes de Arcimboldis I. V. Doctores, Paulus de Castilliono, & Francischinus de Castro Sancti Petri Ducaliũ Intratarũ extraordinariarũ Magistri, intellecta Supplicatione coram nobis porrecta parte Notariorum Maleficiorum Ciuitatis, & Ducatus Mediolani continente in effectu, quod sæpenumero accidit, quod ipsi Notarij scribunt querelas, & denuncias maleficiorum, & super ipsis testes examinant, & postremò omnia acta, vsque ad sententiam exclusiuè aliquem perficiunt, multasque scripturas circa prædicta faciunt, pro quibus si ipsi tales querelati, seu denunciati, & inquisiti suas facerent comparitionem, & præstarent satisdationem, prout tenentur de iure, & iuxta consuetudinem, habere deberent pro comparitione, & satisdatione iuxtà datium ipsarum Notariarum sol. x. & den. viij. Imper. & pro quolibet, qui eximitur à banno sol. vj. Imper. Et si fieret talis inquisitio super quam sequeretur alius actus effici, habere debeant denar. ij. tertiol. pro qualibet linea, deinde pro sententia absolutoria, siue condemnatoria habere debeat à libra vna tertiol. vsq; in xxv. tertiol. sol. x. Imper., & à lib. xxv. tertiol. supra, vsque in centum sol. xv. Imper. & à libris centum tertiol. supra sol xx. Imper. Et in criminalibus delictis ex quibus pœna sanguinis ingeretur, habere deberent solutiones prædictas in duplum pro quolibet condemnato, vel absoluto, prout in ipso dato continetur. Ipsi autem inquisiti, querelati, vel denunciati nullas faciunt comparitiones, nec remissiones, neq; aliquas præstant satisdationem, sed producunt, vel per alias personas producere faciunt aliquas litteras, & aliquando antè Inquisitionem formatam, quæ impediunt, vel annullant processum in modum, quod per ipsos Notarios, neq; per Officiales, sub quorum Officio formatæ sunt Inquisitiones, & inchoati sunt processus, non potest vlterius procedi, neq; satisfaciunt ipsis Notarijs pro prædictis in eorum maximum damnum, & præiudicium, & datij prædictarum Notariarum, & Ducalis Cameræ detrimentum. Et propterea parte ipsorum Notariorum fuit cum instantia requisitus, vt eorum consulere, & prouidere indemnitati deberemus. Idcircò eorum suppl. & singula in ea contenta animaduertentes, & super ipsis volentes opportunè prouidere, prout nobis, & Officio nostro pertinet, quoniã litteræ, quæ ex gratia talibus conceduntur non debent in alterius priuati, & minus Ducalis Cameræ læsionem redundare, vt optant, qui tales gratias obtinere dignoscuntur. Tenore præsentium ordinamus, quod Notarij ipsi recipere possint pro similibus litteris gratiæ, aut suspensionis in futurum præstandis solutiones ab ipsis inquisitis, querelatis, & denunciatis,

prout

prout infra vlz, Quod si præsentabuntur litteræ eo tempore, quo fieri deberent comparitionem, & satisdationem, teneantur soluere tales litteras præsentantes id, quod fuissent soluturi pro ipsa comparitione, & satisdatione. Si vero præsentarent tempore alterius actus fiendi, tunc soluere teneantur id, quod pro ipso actu fuissent soluturi. Si verò post sententiam, id, quod pro ipsa sententia, & non alitèr, nec alio modo, nisi fortè in ipsis litteris alitèr disponeretur, quo casu ipsarum litterarum tenor, & dispositio ad litteram obseruentur. Mandantes etiam quibuscumq; Officialibus, & Rectoribus, quibus præsentabuntur dictæ litteræ, quatenus, statìm postquam ipsæ litteræ præsentatæ erunt, cogant illos, qui eas litteras præsentabunt realitèr, & personalitèr ad integrè faciendum satisfacere ipsis Notarijs juxta præsentem ordinationem.

Decretum super Flumine Olonæ.

BLanca Maria Vicecomes Ducissa Mediolani, Cremonæq; Domina, & Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papię, Angleriæq; Comites, ac Ianuæ Domini. Considerantes quot commoditates, quotq; vtilitates, & prærogatiuæ perueniunt ex aqua Olonæ ad hanc Inclytam Vrbem nostram Mediolani defluentis, non solùm Nobilibus, & Ciuibus nostris, qui ex ea irrigant Prata sua, & Molendina, quæ habent super eo fluuio constructa faciunt exerceri, sed & nostris quoq; Intratis, maxime quando Ordines, ac Statuta, quæ sunt superinde compillata disponentia super moderamine, & vsu ipsius aquæ obseruantur, expertique è conuerso quot incommoditates, quotve detrimenta secuta sunt, & sequuntur in diebus Aestiuis, præsertim caloribus tēpore arriditatis cū deest aqua ipsa, nec prata possunt irrigari, & ipsa quoque molendina à suo cessant exercitio, Ciuesque, ac Nobiles prædicti reddituum suorum iacturam patiuntur, disceptant etiam inter se vlz., ij qui possessiones habent suas infra Villam Rhaudæ, inferiores nuncupari, cum ijs, qui ab inde supra suas possident, & superiores dicuntur, odiaq; inuicem contrahunt, & graues exagerant simultates, & inimicitias non sine euidenti periculo rixarum, & scandalorum vtrinq; committendorum, qua de re nos quoque molestijs, ac diutinis querelis eorum affligimur, clamoribusq; suis aures nostræ dietìm obtunduntur. Disponentes nos propterea inconuenientibus prouideri, & rem redigi ad aliquam nouam formam ordinum, quibus aqua prædicta profluat, quo magis assidua fieri poterit, & ipsi Nobiles indultis eis pro illius vsu concessionibus potiantur secundum debitas moderationes, ac limitationes suas, decernimus, ac statuimus hoc præsenti Decreto nostro, quod pro inuiolabili lege haberi, & obseruari firmitèr disponimus. Primo quidem, quod quælibet persona cuiuscumq; conditionis, status, aut præeminentiæ existat habens, seu prætendens habere ius deriuandi de aqua Olonæ prænominatæ pro pratis suis irrigandis debeat intra spatium dierum quatuor ád tardius à die præsentis Decreti publicationis obturasse, vel obturari fecisse omnes eius buccas per quas deriuatur de dicta aqua, & quas buccas nulla persona sit quæuis velit, tàm priuilegiata, quàm non, audeat, nec præsumat aperire, nec aperiri facere, nisi prius dictæ buccæ, & eorum prata fuerint moderatæ, & reducta prout disponitur ex forma Statutorum Vrbis memoratæ super hoc disponen., de quorum moderatione, & reductione appareat per Instrumentum collaudationis factæ, vel fiendæ

casu

casu quo per alteram partium præmissarum, quæ in prætetitum factæ sunt impugnarent per Ioannem Petrum de Sexto Officialem ad hoc deputatum, vel per alios Officiales per nos, aut præcessores nostros antea, vel nunc super hoc deputatos singula singulis congruè referendo, sub pœna cuilibet inobedienti florenorum quinquaginta, ac vlterius, sub pœna amissionis totius iuris sui, quod habet in deriuatione aquæ præmissæ. Concedentes, quod quilibet possit accusare, & ei credatur cum sacramento suo, & vno teste fidedigno, respectu pœnæ pecuniariæ, & respectu amissionis iurium cum duobus fidedignis. Item, quod prænominatus Ioannes Petrus teneatur, & debeat ad petitionē cuiuslibet personę habentis ius deriuandi de aqua supradicta ire cum vno Ingenierio, & vno Notario non suspectis ad videndum quaslibet buccas, ac prata, quas, & quæ si repererit esse prout disponitur ex forma prædictorum Statutorum collaudare teneatur, aliter autem, vlz. casu quo non possint ad moderationem, & reductionem debitam deduci eas, & ea, condemnetur prout ex Statutis antedictis disponitur pro cuius Ioannis Petri salario talis conducens teneatur satisfacere ad ratam temporis singulo mense ad computum lib. quinquaginta Imp. Præterea si aliqua persona, sit quæcumque velit, tàm priuilegiata, quàm non, habens collaudationem vtsupra, steterit, ac negligens fuerit à die publicationis huius præsentis Decreti per annum vnum faciendo collaudari eius buccas, ac prata, quod tunc, & eo casu priuata sit, & per ipsum Decretum præsens priuatam decernimus se ab omni iure, quod habere prætendit in deriuando de aqua prædicta, & sic eo casu volumus, quod ipse Officialis præmemoratus dictas rugias explanari faciat; denique si contingat plures personas habere ius deriuandi de aqua suprarnemorata super vna, & eadem rugia inter quas personas aliquæ fuerint diligentes in faciendo fieri expensas necessarias, tàm in adaptando buccam ipsius rugiæ, quàm in solutione salarij Officialis prædicti, & in alijs etiam expensis ad hæc expedien. & pertinen., & aliquæ aliæ personæ fuerint negligentes, & retrogradæ ad contribuendum pro rata sua dictis expensis, decernimus, ac iubemus, tales retrogrados, ac negligentes non debere, neque posse ipsa aqua vti, & sub pœna antedicta; & illas personas, quæ diligentes extiterint, & obedientes, vt supra diximus vti posse, ac debere beneficio, ac vsu aquæ prædictæ temporibus, & horis dictis negligentibus, & retrogradis pertinentibus, vsquequo ratam suam eiusmodi expensarum persoluerint, ipsis tamen obedientibus, ac diligentibus soluentibus interea portionem ipsis inobedientibus, & retrogradis contingentem. Cum hac etiam declaratione, quod ij negligentes, & retrogradi si cessauerint, & steterint per annum vnum in soluendo expensas antedictas, eo casu priuati sint ab omni iure suo, quod habebant in aqua supradicta. Mandantes Potestati, Vicario prouisionum Ciuitatis antedictæ, & Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum, quatenus præsens Decretum nostrum, & quæ in eo continentur omnia obseruari, & executioni mandari, necnon in volumine, ac numero aliorum Ordinum, Decretorumq; nostrorum inseri, ac registrari, & in locis quibuscumq; publicis, & consuetis, ita quod ad omnium notitiam peruenire queat, publicari faciant. In quorum testimonium præsentes fieri fecimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die quarto Septembris MCCCCLXVII. Signat. Ioannes Vicecomes cum sigillo Ducali.

BLanca Maria Vicecomes Ducissa Mediolani, Cremonæque Domina, & Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæq; Comites, ac Ianuæ Domini. Porrigi nobis fecit Iacobus de Perego Communis huius Vrbis nostræ Syndicus supplicationem continentiæ subsequentis videlicet.

Tenor supplicationis.

HVmiliter exponitur parte vestri fidelissimi seruitoris Iacobi de Perego Syndici ad causas Communis huius vestræ Ciuitatis Mediolani, quod cum ipsum Commune habeat, & in futurum forsitan habebit nonnullos debitores varijs, & diuersis causis, & occasionibus, habet quandocumque, & in futurum fortè habere continget multa, & diuersa bona, proprietates, & iura eidem Communi competentia, & competitura, quæ per varias personas occupantur, & detinentur, & in futurum occupari, & detineri continget, & proinde oporteat, ac erit opportunum multas, & varias lites, & causas mouere, & intentare contra tales occupatores, & illicitos detentores, & sic etiam per præsentes multæ quæstiones motæ sunt coram, & sub Vicario Officio prouisionum ipsius vestri Communis Mediolani, & quia dicti debitores, & occupatores bonorum, & iurium dicti vestri Communis Mediolani in ipsis causis opponunt ipsum Vicarium non esse Iudicem competentem, &, quatenus sit Iudex competens petunt Consiliũ Sapientis, requiruntq; dictas causas debere committi consulen. vni ex Iurisperitis Collegij Dominorum Iurisperitorum huius vestræ Ciuitatis Mediolani, in maximum damnum, & præiudicium ipsius vestri Communis Mediolani, & iurium suorum, & res, & lites deducuntur in longum in modum, quod dictum vestrum Commune suum assequi non potest debitum contra dictos debitores, & occupatores talium bonorum ipsius vestri Communis Mediolani, quare ipse Iacobus Syndicus antedictus supplicat D. V. quatenus (præmissis attentis, & etiam attento, quod Vicarius ipse habebat aliàs auctoritatem, & bayliam circa præmissa, quæ postea per Illustrissimum semper recolendæ memoriæ Principem Dominum Ducem Philippum Mariam Genitorem, & Auum vestrum Colendissimũ in quadam generalitate fuit interrupta, attento etiam, quod idem Vicarius, qui Commune hoc repræsentat non minus habere debet auctoritatis, & facultatis, quàm habeant Magistri Intratarum ordinariarum, & extraordinariarum in pertinentibus ad Officium suum, attento etiam, quod Præsidentes ipsi Vicario officio communiter Viri præstantes, & tàm legum, quàm aliarum rerum cognitione, & experientia præditi sunt) dignetur V. Cel. per suas patentes litteras edicere, declarare, & mandare, quod ipse Dominus Vicarius dictarum prouisionum Communis vestri Mediolani, qui est, & per tempora adesse continget, in quibuscumque causis ciuilibus, tàm motis, quàm mouendis de cætero nomine ipsius vestri Communis Mediolani contra quoscumque debitores, & occupatores, seu detentores bonorum, & iurium ipsius vestri Communis sit Iudex competens; ipsasq; causas, tàm motas, quàm de cætero mouendas coràm eo vesupra terminet, & decidat à se ipso, & absq; Consilio Sapientis, & summariè, aut ordinariè, prout sibi melius videbitur, & placuerit, &

vlterius declarare, quod à sententijs ferendis per ipsum Dominum Vicarium vesupra non possit aliqualitèr appellari, nec querelari, nec de iniquitate agi non obstante Decreto Ducali causarum ciuilium, nec Statuto Communis vestri Mediolani de Sapientibus dandis, nec aliquibus alijs Statutis, Decretis, aut prouisionibus in contrarium facientibus, quibus in hac parte derogare dignemini, attento maxime, quod à sententijs latis, & ferendis per ipsos Magistros Intratarum extraordinariarum non potest appellari sic disponen. nonnullis Decretis, & Ordinibus super his editis, & quod ipsæ causæ nullam instantiam habeant, sed durent, & durare debeant, donec, & quousq; super his pronunciatum, & sententiatum fuerit per ipsum Dominum Vicarium præsentem, & futurum, attento etiam, quod simili modo seruatur in causis vertentibus coram ipsis vestris Magistris, vt, mediante vestri gratia dictum vestrum Commune Mediolani celeritèr suum assequi veniat debitum sicut creditur fore de mente D. V.

Itaq; cum tàm aliundè, quàm per eius supplicationis seriem intelligamus, quod Vicarius ipse aliàs id de quo fit mentio valebat auctoritatis, & baylıæ, quæ postea per Illustrissimum recolendæ semper memoriæ Principem Dominum Ducem Philippum Mariam Genitorem, & Auum nostrum Colendissimum, in quadam generalitate fuit interrupta. Dignum etiam censentes, quod Vicarius idem, qui Commune hoc repræsentat non minus habeat auctoritatis, & facultatis, quàm habeant Magistri Intratarum nostrarum ordinariarum, & extraordinariarum in pertinentibus ad officium suum; attendentes etiam, quod Præsidentes ipsi Vicariatus officio communitèr Viri præstantes sunt, & tàm legum, quàm aliarum rerum cognitione, & experientia præditi sunt, & horum quidem omnium consideratione permoti: contentamur, & harum serie concedimus, & decernimus, quod præsens Vicarius, & qui per tempora erunt in causis quibuslibet cuilibet motis, & mouendis nomine Communis eiusdem contra quoscumque debitores, & occupatores, seu detentores bonorum ipsius sit Iudex competens. Et eas quidem terminet, ac decidat à se ipso, & absq; alio Sapien. Consilio, & summariè, vel ordinariè, prout sibi melius videbitur; quod etiam à sententijs per eum ferendis non possit appellari, nec querelari, nec de iniquitate agi, Decreto causarum ciuilium, & Statuto Communis de dandis Sapientibus, & alijs in contrarium, vel alitèr disponentibus nequaquam attentis, quibus in hac parte dumtaxat ex certa scientia derogamus. Decernentès simùl, quod instantiæ causarum eiusmodi durare intelligantur, & durent quousque pronunciatum superinde fuerit per ipsum Vicarium, & quemadmodum fit ad Officia Magistrorum Intratarum eiusmodi nostrarum. Mandantes demùm Potestati nostro huius ipsius Vrbis, & cæteris omnibus ad quos spectet, & spectare poterit in futurum, quatenus has nostras concessionis litteras ad nostrum vsque beneplacitum valiturum firmitèr obseruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri, ac registrari iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xx. Nouembris MCCCCLXVII. Signat. Antonius cum sigillo Ducali.

Decretum super maleficijs commissis, & de ordine seruando per Antianos, & alios.

DVX Mediolani &c. Dilecte noster. Non possumus non mirari, nec sine displicentia intelligere ea, quæ nouitèr nobis relata sunt viz., quod, licet die vndecimo Nouembris MCCCCXLIII. per Illustrissimum felicissimæ memoriæ D. D. Ducem Philippum Auum, & Præcessorem nostrum honoran. editum fuerit Decretum inclusum in eius litteris tunc emanatis Regulatori, & Magistris Intratarum suarum extraordinariarum signat. Gunifortus, ex quo Decreto non vulgaritèr, immo accuratissimè plura disposita, ordinata, & sancita sunt circa querelas deferendas super delictis, ac super formandis processibus, conficiendisq; examinibus, ac citationibus, & præsentia Aduocatorum, & Syndicorum, necnon circa descriptiones, & apprehensiones bonorum delinquentium, & Cameræ nostræ spectantium, ac demum circa occurrentia ad reprimenda delicta, corrigendosque excessus improborum, quorum magnus est numerus, & quamplura alia, quæ ibidem summa iustitia, & libramine disposita sunt, ad quod Decretum digna habeatur relatio, non minus, siue ex intelligentia Officialium nostrorum, siue alitèr videntur disposita, immo Decreto neglectui data, & Decretum ipsum ab aula recessisse, seu in desuetudinem transmisisse, ita & multa in eo disposita minime obseruentur, in maximum nostri dedecus, Cameræque nostræ non leuem iacturam, necnon et Subditorum nostrorum discrimen. Volentes itaque huic morbo prouidere, scientes nihil à prælibato D. D. Duce Philippo, nisi summa cum Iustitia, & æquanimitate emanari potuisse. Volumus, & vobis committimus, & mandamus quatenùs Decretum ipsum, & in eo disposita, vt iacent ad litteram absolutè, & inuiolabilitèr obseruetis, obseruariq; faciatis per quoscumque Iudices Curiæ nostræ, & vlterius, pro clariori omnium notitia, volumus, quod illud de nouo proclamari in locis consuetis faciatis, ita vt ad omnem notitiam deuenire possit, hanc itaq; mentem, & dispositionem nostram omnino obseruetis, & executioni mandari faciatis, sub pœnis, & declarationibus ibidem expressis, & etiam sub indignationis nostræ pœna. Dat. Vigleuani die xvj. Decembris MCCCCLXVIII. Signat. Cichus. A tergo quarum sigillatarum sigillo consueto præfati D. D. Ducis Mediolani continetur Egregio Militi Potestati nostro Mediolani.

Cuius quidem Decreti tenor talis est viz.

PHilippus Maria Anglus Dux Mediolani &c. Papie, Angleriaq; Comes, ac Ianua Dominus. Sentimus, & veridica informatione certificati sumus multas deceptiones, & fraudes in vniuerso Dominio nostro fuisse commissas, & dictim committi, vt maleficia, crimina, excessus, vel delicta commissa, & qua dictim committuntur in lucem non deducantur, aut impunita remaneant, præsertim in occultando, & occultari faciendo denunciationes, accusas, & querelas, aut eas in alia forma, quàm veritas se habuerit porrigendo, aut porrectas mutando, qua coràm Rectoribus, & Iusdicentibus nostris, & nobis mediatè, vel immediatè subiectis porrecta fuerunt, & porriguntur pro talibus criminibus, maleficijs, excessibus, aut delictis, necnon super iam porrectis accusis, querelis, denuncijs colludendo, & alijs varijs, & diuersis quæsitis coloribus talitèr agendo,

agendo, quod aut non proceditur super eis, & communitèr sequi faciunt absolutionē, vel saltem pœnas debitas faciunt alterari, in graue damnum, & praeiudicium Status, & honoris, ac intratarum & Cameræ, necnon Communitatum, Ciuitatum, & Terrarum nostrarum, Subditorumque nostrorum. Itaq; dispositi deceptionibus, collusionibus, & fraudibus huiusc̄emodi de opportuno remedio prouidere. Edicimus, & hoc præsenti nostro Decreto, & lege in perpetuum valituro decernimus, & mandamus, quod quilibet Consul, Antianus, vel Parochianus cuiuscumque Ciuitatis, Terræ, Castri, Villæ, Loci, vel Parochiæ nobis mediatè, vel immediatè subiecti, vel subiectæ singula singulis congruè referendo, teneatur, & debeat infra dies quinque in Ciuitate, & in Terra habentibus merum, & mixtum Imperium infra decem dies à die commissi criminis, delicti, vel excessus numerandos denunciare, & in scriptis porrigere illi Rectori, & Iusdicenti, sub cuius Iurisdictione fuerit talis Consul, Antianus, vel Parochianus omnia, & singula maleficia, crimina, vel delicta commissa, & nundum denunciata, vel etiam denunciata sed non prout delictum commissum fuit, & quæ de cætero committentur in Consulatu, Antianatu, vel Parochia sua, cum veris qualitatibus talium maleficiorum, delictorum, vel criminum, cum loco, cohærentijs, anno, & mense commissi maleficij, & cum nominibus, & cognominibus personarum, quæ maleficium ipsum commiserint, & committi fecerint, & cum insertione nominum, & cognominum testium, qui interfuerunt, aut de ipsis delictis informati erunt quomodocumque, siue ex talibus maleficijs, delictis, vel excessibus pœna corporalis, & confiscationis bonorum, siue corporalis, & pecuniaria simul, siue corporalis tantùm, siue pecuniaria tantùm veniat imponenda, & siue huiusc̄emodi pœna Cameræ nostræ, & Communitati Ill. Ciuitatis, Terræ, vel loci simul, siue Cameræ nostræ tantùm, siue Communitati tantùm veniat applicanda, & hoc sub pœna cuilibet Consuli, Antiano, vel Parochiano, qui non denunciauerit, & in scriptis non portauerit vtsupra floren. x. vbi pœna corporalis, vel confiscationis bonorum non veniat imponenda, vbi autem corporalis tantùm, vel confiscationis bonorum tantùm veniat imponenda dupplicetur, & nihilominùs teneatur infra similem terminum denunciare, & in scriptis porrigere vtsupra, sub eadem pœna pro quolibet ipsorum, & totiens quotiens contrafecerint Cameræ nostræ applican., & hoc vltra pœnas eis impositas per Decreta nostra, siue per Statuta Ill. Ciuitatis, Terræ, vel loci, in quo, seu qua talis Consul, Antianus, siue Parochianus moratur, ad quas pœnas si fuerint inhabiles teneantur Communia Terrarum, aut vicinantia, & omnes habitatores, & incolæ Terrarum prædictarum, & Parochiani pro suprascriptis Consulibus, Antianis, & Parochianis negligentibus vtsupra, singula singulis congruè referendo.

Item, quod talis Consul, Antianus, siue Parochianus, vltra denunciationem in scriptis dandam vtsupra, teneatur, & debeat pro eodemmet maleficio, seu delicto eodem modo, eodemq; tempore, & sub eadem verborum exceptione in scriptis denunciare, & dimittere Syndico, seu Procuratori Fisci, & Cameræ nostræ in tali Ciuitate, Terra, seu loco, seu in qua tale maleficium fuerit commissum, vel in futurum committetur per nos deputato, siue deputando sub eadem pœna de qua supra. Declarantes tamen, & expressè mandantes, quod talis Syndicus Cameræ nostræ deputatus, vel deputandus, nec eius Notarius non possit, nec debeat aliquam

pecunię quantitatem, nec aliquam aliam rem accipere etiam à ſponte dante pro huiuſcemodi accuſa, denuncia, vel querela eidem Syndico, vt pręmittitur danda, & dimittenda, ſub pœna quadrupli eius quod acceperit Camerę noſtrę applican.

Item ſi contigerit aliquis ex dictis locis, vel villis fortè Conſules non habere, teneantur infra quindecim dies à die publicationis pręſentis noſtri Decreti numerandos incolę talis Terrę, loci, vel Villę vnum, vel plures eligere, & deputare, qui habeat, & teneatur denunciare, & in ſcriptis porrigere, prout tenentur Conſules vtſupra, ſub pœnis ſupraſcriptis.

Item ſtatuimus, decernimus, & mandamus, quod porrecta huiuſcemodi denuncia, querela, ſiue accuſa ſupradicto Iuſdicenti, ſeu Rectori, & dicto Syndico, ſeu Procuratori Fiſci, & Camerę noſtrę, & vtſupra, teneatur talis Iuſdicens, Poteſtas, Capitaneus, ſiue Rector debitum inchoare proceſſum ſuper tali maleficio, ſeu delicto ſibi, vt pręmittitur denunciato, & ſuper eo debitè procedere, dictumque proceſſum fine debito terminare, ſed in formam, & infra terminum, ac inſtantiam per Decreta, ſiue Statuta talis Ciuitatis, Terrę, vel loci limitatos, vel limitatum, ſub pœna in talibus Decretis, ſiue Statutis contenta, & ſi in dictis Decretis, ſiue Statutis pœna aliqua non reperiatur impoſita, tunc, & eo caſu ſub pœna ſalarij vnius menſis, quod tali Poteſtati, Capitaneo, Rectori, vel Iuſdicenti non procedenti, vel expedienti vtſupra irremiſſibilitèr retineatur ex, & de pagis, quę ſecundum ordines noſtros currere debebunt, & Camerę noſtrę extraordinarię reſpondeatur, totiens quotiens fuerit contrafactum, vel contrauentum in prędictis, vel aliquo prędictorum. Si tamen per Decreta, ſeu Statuta non reperiatur eſſe prouiſum infra quem, ſeu quos terminos huiuſcemodi proceſſus debeant formari, & terminari, teneantur, & debeant huiuſcemodi proceſſus inchoare infra dies quinque à die porrectę denuncię, querelę, vel accuſę numerandos, ipſumq; finire, & terminare infra alios lx. dies continuos ad tardius, exceptis tamen diebus feriatis in honorem Dei à die inchoati proceſſus numerandos, ſub pœna ſalarij vnius menſis tali Rectori, vel Iuſdicenti pro quolibet proceſſu non inchoato, &, vt pręmittitur, non finito vtſupra, quod irremiſſibilitèr retineatur, & reſpondeatur vtſupra, & Vicarius, & Syndicatores noſtri teneantur tempore Syndicatuum eorum Rectorum, vel Officialium diligentèr de prędictis inquirere, & culpabiles punire modo quo ſupra, ſub pœna cuilibet Vicario, vel Syndicatori non inquirenti, & non punienti vtſupra ſalarij ſui vnius menſis, & vlterius ſub grauiori pœna noſtro arbitrio imponenda.

Item ſtatuimus, decernimus, & mandamus, quod talis Iuſdicens, ſiue Rector teneatur, & debeat in omnibus, & ſingulis actibus, & ſuper talibus proceſsibus fiendis etiam vſque ad diffinitiuam ſententiam incluſiuè legitimè vocari, & citari facere dictum Syndicum, & Procuratorem ad domum ſolitę habitationis ſi talis Syndicus, & Procurator manſerit, ſeu reſidentiam fecerit in tali Ciuitate, Caſtro, vel loco, ſi minus, teneatur ſaltem in caſu abſolutorię ferendę ſententię per prius in ſcriptis auiſare prędictum Syndicum conſtitutum in Ciuitate, ſub cuius diſtrictu, ſeu Diœceſi fuerit talis locus, in quo de tali maleficio cognoſcitur, & ab ipſo Syndico expectare reſponſum priuſquam ſententiam proferat ſaltem per quatuor dies, ſub ſupraſcripta pœna, & totiens quotiens fuerit contrafactum,

tum, & nihilominus processus, qui factus fuerit prædicto Syndico, & Procuratori legitimè non citato vt supra, in quantum concerneret præiudicium Cameræ nostræ, aut Communitatis Communis, vel loci sit nullus, nulliusq; valoris, roboris, vel momenti, & possit, ac debeat talis actus, seu processus de nouo fieri, ac agitari, ac procedi perinde ac si actus ille factus non fuisset.

Item statuimus, decernimus, & mandamus, quod in apprehendendo, describendo, & incorporando Cameræ nostræ, & eius nomine bona mobilia, semouentia, immobilia, iura, & actiones talium delinquentium, siue ante, siue post condemnationẽ, & in alijs præsenti nostro Decreto non apprehensis, & materiam in ipso Decreto concernentibus seruentur, & seruari debeant alia Decreta nostra, & eorum dispositionem.

Decernentes, & volentes omnino hoc præsens nostrum Decretum, & omnia, & singula in eo disposita locus habere, & roboris firmitatem obtinere in casibus, & etiam in pendentibus non decisis; verùm si in casibus occursis à duobus annis citra, etiam per sententiam decisis, & terminatis per sordem collusionem, aut negligentiam Iusdicentis, vel Rectoris, Notarius, vel alterius cuiusuis personæ, aut per occultationem, vel alitèr quomodocumque indebitè absolutoria aliqua sequuta, aut pœna mitigata, vel alterata fuisse, decernimus, & mandamus, quod Iusdicens, siue Rector in cuius Iurisdictione talis sordes collusio, negligentia, aut occultatio commissa, aut facta fuerit teneatur, & debeat ad instantiam, & requisitionem cuiuslibet personæ, Communis, Collegij, vel Vniuersitatis, & maxime ad instantiam, & requisitionem Syndici, & Procuratoris Fisci, & Cameræ nostræ, siue Cõmunitatis probare, & ostendere volentibus, quaslibet probationes, & informationes recipere, de, & super talibus sorde collusione, & negligentia, & occultatione, & qualibet earum, & si per huiusmodi probationem constiterit saltem semiplenè de tali sorde collusione, negligentia, aut occultatione, possit, & debeat talis Rector, vel Iusdicens, iterum, & de nouo super tali crimine, maleficio, vel delicto procedere, & terminare, seruata forma præsentis nostri Decreti, & non obstante, quod de huiuscemodi maleficio cognitum, & pronunciatum fuerit. Declarantes insuper, & expressè mandantes, quod nullus Notarius deputatus, & deputandus ad maleficia, vel damna data audeat, nec præsumat pro aliquo actu fiendo coram eo occasione alicuius maleficij, vel damni dati petere, requirere, exigere, nec accipere directè, nec per indirectum vltra taxationem factam per datum incantus huiusmodi Notariæ maleficiorum, vel damnorum datorum, si talis Notaria fuerit incantata; si vero incantata non fuerit, non audeat, nec præsumat petere, requirere, exigere, nec excipere vltra illud, quod taxatum expressè reperietur per Statuta Ciuitatis, Terræ, vel loci, in quo, seu qua talia maleficia, vel damna data agitabuntur, sub pœna quadrupli eius, quod exigerit, vel acceperit. Mandantes omnibus, & singulis Capitaneis, Rectoribus, & Iusdicentibus, necnon Communitatibus, Consulibus, & Hominibus quarumcumq; Communitatum, & Terrarum, vel locorum nobis mediatè, vel immediatè subiectorum, quatenus præsens nostrum Decretum obseruent, & faciant inuiolabilitèr obseruari, prout iacet, & sine alia interpretatione verborum, non obstantibus etiam aliquibus Statutis, Decretis, & Ordinibus, & alijs quibuscumq; in contrarium facientibus, quibus in hac parte ex certa scientia, & de nostra plenitudine potestatis derogamus. In quorum testimonium

timonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xij. Nouembris MCCCCXLIII. Sed per prælibatum D. D. Philippum Mariam olim Ducem Mediolani &c. de anno MCCCCXLIIII. die xxiiij. Octobris conditum fuit aliud Decretum signat. Gunifortus reformans suprascriptum aliud Decretum conditum die xij. Nouembris MCCCCXLIII. In quo inter alia sunt ista formalia verba viz. Intelligendo sanè si incantata fuerit, vel non talis Notaria Maleficiorum, & damnorum datorum ; quod etsi plures personæ quotquot numero accusatæ, querelatæ, & denunciatæ, vel inquisitæ fuerint ex eodem maleficio, vel delicto tantùm, non fiat, neque recipiatur per ipsos Notarios per talium comparitionum, vel satisdationum, nisi perinde ac si vnica persona tantùm fuisset accusata, querelata, denunciata, vel inquisita, ac comparuisset, & satisdedisset ; à Communitatibus autem, Collegijs, vel Vniuersitatibus accusatis liceat accipere dupplicatam solutionem eius, quod singularis persona solueret, & pro pluribus bestijs repertis in damno, eodem modo fiat nisi vnica solutio Notarijs, ac si vnica foret accusa.

Quod Consilia Secretum, & Iustitiæ non præsumant scribere alicui Officiali circa reuisionem, seu suspensionem alicuius sententiæ criminalis ad Ducalem Cameram spectantis.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Per lettere signate di nostra mano propria, à voi scritte più mesi passati hauete inteso l'intentione nostra essere, che per voi, nè altri Officiali si douesse far suspensione, nè reuisione di cose criminali doue spettasse, & trattasse dell'interesse della Camera nostra. E benche da voi fossemo auisati, che da hora 'nanti obedireste dette nostre lettere, & che in aliquo non deuiaresseno della mente, & volunta nostra, & etiam che haueuate scritto alli Officiali per lo Dominio nostro, che simili modo hauessero ad osseruare, niente dimaneo persuadendosi, che voi habbiate obedito, ma pur per li altri Officiali secondo l'informatione hauemo, semo auisati essere fatto il contrario, & tenuto in suspeso sententie di processi criminali in non poco pregiuditio, & danno della Camera nostra non hauendo rispetto allo scriuere gli hauete fatto in nome nostro, nè anco, che detti Officiali habbiano à stare in fine dell'Officio loro al sindicato, & acciò che simili sententie, & processi non siano sospesi à petitione, & instantia de alcuno per lettere, siue rescritti fussero fatti, volemo, & commettemoui riceuuta questa vi ritrouate cum li nostri Consilij Secreto, & di giustitia, & gli diciate da parte nostra, che da mò in antea non presumano aliquo modo fare rescritto in lettera alcuna de reuisione in suspensione di cose doue si tratta dello interesse di essa nostra Camera per quanto hanno cato la gratia nostra. Similitèr volemo, che queste cause, siue processi, & sententie fusseno suspese, ouero auocate debbiate farle reuocare esse suspensioni, & procedere siano espedite sè la mutatione, ouero alteratione non impedisse, & maxime di cause criminali in ciuile, & auocationi dando ancora notitia di questo nostro scriuere à tutti li Officiali, quali amministrano ragione nel Dominio nostro, che osseruano questa nostra voluntà, saluo se non hauessino lettere signate di nostra propria mano, subiungendoli, che ritrouandosi veruno inobediente gli sarà fatta tale punitione, che sarà elempio ad altri ad obedire, & eseguire la voluntà nostra,

nostra, & acciò crediate questo procedere dalla mente nostra hauemo sottoscritto la presente di mano propria. Et nel scriuere farete à detti nostri Officiali commandare, che lassino le lettere gli scriuerete à quelli Officiali succederanno in l'Officio, & gli le presentano, acciò non pretendano de ignoranza di questa nostra voluntà, lassandogli la copia di questo nostro scriuere alli detti Consigli, & così à quelli nostri Officiali scriuete, ita che intendano questo nostro scriuere per sempre. Dat. Mediolani die tertio Ianuarij MCCCCLXXI. Signata manu propria Illustrissimi D. Principis. A tergo Egregio Doctori, & Nobilibus Viris Magistris Intratarum extraordinariarum nostris dilectis.

Quod Consiliarij vtriusque Consilij non auocent ad se causas ciuiles.

DVX Mediolani &c. Dilectissimi nostri. Questi tempi passati in diuerse volte hauemo hauuto non piccole querele, che ve tirate le cognitioni delle cause ciuili à voi, & fra voi ve ne facete la commissione. Del che ne sono seguite lamente, non solamente da questi del Collegio de Dottori de quella nostra Città, ma etiandio d'altre persone, non osseruandosi nè Ordini, nè Statuti come se dourebbe fare, & per questo nouamente il detto Collegio hà mandato da noi Messer Roglerio del Conte dolendosi della iniuria, danno, & pregiuditio grande, che se li fà per diuertirse le cause fora della sua natura contra la forma delli Statuti, & Ordini di detta Città. Similmente hà mandato il Collegio de Mercadanti D. Teodoro Piato, Ambrosio de Negri, & Vincenrio Rabbia lamentandosi ancora loro, che li suoi Statuti, & Ordini non gli sono osseruati, & il Notaro etiandio delle dette cause ciuili nominato Petro Rizolo è venuto da noi con querela, che per essere le dette cause diuertite fora dell'ordine suo el vene à perdere li salarij delle sentenze, & non porria pagare lo Incanto del Datio, quale rileua lib. viijmc. Imper. per duoi anni. De simili lamente ne sporgeno ancora li Procuratori, & altre persone. Et comprendendo noi, che perseuerando le cose in questa forma andariano di mal in pegio, deliberamo de prouederli, & disponemo al tutto, che li ordini della detta Città se osseruano, & non se faccia iniuria, nè danno à tante persone, per la qual cosa vi commandemo, & volemo, che da mò in ante niuno de voi se tira ad se alcuna commissione di cause ciuili, e priuate, nè accetta le dette commissioni, ma le commettiate, & lassate andare secondo li ordini suoi, saluo di quelle commissioni, quale vi facessimo per lettere nostre speciale signate di nostra mano, & questo vi commandiamo sotto la pena di ducati mille d'oro per ciascuno di voi, che contrafarà da esser applicata irremissibilitèr alla Camera nostra. Ben vi confortiamo à fare l'Officio vostro con ogni integrità, come richiede il debito vostro, & honore, & la dignità vostra. Et voi Secretarij vi commandiamo sotto la pena de ducati cinquecento non debbiate signare, nè sigillare lettere, che siano contrarie à questo nostro commandamento, anzi vi commandiamo ne debbiate auisare chi sarà colui, che proponerà, ò darà la voce sua per rompere questo nostro ordine, al qual contrafaciente faremo vltra la pena detta di sopra tale punitione, che sarà essempio ad altri. Dat. Papiæ quinto Februarij MCCCCLXXIII. Galeaz propria manu subscripsir. Cichus. A tergo Reueren., ac Sapientibus Viris de vtroque Consilio nostro dilectis, necnon Egregijs Viris Secretarijs ibi nostris.

Ordo

Ordo, & Cride, quod sententiæ, & acta fiant, & rogentur per Notarios causarum ciuilium Mediolani, aliter sint nullæ.

MCCCCLXXIII. Die Veneris xxvij. Augusti.

PER parte, e commandamento delli Magnifici Dottori di Legge Magistri delle Ducali Entrate straordinarie, in essecutione di lettere del nostro Illustrissimo Signore, date in Pauia die xx. Iulij 1473. Signat. Cichus, à loro direttiue. Si fà commandamento, & grida publica, che non sia alcuno Iusdicente, Commissario, Delegato, ò altra persona di qual stato, grado, dignitade, ò preminenza voglia si sia à chi sia fatto di presente, ò si farà in l'auenire; così per lettere Ducali, ò del Consilio Ducale Secreto, ò di Giustitia, ò di alcuno Auditore, ò Luogotenente, ò de Magistri ordinatij, ò straordinarij, ò altri Magistrati come altrimente, & in qual modo, e forma voglia, che sia alcuna commissione, vel delegatione di alcuna causa ciuile, vel che habbia origine da contratto vertente, ò che vertirà intra Cittadini di Milano, ouero Forastieri, ò altramente; così à sententiare, e decidere, come à riferire in la giurisdittione del Podestà di Milano però, nè debbia per alcun modo diretto, aut indiretto, saluo vt infra expedire, nè fare expedire, nè riceuere, nè far riceuere alcuni atti, nè sententie pertinente à tal commissione, vel dipendente da quelle per alcun' altra persona; che per li detti Notari delle Notarie ciuili, e che essi Notari soli habbiano la facoltà, e autorità di riceuere, scriuere, & ispedire tali atti, e trattare, e rogare tali sentenze, e in loro prouenga la vtilitade, e emolumento secondo la dispositione da loro data, & delli ordini Ducali, & che alcun'altro Notaro Cancelliere, ò altra persona, sia chi si voglia, etiam dato, che hauesse lettere speciali sopra di questo non osi, nè presuma per alcun modo impachiarse, nè intromettersi in riceuere, scriuere, nè espedire tali atti, nè sentenze pertinente vtsupra, sotto la pena à chi contrafarà specificata in li detti Ordini Ducali. Et vlterius, che tali atti, & sentenze riceuute, & espedite per altri, che per li detti Notari delle Notarie ciuili vtsupra, siano nulli, & di niun valore come etiam si contiene in li detti Ducali Ordini. Notificando ancora, che vltra la detta pena li prefati Signori Magistri condannaranno ciascuna persona, che contrafacesse alla presente grida à conseruare indemne ciascuno, che soportasse danno per la nullitade de detti atti, & sentenze, & oltra allo arbitrio suo, perche il prelibato nostro Signore dispone, e vuole, che li detti Ordini, e Incanto delle predette Notarie siano omnino obseruati.

Ancora che non sia alcun Capitano, Essecutore, & Officiale, che possa, nè debba amministrare rasone in cosa pertinente al ciuile, ma solo il Podestà di Milano, e suoi Giudici, e Consoli della giustitia, alli quali spetta debitamente tale amministratione sotto la detta pena, & guardasi à caduno bene inanzi, che chi contrafarà alla presente grida sarà irremissibiliter punito come è detto di sopra.

Togliamo, & exceptamo però le cause ciuili, che pendano, ouero si aggitaranno per l'auuenire per commissione, aut straordinaria potestate dauante ad essi Magistri, tàm ordinarij, quàm straordinarij doue si tratta dell'interesse della Ducal Camera, aut che habbia dependentia da essa Camera non s'intendano compresi in questa presente ordinatione, ò crida, immo in præmissis, & circa præmissa sia seruato il consueto &c. Signat.

Ordines

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Eo anno scilicet MCCCCLXVI. quo post felices dies Illustrissimi quondam felicis memoriæ Principis, & Clarissimi Domini Genitoris nostri obseruantissimi ad hunc Principatum assumpti fuimus, legitimis, probabilibusque causis, & rationibus nos mouentibus, suspendimus in nonnullis Dominij nostri partibus Decretum. aliàs de anno MCCCCLXI. per ipsum quondam Illustrissimum Principem Genitorem nostrum editum super describendis, & soluendis oneribus, tàm Cameræ nostræ, quàm alitèr necessariò incumbentibus, eo quidem animo, & intentione, vt rebus Status nostri meliùs compositis, & stabilitis, & ipso Decreto diligentiùs examinato, & in aliquibus necessariò videntur moderato, & limitato opportuna superinde prouisio accommodari posset, itaq; cum in præsenti res Status nostri, & Subditorum nostrorũ, diuina indulgentia, pace, & tranquillitate fruantur, & nos magnoperè cupiamus ipsos Subditos nostros in ipsis ferendis oneribus æqua lance, & sine discrimine omni cum moderatione gubernari, Decretum ipsum per Senatores vtriusque Consilij, & Magistratus nostros reuideri, & in nonnullis partibus moderari fecimus, & idipsum præsentibus insertum ad vos mittimus: Volentes, atque iniungentes vobis, vt ipsum nouum Decretum cum ipsis reformationibus, & limitationibus in locis illius Vrbis nostræ consuetis diuulgari, & publicari, & in volumine aliorum Ordinum, & Decretorum nostrorum inseri faciatis, & illud ipsum in casibus, quibus super eo comprehenduntur seruetis, & seruari faciatis, omni reuocatione in posterum suspensione si qua facta est in ista Ciuitate nostra, aut aliquibus Ducatus nostri Mediolani partibus, & vbi hactenus ipsum Decretum non obseruatum fuit, quod de cætero omnino obseruetur. Dat. Papiæ die secundo Octobris. MCCCCLXXIII. Signat. Christophorus. A tergo Egregio, ac Nobili, & Sapienti Doctori Potestati, necnon Vicario prouisionum Inclytæ Ciuitatis nostræ Mediolani dilectis nostris. Cito Cito, cum sigillo Ducali.

Tenor ipsius Decreti sic sequitur.

PRimo, quod quicumq; Ciuis etiã originarius, vel ex Priuilegio, qui habitet cũ familia sua, vel maiori parte familiæ suæ à Festo Sancti Martini cuiuslibet anni, vsque ad Calendas Iunij, vel aliqua parte ipsius temporis, quæ minor diebus octo continuis non existat in aliqua Terra, Castello, Burgo, Loco, Villa, Capsina, Hospitio, Molendino, vel Taberna nobis tàm mediatè, quàm immediatè subiecto, vel subiecta, siue ibi laborauerit, seu laborari fecerit terràs ad suas manus, siue non, & siue ibi fecerit aliquod exercitium, siue non, teneatur pro toto illo anno (saluo tamen ordine reformationis æstimi, quod quidem de quinquennio in quinquennium debeat reformari) ibidem contribuere ad onera ipsi loco per nos, aut Cameram nostram imposita, & imponenda, non autem ad alia alitèr incumbentia pro bonis, quæ ibidẽ habuerit, nõ tamen cũ villicis, seu cũ vicinijs, sed cũ Nobilibus si ibi aderint; vel separatim, nisi specialem haberet exemptionem, seu immunitatem. Circa autem onus salis seruentur ordines super sale specialitèr facti, vlz. vt leuare teneantur salem, vbi habitant, separatim tamen, & non cum Vicinis, seu cum Communi Terræ, in qua habitauit; cum hac tamen declaratione, quod id quod, supra decernitur de Ci-

uibus foris habitantibus, intelligatur de ijs, qui extra Ciuitatem reperirentur habitare post Festum Sancti Martini nunc proximi futuri, ad hoc, vt Ciuibus ipsis spatium relinquatur deliberandi vtrum foris, an in Ciuitate velint residere.

Item, quod quicumque, siue Ciuis, & habitans cum tota familia in Ciuitate, & ibidem estimatus, & oneribus contribuens, siue non, ab anno 1461., quo aliud Decretum super similibus oneribus conditum, & publicatum fuit citrà acquisiuerit, & in futurum acquiret titulo emptionis, donationis, transactionis, in solutum, aut in dotem datum, seu inuestitura libellaria, aut ex successione, vel legato, vel quouis alio modo bona aliqua immobilia existentia in aliqua Terra, Burgo, & vtsupra, pro quibus soluerentur in dicto loco onera, vel quæ essent æstimata in ipso Burgo, Terra, & vtsupra, etiam si taliter acquirens aliàs esset exemptus, vel immunis, teneatur, & obligatus sit pro futuro tempore dumtaxat in eodem loco vbi solui consuetum fuerat pro talibus bonis onera qualibet soluere; decernentes tamen, quod solutiones pro similibus oneribus hinc retrò virtute dicti Decreti facta, si qua facta sunt, valeant, & teneant, nec amplius repeti possint, & prædicta omnia locum habeant, & habere intelligantur in omnibus illis locis, & partibus Ducalis Dominij, in quibus dictum Decretum 1461. fuit suspensum, seu non obseruatum; vbi vero nulla facta est suspensio, & Decretum ipsum in viridi obseruantia fuit, Decretum ipsum MCCCCLXI. prout iacet obseruetur, & executionem habeat vsque in præsentem diem; pro tempore vero futuro, vbiq; locorum Ducalis dominij Decretum hoc nouum cum ijs moderationibus, & limitationibus locum habeat, & omnino obseruetur.

Item, quod ordines suprascripti solùm intelligantur, & locum habeant respectu onerum impositorum, ac in futurum imponendorum per nos, aut nomine nostro, vel successorum nostrorum, non autem respectu onerum, quæ per Communia Villarum, & locorum extra Ciuitates existentium imponuntur, sed in illis obseruentur Statuta Ciuitatum, & locorum, quibus non intendimus derogare.

Decretum super deriuatione aquarum.

CONsiderantes, tàm priuatam, quàm publicam vtilitatem, quæ quotidiè prouenit ex aquis, quæ eruuntur, & deriuãtur in Ducatu nostro Mediolani, non modò ad irrigationem pratorum, sed vsum quoque molendinorũ, quorum profectò magna quantitas annis superioribus aucta est, & in dies augetur, & intendentes pariter præcidere, ac è medio tollere multas ambiguitates, & contentiones, quę proinde inter Subditos nostros oriri possent. Tenore præsentium edicimus, statuimus, & decernimus, quod omnibus, & singulis habentibus ius, & facultatem aquæ deriuandæ, tàm ex fontanilibus, quàm aliter liceat ipsam aquàm deriuare, & conducere, seu deriuari, & conduci facere, cauando clusas, & alia quælibet necessaria faciendo per quascumque Terras, & possessiones cuiuslibet personæ, Communis, vel Vniuersitatis dicti Ducatus nostri Mediolani etiam decadente, & secùs vias publicas ad minus tamen damnum, & incommodum partium, ita quod liber sit ipsius aquæ decursus, ipsis tamen deriuantibus, & conducentibus prius soluentibus omne, & totum illud terrenum, quod occupabitur in ipsis cauamentis ad æstimationem duorum, vel plurium virorum in talibus expertorum

pertorum per partes eligendorum, & hoc tàm respectu pretij, & valoris rei, quæ occupabitur, quàm etiam damni dandi, quod æstimari possit vsq; in duplum, & non vltra, & quilibet conducentes, & deriuantes huiusmodi aquam, & quicumq; ea gaudentes teneantur, & debeant facere, & manutenere pontes, & foratoria, & aggeres, & alia necessaria, prout expediens fuerit, ita quod prædia, & possessiones aliorum ex ipsa aqua conducenda, maxime temporibus pluuiarum, non habeant inundare, aut aliquod damnum suportare, nec etiam stratæ, & viæ publicæ deuastari possint.

Decernentes tamen, quod nullus possit conducere aquā extra Ducatū Mediolani ad alia territoria Ciuitatum Domini nostri, nisi prius ipsa aqua seruiuerit molendinis, vel irrigationi pratorum Ducatus Mediolani, quibus commodè seruire possit, nec etiam conduci, aut deriuari possit aqua prædicta extra dominium nostrum sine nostra speciali licentia, sub pœna amissionis cuiuscumq; iuris, quod habuerit, seu habuerint ille, vel illi, qui præsenti Decreto contrafecerit, vel contrafecerint. Die xviiij. Nouembris 1473.

Decretum pro obseruatione alterius Decreti editi de anno 1461.14. *Februarij*.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Quamuis his proximis diebus ad vos dederamus litteras cum inserto eis nouo Decreto, & nonnullis in eo appositis limitationibus, & declarationibus, quæ reformare videbantur Decretum alias per Illustrissimum felicis recordationis Principem Genitorem, Dominumque nostrum obseruantissimum de anno MCCCCLXI. die xiiij. Februarij elapsi editum, nonnullis tamen postmodum dignis respectibus, legitimisque causis adducti, vt præsertim nequid imputatum videatur ex ijs, quæ in materia ipsius Decreti MCCCCLXI. viuente ipso quondam Domino Genitore nostro seruabantur, & fieri solebant, prout fieri in præsentiarum, & seruari omnino intendimus sicuti omnibus Ciuitatibus Dominij nostri per earum Oratores ad nos nuper deseruatos declarari fecimus. Volumus, & per præsentes vobis iniungimus, & mandamus, quod ipsas litteras, & nouo Decreto, siue reformatione, aut aliquibus suspensione nomine nostro emanatis nequaquam attentis circa, & omnia, quæ in ipso Decreto MCCCCLXI. continentur, illud idem ad vnguem obseruetis, & obseruari omnino faciatis in Ciuitate ista nostra, eiusq; Diœcesi, prout & quemadmodum obseruabatur, & fieri consueuerat viuente ipso Illustrissimo Domino Genitore nostro, & ita has nostras litteras, & hanc mentem nostram in ipsa Ciuitate, & locis consuetis publicari, & obseruari inconcussè faciatis. Dat. Vigleuani die nono Decembris MCCCCLXXIII. Signat. Christophorus. A tergo Egregio Viro, ac Nobili, & Sapienti Doctori, Potestati, necnon Vicario prouisionum Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani, cum sigillo Ducali consueto.

Remissio condemnationum realium, & personalium à tempore introitus Illustrissimi D.D. Ducis Galeaz Mariæ Sfortiæ Vicecomitis retro.

GAleaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Tametsi naturalitèr, & ingenio nostro ad clementiam, & benignitatem erga Subditos omnes nostros exercendam semper prompti fuerimus, ac simus, tamen vbi Excellentissimæ Consortis nostræ postulatio intercedat, eò sumus ad ei com-

 placendum

placendum alacriores, quo iustius omnia, sanctiusq; ab ipsa poscuntur. Igitur cum ab eadem Illustrissima Consorte nostra rogati fuerimus, vt Subditis quibuscumque nostris, qui varijs ex criminibus ante felicem nostram in hoc Dominium assumptionem temporibus viz. Illustrissimorum Dominorum Prædecessorum nostrorum, tàm realitèr, quàm corporalitèr condemnati fuerunt aliquam benignitatem exerceamus. Tenore præsentium Subditis ipsis nostris quibuscumque cuiusuis status, & conditionis existant omnes, & singulas condemnationes reales, personales, atque mixtas contra ipsos quomodolibet ante assumptionem nostram, & temporibus præfatorum Illustrissimorum Dominorum Prædecessorum nostrorum factas, & declaratas, nostræque Cameræ quomodolibet spectantes liberè, ac plenariè remittimus, relaxamus, & condonamus, itaut neque per Magistros Cameræ nostræ, neque per alios Officiales nostros aliquo modo, iure, via, & forma arceri, molestari, aut quoquo pacto vexari possint. Remittentes paritèr, indulgentesque, & amplam gratiam facientes quibuscumq; quacumque causa, temporibus vtsupra corporalitèr condemnatis, itaut tutè, liberè, & impunè in Dominium nostrum redere, ibiq; aliquibus eiusmodi condemnationibus non attentis sine aliquo metu mortis morari, practicare, atque habitare possint, & valeant non alitèr, quàm si aliquæ condemnationes contra ipsos secutæ non fuissent, quas quidem remissiones, & gratias ijs tamen cum conditionibus facimus, vt tertiarum personarum iura reseruata omnino esse intelligantur, & qui in dominium nostrum redeundi gratiam habere voluerint, pacem antea cum offensis habuerint, dummodo nihil tamen contra personas, Statum, vel honorem Illustrissimorum Prædecessorum nostrorum, & nostrum commiserint quoquo pacto, vel temptauerint, quo casu nolumus ipsos, aut ipsorum aliquem huiusmodi gratia nostra frui posse, nisi id per speciales litteras nostras a nobis ei concessum fuerit; reseruato identidem si quis occasione introitus nostri ordinarij Cameræ nostræ obligatus foret, & si quis in præsentiarum coràm Iudicibus, & Officialibus nostris, quamuis pro veteri crimine, inquireretur. Mandantes Magistris Intratarum nostrarum extra ordinariarum, vt has nostras gratiæ litteras in libris Cameræ nostræ, & inter reliquos Ordines, & Decreta nostra inseri, registrari, obseruarique faciant, necnon & per totum dominium nostrum publicari, & condemnationes eiusmodi quascumque ex libris Cameræ nostræ liberè cancellent, annullent, & cancellari, & annullari faciant; iubentesque cæteris Magistratibus nostris, Officialibusque omnibus, vt has easdem firmitèr obseruent, faciantq; sub nostræ indignationis pœna inuiolabilitèr obseruari. In quorũ testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique impressione sigilli muniri. Datum ex Castro nostro Portæ Iouis Mediolani die xvj. Martij MCCCCLXXIIII. Signat. Fabricius, cum sigillo Ducali consueto.

Additio, seu declaratio suprascripti Decreti.

DVX Mediolani &c. Perche sempre è stato, & è nostro desiderio di fare, che li nostri Sudditi viuano pacificamente, & in tranquilità, hauemo nuouamente conclusa buona intelligenza, & lega con la Illustrissima Signoria di Venetia, & Eccelsa Communità di Fiorenza, come deno essere informati, & perche caduno de nostri Sudditi possa viuere in pace trà loro, & senza dubio, nè ombrezza, ricordandosi Noi essere infiniti processi pen-
denti

denti fatti nante la assontione nostra à questo nostro Stato, quali fanno viuere molti di essi nostri Sudditi in paura per delitti vecchi, & eccessi commessi da loro, hauemo deliberato rimettere ancora, & perdonare detti processi, quali li di passati in alcune altre nostre remissioni facessimo riseruare. Però te mandiamo inclusa à questa la forma di vna Grida circa questo, quale volemo sia subito publicata in quella nostra Inclyta Città, & per tutto il Dominio nostro, & così tù da mattina ordinarai, che sia solennemente publicata per tutti li luoghi consueti di quella Città, & ne auisarai poi di quanto sarà fatto. Ex Villanoua die xxj. Nouembris MCCCCLXXIIII. Signat. Fabricius. A tergo Egregio Viro Ioanni Simonetæ Secretario nostro dilectissimo cum sigillo Ducali consueto.

Forma cridæ sequitur.

PER parte dello Illustrissimo, & Eccellentissimo Prencipe Galeaz Maria Sforza Visconte Duca di Milano &c. di Pauia, & Angleria Conte, di Genoua, & Cremona Signore. Si fà noto, & manifesto, che essendo continuamente stata ferma intentione, & proposito di Sua Eccellenza reggere, & gouernare questo suo felice Dominio, & Sudditi in pace, & tranquilità, & preseruarli da ogni molestia, & tribulatione per quanto à Sua Eccellenza sia possibile, hauendo quella à questo fine formata, & conclusa bona intelligenza, & legà con la Illustrissima Signoria di Venetia, & Eccelsa Communità di Fiorenza, come vniuersalmente si può essere inteso per volere Sua Illustrissima Signoria, oltra il commun bene, & vtilità, e riposo, che hà da seguire dalla predetta intelligenza al Stato suo generalmente prouedere ancora, che li suoi Sudditi particolarmente viuano pacificamente, & tranquillamente trà loro medesimi. Et acciò così in specie, come in genere ogn'vno senta, & goda del bene, & frutto di detta intelligenza. Ricordandosi Sua Eccellenza trà alcune remissioni, & perdonationi fatte alli dì passati di tutte condannationi, & delitti fatti nante l'assontione sua in questo felice Stato non essere stati rimessi, nè perdonati li eccessi, delli quali apparessino processi pendenti, & inespediti, trà li quali ne sono infiniti ancora non commenzati à liquidarsi, nè conoscere. Sua Eccellenza con clementia, & benigno motu proprio, & spontaneamente, & à fine di far viuere li suoi in contentezza, come è detto di sopra. Per questa presente Grida, & publicatione rimette, & perdona liberamente tutti predetti delitti, & eccessi, delli quali come è detto pendessino processi nante l'assontione sua in questo felice Dominio non commenzati à conoscere, nè à liquidare, come è detto di sopra, contentandosi, che qualunque fosse absente dal Dominio suo per casone di detti delitti, & processi, & non potesse senza special gratia ritornare, se intenda ex nunc habere amplissima gratia, & liberatione, & possano liberamente ritornare, & venire nel Dominio suo sicuramente, senza, che per alcuno suo Officiale li possa essere dato impacchio, nè molestia alcuna, commandando etiam à tutti, & singuli suoi Officiali, che liberamente cassino, & annullino detti processi pendenti, & osseruano questa presente Grida non altramente, che se fosse generale gratia, & Decreto.

DVX Mediolani &c. Dilecte noster. Pro amputanda corruptela quadam, quam in hac Vrbe nostra in non mediocrem ciuium ibidem nostrorum iacturam vigere intelleximus circa citationum, & præceptorum materiam, quæ in dies in Vrbe ipsa transmittuntur. Decretum condidimus tenoris his inclusi, à Spectabilibus Consiliarijs nostris Iustitiæ diligentèr, & maturè examinatum, quod quidem cum omnibus innotescere, ac inuiolabilitèr obseruari intendimus, volumus, quod illud in locis Vrbis prædictæ consuetis publicari, & in volumine aliorum Decretorum nostrorum describi faciatis. Datum Mediolani die decimo Decembris MCCCCLXXIIII. Signat. Ioannes Antonius. A tergo Egregio Viro Potestati nostro Mediolani dilecto.

Tenor Decreti.

Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriaq; Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Quia nostras sæpenumero cogitationes ad ea conuertimus, quæ aliquam Ciuibus, & Subditis nostris vtilitatem allatura, vel iacturam, detrimentumque sublatura existimamus, ac ad rectum inter sese viuendi modum pertineant; ideò cù in Inclyta Vrbe nostra Mediolani abusum quendam, & corruptelam inualuisse ex plurium querimonijs acceperimus, ex quo non modicum sæpius dispendium eis Ciuibus affertur, quod videlicet citationes pro conficiendis aliquibus actis coram Officialibus, & Iusdicentibus Vrbis ipsius, necnon præcepta, quibus aliquid peragendum mandatur, & comparendi terminus in casu grauaminis statuitur illa plerumq; hora, & aliquando etiam post horam ipsam fraudolentèr transmittuntur, qua actus ipsos faciendi, & vt prædictum est comparendi terminus præfigitur, nec ipsa præcepta ijs, neque eorum domibus relinquuntur, quibus ea fieri contingit, propter quod ij multotiens, qui citantur, & quibus præcepta destinantur nullam de citationibus, aut præceptis ipsis notitiam habentes, & propterea non comparentes, ingentem exinde iacturam veluti contumaces habiti patiuntur. Deliberamus opportunam ipsi rei prouisionem adhibere, ex qua publicæ vtilitati consulatur, deceptionibusque, ac calumnijs occurratur. Præsenti igitur Decreto nostro, quod pro lege obseruari intendimus, statuimus, & decernimus, quod aliquæ citationes, aut præcepta (exceptis derobandi, & personales captiones faciendi præceptis) non possint amplius cuipiam transmitti vna die pro actu aliquo faciendo, aut sententia ferenda, vel comparendo eadem die, nisi in tertijs transmittantur, & terminus actus faciendi, & sententiæ proferendæ, ac comparendi in vesperis statuatur, & hoc quidem si ij, qui vocandi sint, in Ciuitate ipsa Mediolani, & eius Corporibus Sanctorum commorant. Si vero extra Ciuitatem ipsam, & Corpora Sanctorum habitauerint, volumus, quod citationes ipsæ, & præcepta cum termino eodem die comparendi nullatenus transmitti possint, dimittanturque citationes ipsæ, & præcepta per copiam ijs, quibus transmittuntur, vel fiunt, aut domi eorum habitationis, aut in locis ad quæ transmittuntur; & terminus comparendi in præceptis ipsis apponatur, & exprimatur, si ex præceptorum ipsorum natura in eis terminus aliquis statuendus sit, pariformitèr etiam quorum-

cumque

cumque praeceptorum faciendorum realium, aut personalium executionum copia, vel ijs dentur, & dimittantur contra quos eiusmodi executiones fient, vel domi eorum habitationis, vt de executionum ipsarum causis notitiam habere possint, & si aliter factum fuerit, citationes ipsa, & praecepta, cum sequutis exinde, nullius sint valoris, & momenti, & quo ad premissorum in citationibus, & praeceptis obseruationem relationibus seruitorum, qui eas detulerint stetur. Praedicta, aut de citationibus vt supra decreta locum non habebunt in causis Datiarijs, in quibus Camerae nostrae ordines, & consuetudines obseruari intendimus, nec etiam in citationibus in causis cridarum transmittendis, in vltimis quidem diebus terminorum ex prouisionibus superinde editis praefixorum ad dandum iura inscriptis, & reliqua abinde dependentia faciendum, quoniam in huiusmodi causis angustia sepè temporis longas dilationes non patitur. In quorum testimonii &c. Dat. Mediolani die decimo Decembris MCCCCLXXIIII. *Signat. Ioannes Antonius.*

Decretum de rectè administrando Iustitiam.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. E sempre stata nostra intentione, & è, che alli sudditi nostri sia ministrata ragione egualmente senza hauer rispetto à cosa alcuna eccetto, che alla giustitia, la qual cosa quantunque crediamo essere manifesta à cadauno del Dominio nostro, nondimeno per più loro certezza, e per rimonere ogni dubio se alcuno forsi dubitasse, che per nostra casone, ò difetto delli nostri Officiali aliquando si hauesse rispetto alla vtilità della nostra Camera, & se procedesse contro giustitia per far l'vtile della Camera. Vi declaramo, che intentione nostra è, che'l se habbia rispetto solùm alla giustitia; come hò detto, si che in quibuscumq; causis, in le quali vi accaderà procedere, tàm ex officio, quàm ex commissione, volemo, che non habbiate risguardo alcuno, nisi alla ragione, ita che niuna delle parti, seu di qualonque occorrerà in causa venga à patire ingiuria, nè ingiustitia, & per modo che non si fauorisca più l'vna parte, che l'altra per fare vtilità à noi, & alla Camera nostra. Et perche porria alcuna volta accadere qualche causa, ò caso, il quale saria per qualche rispetto degno di consideratione, e moderatione, licet per dispositione delli Decreti nostri, e stretto rigore di giustitia se gl'imponesse graue pena. Volemo, che in similibus da poi habbiate data sentenza, e declarato secundum iuris, formam, & dispositionem ipsorum Decretorum ne auuisiate per vostre lettere de statu causae con il parere vostro, hoc est, quod agendum esset ex forma iuris, quid ex honestate, & aequitate con li rispetti, e circonstanze, che possano aggrauare, aut alleggerire il delitto. Questa nostra mente, & ordine volemo sia osseruata ad vnguem non solum per voi, ma etiam per tutti li altri Officiali del Dominio nostro, alli quali hauemo scritto il simile. Si che esequirete quanto è detto, come si confidiamo in la rettitudine vostra. Certificandoui, che sel accaderà per voi essere trasgredito in praemissis, il che non credemo, ne darete materia di prouederli, oltra che noi però faremo sempre discaricati in la conscienza vostra. Ex Vigleuano die vigesimo octauo Martij MCCCCLXXV. Signat. Fabricius.

Quod

Quod testamenta, vltimæ voluntates, & donationes causa mortis exequantur.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Sentientes multifariam executiones testamentorum, vltimarumque defunctorum voluntatum sæpiùs impediri, quod conscientiæ, & animarum eorundem defunctorum oneri permagno cessurum arbitramur. Ideò pro prouisione super hoc adhibenda edicimus nuper Decretum, cuius copia est præsentibus annexa. Volentes, ac vobis mandantes, quod in solitis, consuetisque locis istius nostræ Ciuitatis illud pub. per publicũ proclama, atq; in volumine, & numero aliorum Decretorum nostrorum inseri, & describi, atque obseruari quamprimum faciatis, de ipsoque notitiam detis per litteras vestras omnibus, & singulis Feudatarijs vestris nostri Ducatus Mediolani. Ita quod omnes apertè intelligant quemadmodum sese gerere habeant, & nemo ignorantiam prætendere possit. Dat. Papiæ die xxvij. Iulij MCCCCLXXV. Signat. Christophorus. A tergo Nobili, & Sapien. Doctori, Vicario nostro prouisionum Communis nostri Mediolani. Cito Cito, & sigillata Ducali sigillo consueto.

Tenor Decreti sequitur.

GAleaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriaq; Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Quoniam plerumq; contingit, quod testamenta, donationes causa mortis, ac reliquæ vltimæ defunctorum voluntates per Magistratus, & Officiales nostros vlla absq; rationabili causa, nedum executioni nõ demandantur, quin immo eorum executionem, quam sæpè retardantur, & impediuntur. Nos, quos Subditorum salus sedulò sollicitat, æquum, & necessarium esse putamus tali modo tali morbo opportunam medelam inuenire, modumq; omnem adhibere, quod ipsæ vltimæ voluntates, quàm celeriùs fieri queat omnimodam sortiantur effectum sic, & defunctorum conscientiæ, & animarum exonerationi, & piæ voluntati, quàm dignè, peropportuneq; prouidebitur. Per has igitur nostras, quàm vim firmi, ac validi Decreti omnino fortiri volumus, edicimus, sancimus, & iubemus, quod nullus Senatus noster, Magistratus, aut Officialis ex quibuscumque Iusdicentibus nostris, vel Feudatarijs, aut eius Officialis, aut à nobis, vel ab aliquo eorum Delegatus quacumque fulgeat dignitate, vel præditus sit potestate audeat, vel præsumat ipsorum defunctorum testamenta, legata, seu donationes causa mortis legitimè confecta, seu confectas, vel aliter quomodocumque in eis legitimè disposita infringere, aut quouis modo harum executionem impedire, sed ipsas vltimas voluntates legitimè confectas vt supra teneantur ij ad quos quomodocumq; spectet, postquam fuerint legitimè requisiti, exequi quàm celeriùs fieri possit, vlla absque prorsùs cauillosa, vel sinistra interpretatione, & nisi illa, vel ea, quæ menti testatoris legitimè deseruiat admissa, ac inde, & pro ipsis vltimis voluntatibus, de quibus prædiximus per quemcumque ex Magistratibus, Officialibus, & Iudicibus prædictis procedatur summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, omni prorsùs cauillosa interpretatione, & declaratione cessantibus, ac friuolis quibuscumque exceptionibus omnino reiectis, nec quisquam præterea ex Magistratibus, Feudatarijs, Officialibus, aut alijs Iusdicentibus prædictis

præsum at

præsumat quouis modo directè, nec per indirectum alicui inhibere quin quisquã in territorio nostro possit, & valeat, prout maluerit legitimè testari, aut donationes causa mortis, vel alias quasuis vltimas voluntates legitimè conficere, & prædicta omnia volumus vesupra obseruari, nisi per litteras nostras manu nostra subscriptas secùs sibi fuerit iniunctum; si quis autem hanc obnixam mentem nostram negligere, aut contra eam venire præsumpserit; pœnas contra iuris dispositionem contemnentes editas se nouerit incursurum. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli munimine roborari. Dat. apiæ die xx. Iulij MCCCCLXXV. Cichus.

Remissio contrafactionum factarum Decreto nouennij bonorum Ecclesiasticorum.

PER parte del nostro Illustrissimo Prencipe, & Eccellentissimo Signore nostro Signore Galeaz Maria Sforza Duca di Milano &c. Si fà publico, & manifesto, che intendendo Sua Eccellenza molti hauere contrafatto al Decreto del MCCCCI. de dì xx. di Maggio circa lo inuestirsi de nouennio in nouennium de beni Ecclesiastici, le quali inuestiture cedano in grandissimo danno, & pregiuditio alle Chiese, & altri luoghi Pij, & intendendo quanto prudentemente, & santamente detto Decreto fù fatto per gli Illustrissimi, & Eccellentissimi Signori suoi predecessori per obuiare, che le cose Ecclesiastiche non andassero in precipitio, & ruina, come molte volte si trouano essere andate per mancamento, & difetto di dette inuestiture, Sua Eccellenza per detti rispetti hà di nuouo confirmato, & conualidato il predetto Decreto, & ordinato, che per dare esempio à tutti gli altri quali hauessino contrafatto, ne patischino condegna punitione secondo in la confirmatione del detto Decreto fatta in l'anno presente adì xviiij. di Agosto si legge, nientedimeno la prelibata Sua Eccellenza, hora per vsare verso li Sudditi suoi generalmente clementia, & benignità com'è sua natura, hà perdonato, & rimesso, & così perdona liberamente, & etiã rimette ogni contrafattione, che per il passato fosse fatta del predetto Decreto, & vuole che qualunque si ritrouasse fin' al dì presente hauer contrafatto vt supra, sia liberato totalmente, & non li sia dato per casone di detta contrafattione, alcuna molestia, & così per la presente grida si fà libera remissione, & liberatione à tutti in genere, & in specie per casone di essa contrafattione vt supra. Commandando però Sua Celsitudine, che da hora inanti detto Decreto sia osseruato, prout iacet, sotto la pena in esso contenuta, & questo per rimouere la via di fraudare, spogliare, & ingannare le Chiese, & luoghi Pij, facendo appertamente intendere à tutti, che se per l'auuenire sarà trouato alcuno hauer contrafatto dal dì presente inanti, & non hauer seruato la forma del predetto Decreto, come è detto di sopra, si procederà contro di lui irremissibilmente, & da quello si esiggerà integralmente la pena, che si contiene nel detto Decreto. Signat. Fabricius.

Quod aliquid non accipiatur ad portas, nec redefossa.

MCCCCLXXVI. Die xiij. Februarij. Essendosi per più, & diuerse querele di molte, & molte persone intese le grandi estorsioni si fanno, & commettono, così per li Contestabili delle Porte di questa Città, come suoi Fanti, &

per

per li Officiali delli Datijstano, & sono deputati così alle Porte, come alle poste delli redefossi in richiedere, volere, & togliere vino, biada, legna, fieno, paglia, calcina, oue, pesci, polli, frutti, & herbe, & altre ortaglie, & cose quando accadano essere condotti ad essa Città, contro gli ordini, & ogni honestà, & in detrimento di quelli sono le dette robbe, & deliberando li Spettabili D. Magistri delle Intrate in esecutione del mandamento del nostro Illustrifs. Signore far sopra di ciò la opportuna prouisione, & obuiare à tali insolenze, & presontioni, non essendo lecito per modo alcuno di così fare.

Si fà publica grida, & commandamento in cadun luogo consueto, & vsato del antedetta Città, & suoi Borghi, in modo possa peruenire à notitia di caduno. Che niuno delli antedetti Contestabili, Fanti, & Officiali per alcun modo diretto, nè per indiretto, nè ancora per interposita persona da quest'hora inanti non ardisca, nè presuma richiedere, nè togliere, nè in piccola, nè grande quantità alcuna delle predette cose, sotto pena à caduno, che presumarà di cõtrafare al modo predetto di duc. 50. d'oro, da essere applicati alla Ducal Camera à caduno sarà habile, & potẽte à pagarli, & chi non la potrà fare, & pagare, di botte quattro di corda per caduna fiada haueranno hauuto ardire di contrafare, in la qual pena caduno se intenda essere incorso al modo predetto cumprimũ haueranno contrafatto irremissibilitèr, & così li contrafacienti saranno omnino puniti. Signat. Io. Franciscus, Ioannes Bornel, Ioannes Facius, cum sigillo suo consueto.

Declaratio sicut Ioannes Iacobus de Gallinis fuit filius D. Ioannis Francisci, & erat sufficienter litteratus.

GAleaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Accepimus supplicationem Petri de Laudæ Ciuis nostri Mediolani subscriptam per Luchinũ de Laudæ, cuius supplicationis tenor sequitur hoc modo vlz.

ILlustrissime Princeps. Nunc quondam Ioannes Franciscus de Gallinis olim Ducalis Secretarius obtinuit pro se, suisque filijs legitimis legitimè descendentibus sufficientèr litteratis priuilegium à Cæsarea Maiestate creandi Notarios, & legitimandi &c. in ampla forma, cuius Priuilegij vigore, & etiam cum licentia Dominationis Vestræ vester fidelis seruitor Petrus de Laudæ Ciuis Mediolani anno 1443. per nunc quondam Ioannem Iacobum filium legitimum, de legitimo matrimonio dicti quondam Io. Francisci, vt dicitur, sufficientèr litteratum, legitimare fecit, & natalibus restitui Christophorum de Laudæ eius exponentis tunc filium illegitimum vlz. natum ex eo exponen. tunc, & nunc coniugato, & ex Ioanna de Cerudis tunc non coniugata, & prout in instrumento superindè confecto continetur, tradito per Dominum Ambrosium Cagnolam Notarium, & Causidicum Mediolani, quam legitimationem fieri fecit attento quod dictus exponens alios descendentes non habebat, nec habet, & cupiebat ipsum filium suum habere in filium legitimum. Et quia à certis diebus citra subtilitèr disceptatum fuit super validitate, & inualiditate legitimationum, dictus exponens, qui cupit, quod dictæ legitimationi contrairi non posit, ipsam legitimationem examinare fecit, & sibi dictum fuit, quod ipsa legitimatio est solennis, & bona si ita est, quod ipse Ioannes Iacobus Comes Palatinus esset sufficientèr litteratus, prout requiritur ex forma

forma dicti Priuilegij Imperialis, & ipse exponens à pluribus petijsse de ipsa sufficientia, & sibi dictum fuit, quod ipse Ioannes Iacobus erat sufficientèr litteratus; dictus autem exponens non vellet, quod aliquo tempore vellet infringi ipsa legitimatio, allegando, quod necesse fuisset ipsum Ioannem Iacobum esse sufficientèr litteratum, scilicet talitèr, quod intelligeret derogationes legum, & iurium, quas fecit in ea legitimatione, & ad tollendam istam dubitationem pro eo, quod ipse exponens cupit, quod ipsa legitimatio sit valida, alitèr, quod aliam nouam legitimationem fieri faceret, deliberauit recursum habere ad fontem D. V., supplicando, prout humilitèr supplicat dictus Petrus de Laude Celsitudini Vestræ, vt, præmissis attentis, dignetur per eius opportunas, & patentes litteras ex certa scientia, & de potestatis plenitudine declarare dictum Ioannem Iacobum Comitem Palatinum fuisse filium legitimum, & de legitimo matrimonio dicti quon. Io. Francisci, & ipsum tempore dictæ legitimationis, & ante per plures annos, & vsque ad eius obitum fuisse sufficientèr litteratum talitèr, quod potuerit vti ipso Priuilegio in legitimando, & declarare dictæ legitimationi contrairi non posse aliquo futuro tempore sub prætextu, quod allegari vellet dictum Ioannem Iacobum non fuisse sufficientèr litteratum, prout requiritur ex tenore priuilegij, & hæc omnia aliquibus Statutis, Decretis, Legibus, & Ordinibus in contrarium disponentibus (etiam non obstante Decreto bono motu edito anno MCCCCXXIII. die sexto Octobris, quod incipit Prouidere volentes) non attentis, quibus in hac parte D. V. derogare dignetur.

Cuius tenore considerato, & attentis informationibus superinde sumptis de nostri mandato per Dominum Ioannem Angelum Auditorem nostrum, per quas nobis constat de veritate narratorum in memorata supplicatione, volentes laudabili proposito dicti Petri de Laudæ Supplicantis annuere, harum serie ex certa nostri scientia, & de nostræ plenitudine potestatis declaramus dictum Ioannem Iacobum de Gallinis fuisse filium legitimum, de legitimo matrimonio dicti quon. Io. Francisci, & tempore dictæ legitimationis, & ante per plures annos, & vsque ad eius obitum fuisse sufficientèr litteratum, talitèr, quod ipso priuilegio in legitimando vti potuerit, & dictæ legitimationi, vt præmittitur factæ, contrairi non posse aliquo futuro tempore, sub prætextu, quod allegari vellet dictum Ioannem Iacobum non fuisse sufficientèr litteratum, prout requiritur ex forma priuilegij prædicti, & hæc omnia ijs de quibus supra fit mentio in contrarium disponentibus non attentis, quibus in hac parte derogamus, & derogatum esse volumus. Mandantes quibuscumque Officialibus, & Iusdicentibus nostris, ad quos spectat, & spectabit, quatenus has nostras litteras obseruent, & inuiolabilitèr faciant obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Papiæ die vltimo Iulij MCCCCLXXVI. Signat. Io. Angelus cum sigillo Ducali consueto.

Pro incantamento Datiorum annullato, & quod victualia possint conds ci sine Datio, & extortis indebitè restituantur, & carcerati relaxentur.

MCCCCLXXVI. Die Iouis xxvj. Decembris. Essendo seguito l'acerbissimo, & miserando caso della morte dello Illustrissimo quondam Sig. Duca Galeazo nostro Signore, alla cui anima Dio perdona, per stabilire, & conseruare

conseruare questo Stato alla obbedienza dell'Illustrissima Madonna Bona Duchessa olim sua Consorte, & lo Illustrissimo Sig. Gio. Galeazo Duca suo figliuolo, & legitimo successore, & suoi figliuoli, & per ordinatione, & deliberatione fatta per li Reuerendi, & Magnifici Domini del Dueal Consilio Secreto, & confirmati per la prelibata Illustrissima Domina Duchessa à suo nome, & del prelibato Illustrissimo suo primogenito, & Duca &c. sono fatte, & stabilite le infrascritte prouisioni.

Et primo per Gride publiche, & solenni, che ciascuno possa condurre, & far condurre alla Città di Milano, & Borghi vittuaglia d'ogni maniera senza pagamento del Datio, & alli Datiari sarà fatto debito ristoro per fin che sara ordinato altro.

Item, che'l sij leuato, & tolto via in tutto lo incantamento delli Datij della Città, & Ducato, & per tutto il resto del dominio, & questo sij in perpetuo.

Item, che tutti li prigionieri, & carcerati per debiti, & condannationi pecuniarie criminali, siano liberamente rilasciati.

Item, che à qualunque persona di qual grado, stato, & conditione voglia si sia à chi sia estorto indebitamente danari, ò robbe, & sustantia alcuna li sia restituito, & satisfatto integralmente.

Item, che tutti quelli, che restano creditori, & che hanno seruito al prefato quondam Signore, & sua Camera siano sodisfatti integralmente.

Et sopra queste due cose soprascritte saranno deputati quattro Notabili Cittadini, che haueranno ad intendere, & fare con effetto quanto è detto, & ordinato.

Item, che à tutti li Feudatarij, Castellani, & Nobili, che hanno pagati li dinari del sale per li suoi huomini, & Sudditi li siano restituiti di presente senza eccettione alcuna. Signat. Christophorus.

Remissio condemnationum factarum occasione victualium, stratarum, bulli, Camparia, venationum spectantium Camera.

MCCCCLXXVII. Die Mercurij primo mensis Ianuarij. Perseuerando ogni di la Illustrissima, & Eccellentissima nostra Madonna Duchessa &c. in far tutte le dimostrationi d'humanità, clemenza, & liberalità verso li suoi Cittadini, & Popoli, in questo solenne dì di anno nuouo hà fatto, & fà libera gratia, & plenaria remissione, per quanto spetta, & partiene alla sua Ducal Camera, di tutte, & singule condannationi fatte da quì indietro in tutto il suo Dominio per casone di vettouaglie, strate, bollo, camparia, & venatione, & così per virtù, & vigore della presente grida, & proclamatione, sua Illustrissima Signoria le hà per cassate, cancellate, & annullate, & similmente ogni processo pendente per dette casoni, & queste vltra le altre gratie fatte dal dì che morì lo Illustrissimo Sig. q. suo Consorte fin à quest'hora, & con ferma intentione, & dispositione di fare anche di meglio per lo auuenire à consolatione, pace, & tranquilità de tutti li suoi Sudditi. Sig at. Christophorus, cum sigillo Ducali consueto.

Quod arma vetita non portentur, & nullus vadat de nocte sine lumine.

PER conseruatione del publico bene, & acciò che ogn'vno attendi à ben viuere, & à contenersi da scandali, & inconuenienti, per parte della Illustrissima,

Illustrissima, & Eccellentissima Madonna Bona Duchessa nostra di Milano honoranda &c. S'ammonisce, & commanda per la presente grida, che niuno sij chi si voglia, eccetto li Officiali, & Soldati deputati) ardisca, nè presuma così di notte, como de dì in questa sua Inclyta Città di Milano, & Borghi portare alcun'arma prohibita senza licenza speciale di sua Signoria, ò del suo Consiglio Secreto, ò delli Collaterali.

Item, andare per la Città senza lume di notte doppo la terza campanna, sotto pena di quattro tratti di corda ipso facto. Et vlterius all'arbitrio di Sua Eccellenza à ciascuno, che contrafarà. Auisando ogn'vno, che da mò inanti sarà fatto diligente inquisitione, & chi non obbedirà sarà bene annotato, & punito senza alcuna remissione. Signat. Christophorus.

Quod debita, quæ sunt Cameræ ab anno MCCCCLXVI. retro sint cancellata.

MCCCCLXXVII. Die xv. Ianuarij. Per impositione, & mandamento delli Magn. S S. Magistri delle Ducali Entrate straordinarie, in essecutione di lettere Ducali de dì xij., & xiiij. del presente sig. b. c., si fà notitia, & publica grida come la Illustrissima, & Eccellentissima Madonna, mossa di sua solita clementia, & ottima dispositione verso i suoi Sudditi. Vuole, ordina, & . . la presente delibera, che tutti li debiti vecchi sono alla Camera de su . . gnoria dall'anno 1466. indietro, cioè, dal decesso della recolenda memoria dell'Illustrissimo quon. Duca Francesco indietro, siano penitùs cancellati, & annullati. Ita, che in futurum se gli metta perpetuo silentio, & mai si possa scodere, come se non fossino mai stati contratti, & stati in essere; certificando detti suoi Sudditi, che l'intentione, & animo di Sua Eccellenza è di venire talmente con essi, che sempre rimaneranno satisfatti, & bene contenti del suo felicissimo Stato, qual Dio salui, & mantenghi in perpetua gloria, & consolatione di tutti. Signat. Scipio, Paulus, Christophorus, Antonius, Michael, Francischinus, Boninus.

Remissio accusationum, condemnationum, & processuum hinc retro factarum.

DVces Mediolani &c. Dilecti nostri. Intelleximus plures hactenus ex Subditis nostris varijs affectos fuisse molestijs in Dominio nostro, præsertim occasione imputationum, & condemnationum salis contra ordines nostros accepti, & varijs alijs de causis, idque factum fuisse dicitur per falsos accusatores, & alias calumniosas vias, & varias proinde factas esse extorsiones; vt igitur ijs querelis opportunum adhibeamus remedium, & hoc quoque argumento liberalitatem nostram in Subditos nostros declaremus, vobis committimus, & volumus, vt omnes accusas, & condemnationes hactenus factas, quæ tamen nundum executionem habuerunt, ac processus pendentes cuiuscumque naturæ sint, excepta capitali pœna, & causa ad Statum nostrum pertinentes penitùs, & in totum cancelletis, & annulletis, ac deleatis, prout & nos per præsentes cancellamus, annullamus, ac delemus; & sic pro præmissorum occasione Officialibus Ciuitatum Dominij nostri opportunè scripsimus. Dat. in Arce nostra Portæ Iouis Mediolani die xv. Ianuarij MCCCCLXXVII. Signat. B. C. A tergo Nobilibus, & Sapien. Viris Magistris Intratarum extraordinariarum nostris dilectis, cum sigillo Ducali consueto.

Datium Datij Piscium, & Gambarorum.

FIat Crida ad scalas Palatij Communis Mediolani, & in alijs locis debitis, & consuetis dictæ Ciuitatis hoc modo viz.

Mandato Domini Referendarij Curiæ, & Ciuitatis Mediolani, necnon Domini Bartholomæi de Falconibus Iudicis Officio Datiorum, & Intratarum Communis Mediolani pro Illustriss. & Excellentiss. D. D. Duce Mediolani &c. Comite Virtutum &c.

Quod quælibet persona, quæ de cætero portabit, vel portari faciet in Ciuitate Mediolani Pisces recentes, seu Gambaros in aliqua quantitate soluat, & soluere debeat Datiarijs, seu Officialibus eorum ad computum Imper. [illegible] pro qualibet libra grossa de oncijs vigintiocto.

Item, quod non sit aliqua persona, vndecumque, & cuiuscunq; conditionis existat, & status, quod de cætero conducet, vel conduci faciet, vel portabit, seu portari faciet ad Ciuitatem Mediolani aliquos Pisces recentes, tàm grossos, quàm minutos, vel Gambaros in aliqua quantitate, quæ audeat, vel præsumat conducere ipsos, vel portare inter Ciuitatem Mediolani, vel redefossum Mediolani, nisi prius ipsos Datiarios, vel eorum Officiales postulauerit, & eos Pisces ipsos ostenderit, & de eis soluerit Datium prædictum Datiarijs, seu Officialibus, sub pœna pro vno denar. sex valimenti, seu pretij talium Piscium, seu Gambarorum, & in amissione bestiarum cum quibus, & super quibus ipsi Pisces, seu Gambari conducerentur, & vltra in lib. quinque Imper. pro qualibet contrafaciente, seu conducenti, & qualibet vice, cuius pœnæ medietas sit accusatoris, & alia medietas Datiariorum ipsius Datij, & quilibet possit accusare, & stetur eius sacramento cum vno teste fide digno.

Item, quod nullus hospes, nec aliqua alia persona Burgorum Mediolani, audeat, nec præsumat recipere, nec permittere descaregare in eorum hospitio, seu domo aliquam quantitatem Piscium recentium, seu Gambarorum, nisi prius de ipsis solutum fuerit Datium vtsupra, sub pœna cuilibet contrafacienti lib. decem Imper. pro qualibet vice, cuius pœnæ medietas sit dictorum Datiariorum, & alia accusatoris, & quilibet possit accusare, & credatur accusatori cum sacramento suo, & vno teste fidedigno. Maynardus de Grassis Not. Officio Referendariæ Cõmunis Mediol. subscripsit.

Litteræ pro publicatione cridarum fiendarum pro remissionibus accusationum, condemnationum, & processuum.

DVces Mediolani &c. Dilecti nostri. Cancellationes condemnationum, quas nuper iussimus fieri ab anno 1476. retrò per publicationes publicari volumus, ac in scriptis redigi, vbi ex more in talibus consuetum est, quod munus vobis iniungimus, scilicet ordinandi proclamationes, & eas nomine nostro publicari faciendi, ac curandi, vt in scriptis redigantur ad officia consueta. Ex Arce nostra Portæ Iouis Mediolani xx. Ianuarij MCCCCLXXVII. Signat. [illegible] A terg. Nobilibus, & Sapien. Doctoribus Magistris Intratarum extraordinariarum nostris dilectis. cum sigillo Ducali consueto.

Remissio condemnationum, accusationum, & processuum ab anno 1476. inclusiuè retro.

MCCCCLXXVII. Die xxj. Ianuarij. Per impositione, & mandamento delli Magnifici Signori Maestri delle Ducali Intrate straordinarie, in esse-

cutione

cutione di lettere Ducali de dì xv., & xx. del presente signat. b. c. Si fà notitia, & publica grida, come li Illustrissimi, & Eccellentissimi Prencipi nostri clementissimi, & desiderosissimi mostrare l'ottima voluntà, & dispositione hanno di ben viuere, & gouernare li suoi Sudditi, voleno, ordinano, & per la presente cōmandano, che tutte le accuse, e condannationi pertinenti alla Camera di sua Signoria date, e fatte dall' anno 1476. indietro inclusiue, delle quali però non sia fatta essecutione, & ita ogni processo pendente di qualunque natura voglia si sia, eccetto le cause capitali, & pertinenti al stato d'esse, in tutto siano cancellati, & annullati in modo non possano mai sortire effetto. Signat. Scipio, Paulus, Christophorus, Antonius, Michael, Franciscinus, Boninus.

In fauorem Domini Iacobini de Olgiate.

BOna, & Ioannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomites Duces Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comites, ac Ianuæ, & Cremonæ Domini. Existimantes non esse honoris nostri, vt Iacobinus de Olgiate Ciuis noster Mediolani, ac eius familia habitent in hac Vrbe nostra, & in dominio nostro propter infandum, sceleſtumque facinus Hieronymi de Olgiate commissum, & perpetratum in personam Illust. felicis memoriæ Principis Consortis nostri honorandi. Ordinauimus, vt is Iacobinus cum tota eius familia conferat se Taurinum, & ibi habitet, nec citra flumen Doræ reuertat, absque nostri speciali licentia. Et quia is Iacobinus cum tota eius familia innocens, & insons tàm inauditi, furiosique, ac diabolici facinoris Hieronymi prædicti filij sui reperitur, volumus, quod bonis, & iuribus quibuscumque suis gaudere, ac frui, & de ijs disponere ad sui libitum vti antea sic in posterum possit, sed cum in hac habitatione, discessuq; suo à patria sua contingat bona quædam sua alienare, & vendere, tùm pro sustentatione vitæ suæ, familiæque suæ, tùm pro satisdatione quorundam debitorum suorum addubitare videntur emptores bonorum prædictorum ipsa bona emere propter crimen læsæ Maiestatis filij prædicti, obstante Decreto aliàs edito huiusmodi in re per Illustrissimum felicis memoriæ Principem D. Philippum Mariam Vicecomitem Ducem Mediolani &c. & proinde supplicauit nobis is Iacobinus, vt de huiusmodi innocentia sua liquido constare facere velimus, & bona prædicta sua vendere liberè posse concedamus, itaq; vt satisfaciamus desiderio, & requisitioni prædicti Iacobini, declaramus tenore præsentium ipsum, & reliquam omnem familiam suam innocentem, & Innoxiam fuisse, & esse tam atrocis, infandiq; sceleris patrati per Hieronymum prædictum filium suum, pro cuius rei euidentia volumus, & intendimus eum Iacobinum, filiosque, & hæredes suos bonis, & iuribus quibuscumque suis veluti antea sic in posterum frui, & gaudere, ac eis disponere ad sui libitum posse. Insuper decernimus, & concedimus, quod prædictus Iacobinus bona quæcumque sua, & allodialia in dominio nostro existentia vendere, & alienare, & quiuis emere volens ea emere, & in se retinere possit tutè, liberè, & impunè, quibusuis Decretis, Statutis, Ordinibus, & præsertim Decreto prædicto, & alijs in contrarium facientibus etiam si talia forent, de quibus hic oporteret fieri mentio specialis nequaquam attentis, quibus omnibus in hac parte dumtaxat ex certa scientia derogamus, ac derogatum esse intendimus. Mandantes quibuscumque Officialibus, ac Subditis nostris, quatenus has nostras declarationis litte-

 ras

ras firmiter obseruent, ac faciant inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die iiij. mensis Februarij MCCCCLXXVII. Io. Franciscus. Signat. Cichus, cum sigillo Ducali, & alio sigillo pendenti cum cordulis appenso.

Declaratio litterarum emanatarum occasione remissionis condemnationum processuum, & delictorum.

BOna, & Ioannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomites Duces Mediolani &c. Dilecti nostri. Declaramus per litteras nostras, & vobis, & alijs Officialibus dominij nostri scripsimus, vsque sub die xv. Ianuarij proxime elapsi, vt omnes accusas, & condemnationes, vsque ad eam diem factas, quæ tamen nundum executionem habuissent, & processus pendentes cuiuscumq; naturæ sint, excepta capitali pœna, & causa ad Statum nostrum pertinente penitùs, & in totum cancellaretis, annullaretis, & deleretis, prout & nos cancellabamus, annullabamus, & delebamus, & prout in litteris ipsis continebatur; verùm quia ex litteris ipsis nonnulla oriri dubia, & Iusdicentes aliqui hæsitare videntur in earum interpretatione, & executione, dicimus, & declaramus nostræ mentis fuisse, & esse, quod omnes accusæ, & condemnationes huiusmodi ad Cameram nostram spectantes cancellentur de ijs vero, quæ spectant alicui Communi, vel priuatæ personæ hoc modo distinguimus, quod de hijs, quæ applicatæ fuissent alicui Communitati, ex quibus ex stipendio, seu salario ordinario satisfieri debeat Officialibus nostris, nulla facta sit, aut fieri debeat remissio. illud idem dicimus de spectan. alicui priuato pro damnis datis super quibus legitimè probatum sit, de quibus damnum passo satisfieri volumus, de hijs vero pro quibus, vel Camera nostra, vel Communitas facta sit cauta per captionem pignorum, vsque ad pretium dumtaxat eorum pignorum, etiamsi tanti non essent valoris, quantum capiant condemnationem eatenus quatenus executionem habuissent, vel per pignerationem facta cautio, & non vltra, eas condemnationes, & executiones seruari volumus. Reliqua omnia tolimus, delemus, & abolemus, & tàm processus pendentes, quàm omnes querelas, de nuncias, & condemnationes, quæ pro commissis ab ea die retro fieri quouis modo possint, aut in litem deduci. Intendentes, & volentes, quod eadem liberalitate vtantur tàm Communitates, & singulares personæ, vel accusatores, exceptis tantummodo casibus seruatis, qua nos in Subditos nostros vsi sumus. Dat. Mediolani die sexto Februarij MCCCCLXXVII. Signat. B. c. A tergo Nobilibus, & Sapientibus Viris Magistris Intratarum nostrarum extraordinariarum, cum sigillo Ducali.

Littera confirmationis officij Magnifici Domini Cichi Simonetæ Secretarij.

BOna, & Ioannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomites Duces Mediolani &c. Dilecti nostri. Da poi seguito il caso della morte del quon. Illustrissimo Signor nostro Consorte, & Padre, confirmassimo il Spettabile Caualiere Messer Cecho Simonetta in lo suo solito offitio di Secretariato, & li dissemo, & comettessimo eserciisse il detto suo officio con quella fede, diligentia, & sollecitudine, & con quella auttoritate, & facultate per noi, & nostri figlioli, che hauea esercito al tempo delli Illustrissimi qu. Signori Duca Fran-

cesco

cesco nostro Socero, & Auo, & al tempo dell' Eccellentissimo Sig. Duca Galeazo nostro Consorte,& Padre,& perche trouamo essere corse,& emanate certe lettere dirette à voi signat. b. c., quali per essere generali derogarno al suo Officio,dicemo, & ve scriuemo per questa, che nostra intentione è, & cosi volemo, & commandiamo, che tutte le nostre lettere, chè fossero, & saranno signate di mano di esso Messer Cecho li debiate integrè obedire, & eseguire in quacumque re non obstante le soprascritte lettere emanare in contrario, quale intendemo,& volemo non debbiano per alcun modo pregiudicare all'Officio d'esso Messer Cecho, nè alla auttorità sua, quale per suoi meriti, & sincera fede deliberamo sij in più obseruantia, chè mai, & cosi volemo,& ve commettemo rescriuiate à tutti li Officiali del dominio nostro, alli quali haueuate scritto per vigore delle sopranominate lettere, che non douessero obedire se non quelle lettere fossero signat. b. c. &c. che da qui inanzi non obstante esse lettere nostre così emanate vt supra, debbiano obbedire,& essequire in omnibus tutte le nost e lettere, che fossero, & saranno signare per mano d'esso Messer Cecho, commandando expresse à tutti, che così facciano, rimossa ogni eccettione, & contradittione, reuocando quanto al rispetto di Messer Cecho esse nostre lettere, & perche intendiate questo procedere di nostra mente, & spontanea voluntà hauemo Noi Duchessa sottoscritte le presenti nostre lettere di nostra propria mano, & di nostra bocca propria hauemo ordinato,& commandato à Christofforo da Cambiago nostro Secretario le debbia signare, & espedire. Dat. Mediolani die xvij. Maij MCCCCLXXVII. Signat. Bona Duchessa di Milano manu propria. Christophorus. A tergo Magistris Intratarum vtriusque Cameræ nostris dilectis, necnon Thesaurario nostro generali, & sigillata Ducali sigillo consueto.

Confirmatio Priuilegiorum, & litterarum alias concessarum Collegio Procuratorum, & Notar. Ciuitatis Mediolani.

BOna, & Ioannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomites Duces Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comites, ac Ianuæ, & Cremonæ Domini. Nomine Collegij Procuratorum, & Notariorum huius nostræ Inclytæ Vrbis Mediolani supplicatum nobis fuit in hunc modum.

ILlustrissimi, Excellentissimi recolendæ memoriæ olim Domini Mediolani &c. Cognoscentes legalitatem, & fidem Collegij vestri Notariorum Mediolani per Priuilegia, & litteras prouiderunt, & confirmauerunt Statuta, & Ordines ipsorum Notariorum. Item, quod Potestas, Capitanei, & Rectores Ciuitatis, & Comitatus modo Ducatus Mediolani præstarent auxilium Abbatibus dicti Collegij. Quodque per aliquem Officialem non possit procedi contra aliquem Notarium inculpatum de falsitate, præterquam per Officium Potestatis Mediolani, cum participatione dictorum Abbatū, vt in ipsis litteris latiùs apparet dat. Mediolani primo Februarij 1389. signat. Comolus. Fuit deinde hoc præcedens Decretum confirmatum, & ordinatum, quod querelans contra Notarios satisdet idoneè de expen., damno, & interesse restituendis, & de soluendo omnem condemnationem, & prout in litteris ipsis legitur dat. Mediolani die xviij. Decembris 1420. signat. Io. Franciscus. Per alias vero litteras datas Mediolani die octauo Februarij MCCCCXXXVII. signat. Io. Franciscus, & Mapheus, concessum fuit; quod per ipsos Abbates possint fieri

fieri litteræ testimoniales de fide, & legalitate Notariorum. Alijs etiam litteris concessum fuit, quod nullus possit exercere officium procurationis, nisi fuerit oriundus Ciuitatis, & Ducatus Mediolani, & maior annis xx. datis Mediolani die tertio Nouembris 1442. signat. Lancellotus, Marcollinus. Priuilegia autem hæc confirmata fuerunt per Illustrissimum olim Mediolani &c. Ducem D. Franciscum Sfortiam Vicecomitem Excellentiarum Vestrarum Socerum, & Auum, vt constat litteris datis Mediolani die xij. Maij 1452. signat. Io. Antonius. Deinde fuit concessum aliud Priuilegium, quod nullus in Ducatu possit Instrumenta rogare, nisi examinatus, & approbatus sit à Collegio, & in libris descriptus, & idoneè iurauerit Statuta Collegij ipsius seruare, & Abbatibus parere datum Papiæ die iiij. Februarij 1460. signat. Vincentius. Fuit quoque dictis Abbatibus concessa iurisdictio contra debitores dicti Collegij, vt constat litteris datis Mediolani xxvij. Ianuarij 1464. signat. Io. Antonius. Fecit etiã nonnullas confirmationes Illustrissimus celebrandæ memoriæ Dominus Dux olim Consors, & Pater Vestrarũ Celsitudinum datas Papiæ xxvij. Maij MCCCCLXX. signat. Vincentius. Et alias litteras concessit latiores ne quis roget Instrumenta, nec testes recipiat, nec officium Tabellionatus exerceat in Ciuitate, Districtu, Ducatu, Diœcesi, nec Iurisdictione Mediolani, nisi sit examinatus & approbatus &c. prout in eis litteris continetur datis Papiæ xvij. Maij 1472. signat. Io Antonius. Et demùm concessit litteras possendi laudare Notarium ad omnia, etiam si non stetissent per biennium ad banchum alicuius Notarij in Mediolano secundum formam Statuti, & laudandi secundos Notarios, licet non essent ætatis annorum xvij. Et aliæ concessiones, & indulta concessa fuerunt memorato Collegio, quæ publicis apparent litteris cum signaturis, & sigillis opportunis, & quæ quid per Ambrosium de Brachis, quid per Dominicum de Prandonibus, quid per Symonem Petrum de Burris, quid per Io. Ambrosium de Bernardis, & quid per Petrum de Leporibus Notarios fidedignos registratæ sunt, & ab autenticis extracta super vno libro chartæ membranæ coperto assidibus, prout patet in ipsis litteris, Priuilegijs, & libro, qui Illustriss. D. V. pro informatione veri exhibentur in forma. Et quia Causidici, seu Procuratores, & Notarij dictæ Ciuitatis, qui in solis Ciuitate, & Suburbijs sunt numero ducentum, & plures, & in eis sunt de Nobilioribus, & Antiquissimis parentelis, & domibus dictæ vestræ Ciuitatis omnes fideles, & D. V. seruitores, certissimi sunt Vestras Excellentias non solùm velle confirmare huiusmodi, & quæcumque ipsius Collegij Priuilegia, concessiones, & litteras, velleque libentèr tutari, & protegere memoratum Collegium, & ipsos vestros seruitores, sed etiam pro benignitatibus, & clementijs earumdem velle augere, & ijs maiora si expediret concedere.

Ideò pro parte eorundem Procuratorum, Notariorum, & Collegij supplicatur humilitèr Excellentijs Vestris, vt dignentur ex certa scientia, etiam motu proprio, & de plenitudine Ducalis potestatis, & omnibus modo &c. habendo ipsa priuilegia, & litteras cum contenta in eis, & librum pro sufficientèr expressis ipsa, & quæcumque Priuilegia, ac concessiones, & litteras memorato Collegio concessas confirmare, laudare, & approbare, & ad cautelam, & ex abundanti, quatenus expediat, de nouo concedere, & iubere tales confirmationem, & nouam concessionem per Excellentias Vestras faciendas debere inconcussè seruari per quoscumq;

Magistratus,

Magistratus, Capitaneos, Vicarios, Executores, Exactores, & quoscumque Officiales vestros, tam præsentes, quàm futuros, & quod aliqualitèr non patiantur, quod in rebus Notariæ, vel ad ipsum Collegium spectantibus, vel aliqualitèr pertinen. ipsi Notarij præsentes, & qui erunt per tempora citentur, impediantur, nec molestentur, nec contra eos aliqualitèr procedatur per alias personas, nec officia, quàm per memoratos Abbates, & Officiales dicti Collegij Vestri, quod habet tot filios omnes pro D. V. benè dispositos, & ardentissimos seruitores, ac paratissimos ad omnia, quæ in omnem fortunam D. V., vel vtilitati, vel placito esse possint, & quibus humilitèr se commendant.

Et quoniam has Supplicantium preces, & petitiones honestas esse censuimus, & ex auditione dignas, eis igitur satisfacere libentèr inclinantes, harum tenore, ex certa scientia, & de nostræ potestatis plenitudine prædictas litteras, & priuilegia per Illustrissimos, & Excellentissimos Principes Dominos Duces Prædecessores nostros quomodocumque ipsi Collegio concessa, & quæ omnia diligentèr examinari fecimus, atque ad abundantem cautelam hic pro sufficientèr expressis intelligi, haberique volumus, non solùm laudamus, approbamus, & confirmamus, verùm etiam, quatenus expediat, & prout in eorum petitione continetur, ex abundanti de nouo concedimus. Mandantes quibuscumque Magistratibus, Officialibus, & Subditis nostris præsentibus, & futuris ad quos spectauerit, vt huiusmodi nostras approbationis, confirmationis, atq; nouæ concessionis litteras, omniaq; in eis contenta obseruent, ac faciant inuiolabilitèr obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli appensione muniri. Dat. Mediolani die xx. Iunij MCCCCLXXII. Signat. Christophorus, cum sigillo magno cum cordulis appenso.

Quod Notarij Maleficiorum damnorum datorum, ciuilium, & aliorum non exigant, nisi quod concessum est per ordines.

MCCCCLXXVII. Die xij. Nouembris. Intendendo li nostri Illustrissimi Signori Duca di Milano &c. per più, & più querele varie, grandi, & diuerse robbarie, & estorsioni si fanno in questa sua Inclyta Città, & Ducato di Milano alli suoi Sudditi per molti Notari delle Notarie di questa sua Città, & Ducato di Milano, quali si incantano.

Item per altri Notari delli suoi Officiali senza Incanto così de Malefitij, & danni dati, & camparie, come d'altre Notarie del ciuile, di criminale, delli Datij, & di ciascun'altra maniera contro la forma delli Decreti, Statuti, Ordini, Dati, & Incanti fatti sopra ciò, & contro la mente delli prelibati Signori, li quali non desiderano altro, che lo commodo, & quieto delli suoi Sudditi, alli quali quotidiè li hanno fatto gratie, & remissione, & relassatione delle sue consuete entrate, & vectigalie, volendo prouedere à tanto morbo, & che gli ordini si osseruino, & niuno presuma estorquere, nè esiggere vltra quello è concesso, & limitato per li ordini, hanno per sue lettere date in Milano die vj. Nouembris MCCCCLXXVII. commisso alli Magnifici Magistri delle Intrate sue, quatenus debita prouisione facciano, ita, quod omnes discant ab huiusmodi erroribus, corruptelis, & scandalis abstinere.

Ideò per parte, & commandamento delli prelibati Magnifici Magistri delle Ducali entrate ordinarie in hac parte Delegati vt supra, & in essecutione

delle

delle prelibate lettere à loro direttiue vtsupra, si fà commandamento, & grida publica, ita che peruegna à notitia à caduno così in questa Città di Milano, come nel suo Ducato vlz.

Che non sia alcuno Notaro, ò persona di qual grado, ò stato voglia si sia, lo quale hà, ò in futurum hauerà ad incanto, aut alitèr essercirà senza incanto alcune delle predette Notarie, delle quali si fà metione di sopra, che olza, nè presuma estorquere, nè tore, nè riceuere per casone di quelle Notarie, & suo officio direttamente, nè per indiretto, nè per submissa persona per alcun modo aliquid più che come si troua scritto, limitato, & concesso per li Decreti, Statuti, Ordini, Dati, Incanti fatti sopra ciò interim, & vsque alitèr si reformaranno se reformare si voranno, & questo sotto la pena si contiene in essi Statuti, Ordini, Dati, & Incanti fatti sopra ciò, da esser applicata come in essi si contiene debitè referendo, & vltimo sotto la pena de fiorini dieci d'essere applicata per la mettà alla Ducal Camera, & l'altra mettà allo accusatore, & irremissibilitèr da essere tolto à chi contrafarà totiens quotiens sarà contrafatto.

Item, che non sia alcuno Notaro, ò persona, che hauerà, vel essercirà di queste Notarie vtsupra, sia chi voglia, che olza, nè presuma etiam de mandamento di alcuno Giudice mandare à robbare, nè prendere alcuno in la Città, nè Ducato di Milano per casone, nè sub pretesto del detto Officio de Notaria nisi di potere così fare se trouerà scritto, & concesso per li predetti Decreti, Statuti, Ordini, Dati, & Incanti fatti sopra ciò, & questo sotto le predette pene da esser exigi, & applicate vtsupra, vel saltem senza licenza delli prefatti Magistri.

Item, che non sia alcuno Officiale, ò Giudice, nè Notaro de Maleficio, che olza, nè presuma citare, nè far citare alcuno per alcuna accusa, querela, ò denuncia, nisi prius sia indicata, & seruando sempre la forma del Ducal Decreto fatto sopra ciò dell'anno del MCCCCXXV. die penultimo Iulij Signat. Ioannes Franciscus, così nella Città di Milano, come nel Ducato, e questo sotto le predette pene da esser exigi, & applicate vtsupra. Signat. Io. Franciscus, Bornel, Facius, Ioannes, Bartholomæus.

Quod Notarij Maleficiorum damnorum datorum, & vetitorum Ciuitatis, & Ducatus Mediolani non exigant, nisi vt infra.

Bona, & Ioannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomites Duces Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comites, ac Ianuæ, & Cremonæ Domini. Cum variæ, multiplicesque ad nos delatæ essent querelæ nomine nonnullorum Communiū, Terrarum, & locorum, ac singularium personarum, tām Ciuitatis, quàm Ducatus nostri Mediolani asserentium se per superiora tempora indebitis exactionibus, extorsionibus, & rapinis fuisse vexatos; & in dies vexari per Notarios banchorum Maleficiorum, & damnorum datorum eius Ciuitatis, & Ducatus nostri occasione damnorum datorum, aliorumque Maleficiorum vltra, & præter formam incantus ipsorum banchorum, & dispositionem Statutorum, Decretorum, & Ordinum super his editorum, & contra antiquam, & probatam consuetudinem, & propterea existimantes eiusmodi querelas non vllius esse momenti, & prouisione dignas, his præsertim temporibus, quibus maxime Subditorum nostrorum quieti, & tranquillitati studemus, iussimus rem hanc omnem ad Consilium nostrum Secretum deferri, & ibi maturè discuti. Consiliarij autem nostri

intelligentes in his agi de interesse Cameræ nostræ, & quorundam particularium Ciuium, & Subditorum nostrorum, qui per donationes, & concessiones Illustrissimorum Principum prædecessorum nostrorum ius ab ipsa Camera nostra habent ipsos euocari fecerunt, & cum Magistris Intratarum nostrarum participarunt, & cũ multa hinc inde per partes dicta, & adducta fuissent, licet in materia hac aliàs vsque de anno MCCCCLXIIII. per Magistros Intratarum nostrarum extraordinariarum facta fuisset quædam declaratio, & postmodum ordinatione Magistrorum Intratarum nostrarum ordinariarum factæ fuerunt pro hac eadem re anno proximè lapso proclamationes, tamen, re diligenter per præfatum Consilium considerata, & maturè discussa, & attento potissimùm, quod propter varias ipsorum vices, & mutabilitatem pecuniæ quoque, & monetæ, tàm auri, quàm argenti sæpiùs diminutæ, & mutatæ fuerunt, vt difficile est certam super his limitationem seruare, visum est superinde aliquod capere temperamentum, ex quo honesta omnium prædictorum ratio habita esse videretur, & ad hanc nouam limitationem, & declarationem omnibus consideratis deuenerunt, prout inferius annotatum est.

Limitationes nouæ super Notarijs damnorum datorum, ac vetitorum, & Maleficiorum Ciuitatis, & Ducatus Mediolani.

PRO damnis datis. Quod quilibet accusatus pro comparitione, responsione, & satisdatione soluat soldos octo Imper. monetæ Mediolani currentis. Ita tamen, quod si fuerint plures inquisiti de vna, & eadem familia, & pro vno, & eodem delicto fiat vnica solutio ac si esset vnus solus inquisitus.

Pro satisdationibus Campariarum quilibet Burgus soluat soldos xxxij. Imper. quodlibet Commune sol. xvj. Imper. qualibet Capsina sol. viij. Imper. omni anno.

Pro remissione cuiuslibet accusæ soluantur sol. x. Imper. saluis in reliquis Statutis, & Datijs, ac Ordinibus, & Decretis, ac litteris declarationum in alijs, quæ præmissis non contradicant.

Limitationes vero super Maleficijs.

Si de Maleficio plures fuerint inquisiti de eadem familia, non fiat nisi vnica solutio ac si vnus tantùm esset inquisitus, quæ vnica solutio intelligatur esse sol. x. denar. viij. Imper. secundum datum vetus MCCCCXXXII.

Si vero fuerit vnum Commune inquisitum, quod Not. habeant pro comparitione, & satisdatione vt supra duplicem solutionem. Quod inquisitio possit formari ad denunciam Consulis prout continetur in Decreto anni 1445.

Quod pro satisdatione de non offendendo, Not. habeant soldos viij. Imper.

Quod seruetur ordo super his Magistrorum Intratarum nostrarum extraordinariarum facto MCCCCLXIIII. die xv. Decembris.

Quod si citatus non compareat in termino, expectaueritq; precepta defensionis, vel multam, siue pro testimonio perhibendo, siue alia causa pro hac contumacia annullanda, Not. habeant sol. vj. pro singulo, excepto si fuerint plures de eadem familia vt supra.

Quod Not. possint accipere pro satisdatione præstanda per Consules Ciuitatis & Ducatus nostri Mediolani ad Maleficium pro quolibet Burgo sol. xxiij.

xxiij, pro quolibet Commune sol.x., pro qualibet Capsina separata sol. viij. Imper. videlicet in principio cuiuslibet anni.

Saluis similitèr in caeteris Statutis, & Datis, ac Ordinibus, & Decretis, ac litteris declarationum in ijs, quae praemissis non repugnant.

Itaque praedicta omnia, & singula rata, & grata habentes, vepotè non nisi maturè, & consultè digesta, & examinata. Tenore praesentium approbamus, & ratificamus. Mandantes Magistris Intratarum nostrarum, caeterisq; Officialibus nostris praesentibus, & futuris, quatenus has nostras nouae limitationis, & declarationis litteras firmitèr obseruent, & perpetuo inuiolabilitèr obseruari faciant. In quorum praesentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die xiiij. Februarij MCCCCLXXVIII. Signat. Christophorus, cum sigillo Ducali consueto.

Decretum de protestationibus non fiendis.

DVces Mediolani &c. Dilecti nostri. Volumus, receptis praesentibus, publicari faciatis Decretum praesentibus inclusum per nos nuper editum in locis quibuscumque Inclytae huius nostrae Mediolani Vrbis solitis, & consuetis, itaut ad omnium notitiam deuenire queat, illudque pro lege, & decreto inuiolabilitèt obseruari. Dat. Mediolani die quinto Septembris MCCCCLXXX. Signat. Gribellus, Ioannes. A tergo Egregijs, & Sapientibus Doctoribus, Potestati, Vicario, & XII. prouisionum Inclytae nostrae Mediolani Vrbis dilect.

Tenor Decreti.

BOna, & Ioannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomites Duces Mediolani &c. Curam Reipublicae gerentes circumspectos esse oportet, & vndequaque Subditorum vtilitatum, & commoda exquirere, & tamquam bonum Pastorem super greges suos vigilias agere, indefessoque labore studere, ne fraudes, & malitiae, quibus, vepluimum litigantes student committantur. Cum autem, sicut nuper accepimus, in Ciuitate nostra Mediolani, & multis alijs locis nostri dominij inoleuerit hac consuetudo, vel veriùs corruptela vlz., quod volentes litigare, & causas agere, vel timentes causam contra se moueri debere, faciunt testes recipere, seu examinare per vnum Notarium, & de dicto, seu protestatione ipsius, vel ipsorum testium faciunt per ipsum Notarium recipi Instrumentum; ex quo postea testes, vbi in iudicio producendi sunt ligati dicto suo non possunt, nec volunt aliud testificari, quàm referendo se ad dictum suum de quo in dicto Instrumento; & sequitur, quod saepè ex hoc falsitates committuntur, cum saepè ipsi testes personae ignorantes sint, quae inducuntur ad dicendum, & testificandum; & quae nesciunt, nec intelligunt. Volentes huic morbo prouidere; hoc nostro Decreto, & lege in perpetuum valituro, ex certa scientia, animo deliberato, & de nostrae plenitudine potestatis decernimus, praecipimus, & mandamus, quod à die publicationis praesentis nostri Decreti in antea, quod per totum nostrum Dominium publicari, & in registro aliorum Decretorum nostrorum registrari, & inseri volumus, nulla persona cuiusuis status, gradus, aut praeeminentiae existat, audeat, vel praesumat examinari facere extraiudicialitèr aliquos testes, ad

æternam rei memoriam, nisi vt infra, sub pœna ducatorum xxv. auri pro quolibet teste quem examinari, & de eius dicto Instrumentum rei pe fecerint ipso facto committenda, & Cameræ nostræ applicanda toties quotiens fuerit contrafactum; in quam pœnam etiam incidat ipso facto Notarius, qui dicta dictorum testium ad æternam rei memoriam receperit, seu de eius dicto Instrumentum, vel scripturam fecerit toties committenda, quotiens contrafecerit, & pro quolibet teste vt supra, & vlterius dicta dictorum testium sic vt supra examinatorum sint ipso iure nulla, nullius efficaciæ, roboris, & momenti, nec aliquam fidem, vel probationem etiam semiplenam, vel præsumptionem faciant, aut suspectionem inducant. Nec possint testes, vbi iudicialiter examinabuntur, ad ipsorum dicta se referre, nec aliquis Iudex, vel Notarius, qui iudicialiter testes examinabit possit ipsum tale Instrumentum de dicto alicuius testis vt supra examinati admittere, vel super eo testes ipsos examinare, immo talia dicta totaliter respuere teneatur, & testes, sine timore, vel falsitate eo quod dicerentur ipsis contrarij attento primo examine, de nouo dicant in iudicio dictum suum perinde ac si nunquam examinati, vel interrogati extraiudicialiter fuissent. Sed quoniam materia probationum non est angustanda, & aliqui casus sunt, in quibus etiam lite non contestata, vel quasi de iure possunt testes recipi ad æternam rei memoriam. Volumus, quod, non attentis præmissis, vbi quis sperat contra illũ litem mouere, vel dubitat ab alio sibi moueri, & velit aliquem, vel aliquos testes producere ad æternam rei memoriam, eo quod sint periculosa infirmitate constituti, vel sint senes, quod intelligatur ab annis sexaginta supra, vel velint in longum iter proficisci, & intelligatur longum iter vbi velint ire in locum remotum per miliaria quinquaginta à dominio nostro, tunc, & eo casu talis volens producere testes compareat coram Potestate nostro Ciuitatis, vel loci, in quo dicta lis erit agitanda, & ibi capitula sua producat, super quibus testes vult examinari facere, & si ille, vel illi contra quos dictos testes voluerit recipi facere erunt in dicto loco citetur ad videndum iurare testes; vbi vero sit absens, citetur vxor, vel vbi vxor non adsit, aliquis de eius propinquis, quem Potestas ad hoc vtiliorem crediderit, qua citatione facta, deferratur iuramentum testibus de veritate dicenda, & etiam super eo, quod sint in longum iter profecturi, vel sint grauiter infirmi, vel sexagenarij, & si hoc iurauerint, examinentur per vnũ ex Notarijs Curiæ Potestatis illius Terræ, vel loci Mediolani, aut per vnum ex Notarijs, qui dicuntur de Pilastro factis debitis interrogatorijs, tam pro vna parte, quàm pro alia, & si ille qui dictos testes examinari fecerit voluerit illos publicari publicentur, dummodo postea intelligat præclusam esse sibi viam alios testes recipiendi super dictis capitulis, vel alijs idem continentibus; vbi autem non petat illos publicari, teneantur per ipsum Notarium secreti, & non panditi, quo casu, lite postea pendente, mittantur clausa, & sigillata dicta dictorum testium illi Magistratui coram quo lis pendebat, qui illa suo loco publicabit, & habeant dicta dictorum testium sic vt supra examinatorum eandem vim, & robur ac si lite contestata examinati essent, & coram illo Iudice coram quo lis pendebit. Declaramus tamen præsens Decretum non trahi ad protestationem hactenus factas. Mandantes Potestati, Vicario, & XII. Prouisionum Inclytæ nostræ Mediolani Vrbis, cæterisque Officialibus, & Subditis quibuscumq; nostris, quatenus præsens nostrum Decretum, & omnia in eo contenta,

prout

prout iacent, obseruent, & faciant inuiolabiliter obseruari. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die primo Septembris. MCCCCLXXX. Signat. Cribellus. Io.

Decretum, quod nemo audeat iniuriare DD. Doctores de Collegio.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Ad reprimendam eorum temeritatem, & insolentiam, qui Doctores de Collegio huius nostræ Inclytæ Vrbis audent iniurijs impudentèr afficere, hoc nostrum Decretum præsentibus inclusum componi, edique mandauimus, quod in locis consuetis publicari, in volumineque aliorum Decretorum nostrorum inscribi, & registrari, ac pro inuiolabili lege firmitèr, & perpetuo obseruari faciatis, volumus, atque strictissimè iubemus. Dat. Mediolani die primo Decembris MCCCCLXXX. Signat. Io. Petrus. A tergo Egregio, & Nobili, & Sapien. Viris Potestati, & Vicario prouisionum Inclytæ Vrbis nostræ, Mediolani nostris dilectis.

Tenor Decreti.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ Angleriæq; Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Nihil magis decere Principem existimamus, quàm omni studio omnia curare, & eniti, vt Ciuitates, & populi suo parentes Imperio, legibus, & Iustitia regantur, earumq; Ministri, & interpretes quique in causis, & controuersijs cognoscendis, & dirimendis, vel patrocinari, vel consulere, aut iudicare habent non solùm omni iniuria careant, sed & iniuriæ metu liberi præseruentur, quo & ipsarum legum, & iuris, iudiciorumque dispositio obseruetur, & repressis cupiditatibus iniustis in pace, & quiete viuatur. Sed quoniam nobis nuper innotuit ea temeritate, & audacia homines interdum reperiri, qui pro libidine sua iudici, & ministrari cupientes, Iurisperitos, Patronos, Consultores, & Iudices etiam de Venerabili Collegio huius nostræ Inclytæ Vrbis, quæ Principatus nostri caput est, contumelijs, & iniurijs si eorum appetitui non obtemperetur aggredi præsumant. Nos huiusmodi improborum hominum temeritatem, & audaciam pœnæ metu coercendam necessarium arbitrantes, hoc nostro salubri Decreto, quod pro inuiolabili lege haberi, publicari, aliorumque Decretorum nostrorum volumine inseri volumus, ac perpetuo obseruari, decernimus, edicimus, sancimus, atque iubemus, quod nemo cuiusuis status, conditionis, aut præeminentiæ audeat, vel præsumat per se, vel per submissam personam per conuicium, vel per contumeliam verbo, nec facto, nec alio quoquo modo cuipiam Iurisperitorum de dicto Collegio Mediolani iniuriam inferre in ære, nec in personas, si quis vero contrafecerit pro qualibet etiam leui iniuria, quæ tamen in tales personas leuis dici non potest, ipso iure, & facto sit infamis, & iuris infamia notatus, & ita in omnibus, & ad omnia teneatur, tractetur, & reputetur; & præterea pro facto pro qualibet verbali iniuria, aut famosa scriptura illata, composita, seu falsificata contra aliquem de dicto Collegio incidisse intelligatur, & incidat in pœnam floren. centum ad computum sol. xxxij. Mediolani pro singulo, applican. pro dimidia Cameræ nostræ, & pro altera dimidia

Collegio

Collegio Iurisperitorum antedicto. Quos quidem florenos centum si intra dies xv. à die commissi delicti non soluerit, vel ad soluendum inhabilis fuerit, ictibus duobus curli, atroci conquassatione plectatur, in præsentia Abbatum dicti Collegij si præsentes esse voluerint, aut duorum aliorum de dicto Collegio, & per ipsum Collegium eligendorum. Pro qualibet verò iniuria facta cum insultu, & percussione, citrà tamen sanguinis effusione, & non nimis atroci in quempiam vtsupra illata, in pœnam florenorum ducentorum vtsupra ipso facto incidat, applican. vtsupra, & quam pœnam, nisi soluerit infra dies xv. vtsupra, aut inhabilis ad soluendum fuerit, puniatur ictibus quatuor curli, atroci conquassatione, in præsentia vtsupra. Denique pro qualibet atroci iniuria facta, vel illata in personam cuiuspiam de prædicto Collegio cum armis prohibitis, aut sanguinis effusione, aut alicuius membri, vel officij membris debilitatione, læsione, seu deturpatione permansura, vel ne, ipso iure, & facto incidisse intelligatur in pœnam amputationis manus potencioris, manusque ipsa sibi amputetur. Decernimus insuper, iubemus, atque mandamus, quod Pretor huius nostræ Vrbis præsens, & qui per tempora fuerit, eiusque Iudices ad Maleficia, & quilibet eorum, ac Capitaneus Iustitiæ, quilibetq; Magistratus, & Iusdicens dictæ nostræ Vrbis, & Ducatus præsentes, & futuri in criminalibus iurisdictionem habentes, & habituri per tempora vltra declarationem, & executionem antedictam supraordinatarum pœnarum, quæ per eos, & eorum quemlibet fieri debuerit ad omnem requisitionem personæ iniuriam passæ, vel offensi, aut dicti Collegij, teneantur, & debeant, ad querelam etiam orecenus factam per ipsum iniuriam passum cum eius sacramento tantùm, detinere, aut detineri facere talem delinquentem, iniuriamque inferrentem vtsupra, & auxilium præstantem, & vt infra, nisi dictæ pœnæ pecunias illicò deposuerit, vel satisdederit de deponendo, ac etiam condemnare subsequentèr in ære, vel in persona, & tàm copulatiuè, quàm disiunctiuè pro eorum arbitrio ipsum iniuriam faciente, qui quidem Pretor, & cæteri prænominati, ac eorum quilibet teneatur, & debeat in præmissis, & circa præmissa arbitrari, attenta qualitate iniuriæ, seu offensionis illatæ, & personæ iniuriam passæ, ac etiam inferentis, & loci vbi fuerit illata. Quodque eisdem pœnis subiaceant præstantes consilium, auxilium, vel fauorem alicui committenti, vel attemptanei prædicta, vel aliqua prædictorum singula singulis congruè referendo, & quod respectu condemnationum vtsupra fieeur sacramento personæ iniuriam passæ iurantis, quod talem iniuriam sibi fecerit, vel inferri fecerit, aut auxilium præstiterit vtſ. Declarando qualitatem iniuriæ, præcedentibus tamen aliquibus indicio, seu indicijs etiam leuibus, & huiusmodi nostrum Decreetum sit præcisum, & præcisè seruetur, & per ipsum nequaquam derogetur, nec derogatū esse volumus, pœnis contra inferentes iniuriam à iure statutis, quin potius contra delinquentes vindicent sibi locum vltra superius contenta in præsenti nostro Decreto. Mandantes quibuscumq; Potestatibus, Capitaneis Iustitiæ, Rectoribus, Vicarijs, Iusdicentibus, & Officialibus nostris prædictis præsentibus, & futuris, vt hoc nostrum Decretum exequantur, & executioni mandari faciant, ac in eo contenta obseruent, faciantque obseruari inuiolabilitèr, non obstantibus aliquibus Statutis, Decretis, prouisionibus, & Ordinibus nostris, & Communis Mediolani in contrarium disponentibus, aut alitèr formam dantibus, quibus omnibus, in quantum prædictis obuiarent dumtaxat, ex certa scientia, & de potestatis plenitudine

dine derogamus; & derogatum esse iubemus, etiam si talia forent, de quibus necessarium esset mentionem fieri specialem. Signat. Io. Petrus.

Litteræ concessæ in fauorem DD. Iudicum, & Collegij eorum Mediolani.

Dominis vtriusque Consilij.

DVX Mediolani &c. Per le nostre de xiij. del presente vi hauemo replicato il commandamento aliàs facto tempore felicis memoriæ dell'Illustrissimo Signor nostro Padre honorandissimo di non accettare, nè tirare à voi cause alcune, saluo nelli casi, & modi lì espressi, & perche in tali cause reseruate, vt ibi, vi habbiamo scritto debbiate vsare dell'opera del Notaro delle cause ciuili in scriuere li atti, processi, & sententie si agitaranno, parendone questo non satis conuenire, come voi ricordate alla dignità di quelli amplissimi nostri Senati. Siamo contenti, che accadendo à farui alcuna commissione di cause ciuili, e priuate in particolare, la quale debba essere sottoscritta di mano nostra, & dello Illustrissimo Signor Lodouico nostro Luogotenente generale amantissimo, possiate vsare dell'opera di qualunq; nostro Secretario, ò Cancelliere, ò sia Coadiutore deputati alli detti nostri Senati in far li processi, atti, & sentenze delle cause à voi commisse vtsupra. Insuper, perche intendiamo, che vna gran parte di queste cause, che vi tirate à voi accadeno per le supplicationi, & ragioni delle parti, che sono date per voi di consilio ad alcuni di voi in particolare di riferire alli altri. Vi dicemo, che tali supplicationi, scritture, & ragioni le debbiate esaminare tutti insieme, & exquirere vota omnium absq; receptione di alcun salario, ò emolumento, & non dare la fatica ad vn solo, nè à più, particolarmente ad videndũ, & poi che riferisca, perche tal relatione le fatte obtinere, vt plurimum vim sententiæ. Ma consultate le cose, che occorrono vnitamente in lo loco della audientia vostra, & poi deliberate quid agendum, senza salario, & emolumento vtsupra, & rimettete le cause secondo le dette lettere, quale volemo, che inuiolabilmente siano obseruate, questo vi commandiamo à buon fine, acciò, che le cose passino più consultamente, & con minor rechiamo, come se rendemo certi per la prudenza, & integrità vostra debbiate fare. Mediolani die xxiij. Iulij MCCCCLXXXI. Io. Galeaz subscripsit. Ludouicus Maria subscripsit. B. Calchus.

Vtrique Consilio Secreto, ac Iustitiæ, necnon Secretarijs vtriusque Senatus, ac Magistratibus, & Iusdicentibus, ac salariatis quibuscumque.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Vi douete ricordare voi Consiglieri, che lo Illustrissimo Sig. quon. nostro Padre Obseruandissimo nell'anno MCCCCLXXIII. à 4. di Febraro à lamenta del Collegio de Dottori di questa nostra Città, del Collegio de Mercadanti, de Notari delle banche ciuili, e molte altre persone priuate vi scrisse, & commandò, che per obseruatione delli ordini del loro Collegio non vi douesti impacchiare delle cognitioni delle cause ciuili, ma lasciasti, che li loro ordini fossero obseruati, sotto la pena in esse lettere espressa, da poi ancora à medesima querela il simile vi scrissimo la Illustrissima nostra Madre, & Noi nel 1478. à 4. di Agosto, & expresse vi commandassemo douesti obseruare, & esequire quanto per il prelibato Signor quon. nostro Padre vi era stato scritto, pure

di

di nuouo con nostro grande dispiacere per quetela à Noi sporta per li predetti Collegi de Dottori, & Mercadanti, Notaro di banca ciuile, & altre hauemo inteso, che non obstante esse lettere vi distribuite per varij modi trà voi, delle commissioni assai pertinenti alla cognitione de detti Collegi, in modo, che ad essi si causa iusta cagione di reclamare, & vlteriùs se hà poca consideratione alla grande iactura ne segue alla Camera nostra vltra il disturbo delle persone, perche nõ procedendo le cause iuxta il corso, male potrà sodisfare il Notaro del suo incanto, & nell'auuenire non si trouerà, chi volesse intrare in detto datio quando in questo si perseuerasse, nisi in gran detrimento delle Intrate nostre respectu dicti Datij, & quantunche Noi in ogni cosa habbiamo caro la reputatione, & dignità di tutti voi, & desideramo lo augumento, & honore vostro. Nondimeno per li richiami, & respetti predetti essendo Noi totalmente disposti, che la ordinatione del prefato Sig. quon. nostro Padre facta, & proceduta sapientissimamente, & maturamente sia cum effectu obseruata, per questa nostra vi commandiamo espressamente, che da hora inanti niuno di voi quouis modo si tira à se, nè accetta alcuna commissione di cause ciuili, ò priuate, nè accetti per directo, ò per indirecto alcuna commissione, ò cognitione d'alcuna causa, ma le commettiate, & lasciate andare à detti Collegi secondo li ordini delle cause, & la dispositione di dette lettere, & questo sotto pena di mille ducati per caduno di voi, che contrafarà per ogni volta ad essere irremissibilmente pagati alla Camera nostra, & vltra, ch'ogni sententia, & declaratione sia nulla omnino, & sine spe d'alcuna conualidatione, eccetto di quelle commissioni, alle quali particolarmente nell'auuenire vi facessimo per lettere nostre speciali, signate di nostra mano, & dello Illustrissimo Signor Lodouiso nostro Luogotenente generale amantissimo, quale volemo habbiano luogo, ma con questa conditione, che nelli processi, atti, & sententie si agitaranno in tali cause vsate continuè dell'opera nel scriuere tali atti del Notaro delle banche ciuili, acciò che non sia priuato de suoi dritti della Notaria. In reliquis verò attendarete à fare l'officio vostro con ogni integrità, & giustitia per honore nostro, & debito vostro, come si confidiamo farete. Voi Secretarij, & Cancellieri non espedirete lettera alcuna contro questa nostra voluntà, & ferma deliberatione, ma auisatene continuamente di quelli presumesseno contrauenire à questo nostro ordine, sotto la pena de ducati cinquecento applicandi alla Camera nostra da esser pagati per caduno di voi, che contrafarà à questo, nè accettarete alcuna commissione, nè vi intrometterete di alcuna causa sotto la pena, & nullità antedette. Dat. Mediolani die xxvij. Iulij MCCCCLXXXI.
Io. Galeaz. Ludouicus subscripsit.

Decretum super dotibus pluries extrahendis, & super auctoritatibus.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Inualuerunt adeò prauæ multorum hominum fraudes, vt ex ijs, quæ iamdudum pro publica vtilitate condita fuerant, pleraq; in communem iacturam conuersa sint. Et ob id cum nos nihil magis cupiamus, quàm ipsam communem omnium vtilitatem, quæ rectè etiam viuendi regulæ inhæreat, non modicum profectò nobis onus incumbere existimamus, vt omni studio nostro operam demus, quod ea, quæ à bonis initijs in prauos vsus in dominio nostro declinarunt,

penitùs è medio tollantur, vel in meliùs saltem reformentur, & reducantur, vt ijs eorum finis succedat ad quam prius instituta fuerant; per huius nostræ Vrbis Statuta cautum tamdiù extitit, quod nullum debiti instrumentum, quod de iure communi regulariter nonnisi semèl expletur iàm factum, & expletum, & à tabellione creditori traditum, amplius postea nisi in casibus quibusdam reficiatur. Et si Instrumentum debiti, quod Commune non existat, penès debitorem sit, præsumatur debitum esse solutum, iurante debitore debitum ipsum solutum esse, id quidem ad hunc bonum, vt arbitramur, finem, constitutum fuit, ne plures eiusdem debiti solutiones peti possent, quod omni quippe æquitati conuenit; verùm ex ea honesti finis prouisione plura, vt accepimus, discrimina, quo ad dotium, & bonorum parafernalium credita, quæ ab alijs longè differunt præuenire sæpiùs solent mulieribus, quibus spectant, & earum successoribus, quos sæpenumero pupillos, aut minores esse contingit, nàm cum eorum creditorum ex dotibus, & bonis parafernalibus prouenientibus solutiones in longũ tempus, vt plurimũ protrahantur mulieres ipsæ, aut prædicti eorũ successores, propter eas, quæ pluriès, diuersimodè sub diuersorum Statutorum clypeo commitri possunt fraudes creditorum ipsorum satisfactione plerumque priuantur; alij quoque creditores sæpenumero, sub prætextu dotium ipsarum, & rerum parafernalium, quarum solutionum iàm factæ fuerunt, à satisfactionibus suis excluduntur; qua propter, vt eiusmodi iacturę occurratur, opportunam ipsi rei medelam, prouisionemq; adhibere deliberauimus, vt ita mulierum ipsarum, & earum successorum, necnon aliorum etiam creditorum indemnitati consulatur; per præsens itaque Decretum nostrum, quod pro lege in hac Inclyta nostra Vrbe Mediolani, & toto eius Ducatu tantùm obseruari volumus, sancimus, iubemus, atque decernimus, quod ea dotium, & protestationum bonorum parafernalium Instrumenta, quæ à die felicis introitus in eam ipsam Vrbem nostram Mediolani Illustrissimi, & Excellentissimi nunquã delendæ memoriæ Principis Domini Ducis Francisci Sfortiæ Vicecomitis olim Aui nostri obseruantissimi, quam die 26. Februarij anni 1450., Diuina fauente gratia, fecit in hunc vsq; diem confecta sint, & ea etiam, quæ de cætero fient, possint non tantùm semèl, sed pluriès pro eorum voluntate, qui sua interesse iurauerint expleri, & in publicas formas redigi, & in eorum subscriptionibus dies apponantur, in quibus expletiones ipsæ fient, quodque postquam huiusmodi Instrumenta cum dicta appositione expleta fuerint, pro omnibus ipsis integra fides adhibeatur, quemadmodum vni soli hactenùs adhiberi consueuit, nec ampliùs propter id, quod Instrumenta ipsa penès debitores reperiantur, debitorũ ipsorum solutiones factæ intelligantur, nisi prout infra disponemus; nàm, quo ad eiusmodi dotium, & bonorum parafernalium Instrumenta à dicto tempore introitus suprascripti in hunc vsque diem confecta, & in publicam formam redacta, decernimus, quod si ij, qui talia dotium, & bonorum parafernalium protestationum Instrumenta à tempore supra expresso citrà confecta, & in publicam formam extracta penès se nunc habeat, & eorum solutiones iàm factas fuisse prætendunt, eadem Instrumenta ad alterum ex his duobus officijs viz. prouisionum, & gubernatorum Statutorum huius nostræ Vrbis, prout sibi magis placuerit infra menses quatuor ob huius Decreti nostri publicationem præsentauerint, iuramentoq; suo affirmatione debitorũ Instrumentorum ipsorum solutiones re vera factas fuisse, & per vnum ex Notarijs suprascriptis prouisionum officij, aut vnum ex prædictis Statutorum gubernatoribus

natoribus præsentationem ipsam, & iuramentum prædictum post subscriptiones dictorum Instrumentorum, necnon in altero ex duobus libris eam tantummodo ob causam ad prædicta officia conficiendum annotari fecerint, eis casibus id respectu solutionum debitorum Instrumentorum ipsorum iam vt supra expletorum, & penès debitores existentium fiat, & obseruetur quod hactenùs factum, & obseruatum extitit. Si autem prædicta adimpleta non fuerint: Volumus ex eo, quod Instrumenta prædicta penès debitores reperiantur eorum solutiones probari, nisi de solutionibus ipsis per Instrumenta publica, vel alitèr appareat.

Respectu verò Instrumentorum dotium, & protestationum bonorum parafernalium, quæ de cætero fient, & eorum etiam, quæ iàm tradita sunt, sed nundum in publicam formã extracta, decernimus, quod eorum solutiones non ampliùs factę censeantur, propter id, quod Instrumenta ipsa penès debitores reperiantur, nisi de solutionibus ipsis per publica Instrumenta appareat, & vt magis fraudibus occurratur, nisi ipsa Instrumenta, & eorum imbreuiaturæ, aut pateat ad alterum ex prædictis duobus officijs prouisionum, & gubernatorum Statutorum, prout soluentes ipsi maluerint, infra menses duos à die eorum confectionis præsententur, & de ipsa præsentatione nota super ipsis Instrumentis, aut imbreuiaturis, vel pateat, necnon in altero ex ipsis duobus libris fiat, nec possint prædicti prouisionum Notarij, nec Statutorum gubernatores vltra denarios sex Imper. pro mercede sua notularum præsentatarum, de quibus supra percipere.

Insuper etiam, quia intelleximus Subditos nostros non modicis plerumque laboribus, & expensis effici pro habendis in publicam formam, & producēn. Instrumentis auctoritatum, quas in dies Notarijs dari contingit pro expletionibus Instrumentorum à Notarijs defunctis confectorum, decernimus, quod cum de Notariorum creationibus ex solis Collegij Notariorum ipsorum libris fides ex Statutorũ huius nostræ Vrbis dispositione fieri debeat, & soleat, paritèr de cætero sufficiat ex illis Collegij suprascripti libris, in quibus, aut ipsarum concessiones ex Statutorum prædictorum formã annotantur fidem tàm in iudicio, quàm extra de ipsis auctoritatibus, Instrumentis, concessionibus fieri, & libri ipsi semper pro productis in quibuscumque causis habeantur. In quorum &c. Dat. Mediolani die 23. Iulij MCCCCLXXXII.

Decretum editum super bonis iocalibus.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Ad vtilitatem, & commodum Ciuiũ, & Incolarum istius Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani, nuper compillare fecimus Decretum, cuius copiam præsentibus inclusam videbitis. Volumus igitur, vobisque mandamus, vt Decretum ipsum in locis publicis, & consuetis proclamari, publicarique faciatis, itaut ad omnium notitiam peruenire queat, & in volumine aliorum Decretorum inseri, ac registrari, ac prout iacet ad vnguem obseruari. Datum Vigleuani die xxviij. Aprilis 1488. Signar. Chri., bullat. cum sigillo Ducali. A rergo Egregio, & Sapienti Doctoribus, ac prudentibus Viris Domino Vicario, & duodecim prouisionum Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani, nostris dilectis.

Tenor Decreti sequitur.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Iudicantes nullum maius negotium Principibus incumbere, quàm vt bonas leges cogitent,

cogitent, & inuentas instituant, quibus populi rectè gubernentur. Maiorũ præterea nostrorum imitantes vestigia, qui quantò studio, quantòvè labore, & diligentia idipsum amantium ingens Decretorum ab eis conditorum codex satis indicat. Norant si quidem sapientissimi Principes, quàm vtile, necessariumque foret, tàm foris in propagandis Imperijs, quàm domi in regendis Ciuitatibus, & populis optimas leges sanare, sanatasque studiosissimè custodire, quippe quod per eas Regna parantur, partaque cum Communi Subditorum fauore, & assensu facillimè seruantur. Nos in eodem versati negotio, etsi ab Illustrissimis prædecessoribus nostris satis superque ad omnia pro temporum conditionibus prouisum fuerit; cum tamen nuper in manibus habemus Inclytæ nostræ Ciuitatis Mediolani Statutorum volumine, scrutaremur, quæ pro Vrbis ipsius nostræ Ciuium publico commodo aliquid beneficij, & vtilitatis impendere possimus, vltro se obtulit Statutum tenoris eiusmodi. ¶ Si maritus decesserit sine filio, seu descendente masculo eiusmodi matrimonij, vel alterius ex linea masculina, reddatur dos vxori, & insuper lucretur omnia eius causa parata, in quibus contineantur etiam data, seu donata vxori postquam venerit ad maritum; si vero decesserit cum filio, seu cum aliquo descendente masculo, similitèr lucretur omnia eius causa parata, exceptis veste maritali, seu nuptiali, perlis, annulo, & tessuto sponsalitijs, quas res exceptatas eo casu non lucretur, siuè fuerint transmissæ ad domum mulieris, siuè non, & quod vxor in aliquo ex prædictis casibus non lucretur lectum, nec aliqua paramenta, nec fornimenta ipsius lecti, nec partem aliquam ipsorum.

Cuius quidem Statuti naturam diligentiùs intuentes, priscorumque temporum consuetudinem cum præsentium conditione conferentes, Statutum ipsum, noua reformatione, & declaratione indigere censemus, pro id namque tempus, quo Statutum ipsum conditum fuerit, paritèr admodum res preciosæ, & iocalia mulieribus tradi debuisse existimamus, & ea omnia præmortuo viro, superstite filio, seu aliquo descendente masculo per Statuti ipsius vigorem non lucrabatur vxor ipsa; ac cum in præsentia maior ornandarum mulierum vsus excreuerit, & in dies magis exuberet, tàm aureis distinctis torquibus, siue collanis super humeris, quàm lapidibus, gemmisque pretiosis, & perlis capiti, collo, bracchijs, & alibi ad ornatum corporis annexis, & dependentibus, itaut superueniente viri morte omnia lucrari videatur, exceptis dumtaxat reseruatis in eo Statuto existente masculo, quo fit, vt amplissimarum diuitiarum, & facultatum consumptiones sæpiùs oriantur, ac opulentes familiæ subuertantur, & quod pluris faciendum est propter lucrum tantarum preciosarum rerum persæpè contingit, vt ambitiosæ matres proprios filios, & filias secundo nubentes deserant; quamobrem Statuti ipsius abusui, reformationis, & declarationis via omnino prouidere disposuimus, harum itaque nostrarum serie, quas vim indelebilis legis, & Decreti nostri perpetuo duraturi habituras esse volumus, statuimus, decernimus, & ordinamus, quod Statutum ipsum à modo in antea in hunc modum intelligatur, accipiatur, & seruetur. Si maritus decesserit sine filijs descendentibus ex linea masculina eiusdem matrimonij, vel alterius, reddatur dos vxori, & insuper lucretur omnia eius causa parata, in quibus contineantur etiam data, seu donata vxori postquam venerit ad maritum; si vero decesserit cum filio, vel filia, aut cum filijs, vel filiabus, siue descendentibus ex linea masculina; similitèr lucretur omnia eius causa parata, exceptis veste maritali, seu nuptiali, perlis,

annulo,

annulo, & tessuto sponsalitijs, necnon gemmis, aureis, collanis, iocalibus, & omnibus alijs mobilibus, siue vezetis, formalijs, & ornamentis cuiuscumque generis, & recamis tàm auri, quàm argenti, siuè separatìm, siuè mixtìm, & perlis ad vsum vxoris constante matrimonio paratis, quas res exceptatas eo casu non lucretur, siuè fuerint transmissæ ad domum mulieris, siuè non, & quod vxor in aliquo ex prædictis casibus non lucretur lectum, nec aliqua paramenta, nec pauimenta ipsius lecti, nec partem aliquam ipsorum. Mandantes Egregio Domino Vicario, xij., ac Syndicis prouisionum Communis Mediolani, cæterisque Officialibus, quibus spectat, & spectabit, quatenus has nostras reformationis, declarationis, & noui Decreti litteras in locis debitis consuetis solennitèr proclamari, & publicari, inque aliorum Decretorum nostrorum volumine describi faciant, easque prout iacent firmitèr, & inconcussè seruent, seruarique prouideant, sub indignationis nostræ pœna. In quorum &c. Dat. Viglevani die xxviij. Aprilis 1488. Signat. Chri. Bullatus.

Remissio condemnationum spectantium ad Cameram à die introitus Illustriss. D. D. Isabellæ Ducissæ nostræ retro.

MCCCCLXXXVIIII. Die Sabbati xiiij. mensis Febbruarij.

PER parte, & commandamento delli Magnifici DD. Magistri delle Intrate Ducali straordinarie, in essecutione di lettere Ducali date Mediolani die vj. del presente signat B. Calchus, si fà publica grida del tenore infrascritto videlicet.

VOlendo lo Illustrissimo, & Eccellentissimo Sig. Gio. Galeazo Maria Duca di Milano, riferire qualche gratia al nostro Signore Dio di tanto singolare dono quanto li hà fatto de la Illustrissima Madona Isabella d'Aragona sua Consorte amantissima, & nostra Duchessa, della quale Sua Eccellenza se ne ritroua in somma sodisfattione dell'animo, & desiderio suo, & consolatione, & etiam in segno, & dimostratione di tanto suo gaudio, & letitia della venuta sua, hà deliberato sua Signoria acciò che li suoi Sudditi ne siano partecipi di vsare qualche clementia, & liberalitade verso tutti suoi Sudditi, & però per parte di Sua Eccellenza per la presente grida si fà noto, & manifesto à caduna persona come l'Eccellenza Sua rimette, & perdona tutte le condannationi corporali fatte da quì indietro, mandando, che siano cassate, & annullate, & quelli se trouasseno in presone per tale condannatione, ò bandi siano liberati, & rilasciati di prigione, eccetto, che se fossero condannati alla morte, aut in are, & persona allo arbitrio de sua Signoria, ò Banditi per la vita, ò fossero ribelli dello Stato suo, aut hauessero trattato, & machinato cosa alcuna contra le persone del prefato Illustrissimo Signor nostro, & dell'Illustrissimo Ludouico suo Barba, & Locumtenente generale, & honore di Sue Eccellenze, & delli Illustrissimi Predecessori suoi il prefato Illustrissimo Signor nostro in questi casi non intende, nè vuole, che questa grida, & remissione li possa giouare, nè se li estenda. Non intendendo etiam che per questo si pregiudichi alla ragione del terzo.

Item, che tutte le condannationi pecuniarie applicate alla Ducal Camera, & fatte da Calende di Genaro del 1488. indietro siano cassate, & annullate, si che ditti condannati non possano mai per lo auuenire riceuere molestia

lestia alcuna, però che sua Signoria li rimette liberamente per quello spetta à sua Signoria, & alla Camera sua, & senza pregiudicio della ragione del terzo.

Item, che tutti quelli si trouano in prigione per debiti publici, ò priuati siano rilasciati, & liberati di prigione, ma non s'intendano liberati dal debito, & se alcuni si trouano detenuti per debiti delle intrate nostre ordinarie nō intendiamo siano per questa remissione, & liberatione rilasciati. Signat. Philippus, Aloysius, Bernardinus, Gentilis, Petrus, Paganus. Ioannes.

Decretum super donationibus, & cessionibus.

DVX Mediolani &c. Dilecte noster. Decretum à nobis nuper editum reprimendi abusus causa ad te mittimus. Volentes, & mandantes, vt ipsum pro lege obserues, obseruarique in locis Iurisdictionis tibi commissæ, & publico præconio vulgari, necnon in volumine Statutorū huius nostræ Vrbis ad perpetuam rei memoriam inseri, describi, ac commemorari iubeas, & facias, vt omnibus notum sit, nullusque deinceps iustitia excusari possit. Dat. Vigleuani die 20. Maij 1489. Signat. Philippus. A tergo Egregio Viro Potestati Mediolani nostro dilecto.

Tenor Decreti.

IOannes Galeaz &c. Cum nihil magis cordi habeamus, quàm summam Regni nostri tranquillitatem, & quietare cupiamus nostros Subditos ceteris populis, & pace inter eos, & concordia præstare, agrè audiuimus quendam fictarum donationum abusum subrepisse, & per totum dominium nostrum quotidiè magis vsurpari, in maximum multorum hominum praiudicium, fraudem, & dispendium. Quamobrem prouidere volentes, ne Subditi in perpetuum litibus atterrantur, laboribus, & expensis fatigentur, atque calliditate, & versutia circumscribantur: harum tenore edicimus, decernimus, & mandamus, ne quis in posterum audeat, quauis causa, & occasione, cuipiam eu iusuis status, & conditionis existat bona aliqua immobilia, generis cuiusuis fuerint, in ditione nostra, vel alibi, donare, nec principalitèr, nec in consequentiam, nec aliqua iura titulo lucratiuo in alium transferre, & cedere, neque notari eiusmodi donationes, iurium cessiones, ac translationes vt supra, publicis documentis stipulari, nisi donatores, ac cedentes iure iurando protestentur, & affirment, ac etiam donatarij, & cessionarij eas veras, non autem fictas, nec simulatas esse, neque vlla se ipsos fraude, aut vllo ductos, nec in fraudem alicuius personæ, sed sua sponte, atque absque sincero mentis affectu, ac bona fide ad huiusmodi donationes, & cessiones deuenire, & absque aliqua pactione palàm, vel secretè facta, quod vllo vnquam tempore retrodatio, vel retrocessio fiat de bonis tàm donatis, & cessis vt supra. Decernentes, & volentes si secùs fiet, ipsas cessiones, & donationes irritas, ac nullas esse, atque pro irritis, & nullis haberi; & Notarios, qui contra hanc mentem nostram instrumenta aliqua hac in re fecerint, Tabellionatus sui officio per annum priuari, accusatori vero libram vnam quarumcumque centum librarum pretij rerum donatarum, & cessarum vt supra omnino applicari, quod quidem Decretum nostrum perpetuo valiturum pro lege haberi, & inuiolabitèr obseruari volumus, & iubemus. In quorum testimonium &c.

Declaratio

Declaratio Decreti supraſcripti.

DVX Mediolani &c. Dilecte noſter. Has noſtras declarationis litteras ad te dedimus, vt eas publico edicto in locis conſuetis tuæ iuriſdictionis vulgari, ac in volumine Statutorum huius Vrbis noſtræ deſcribi facias. Papiæ 25. Iunij 1489. Signat. Philippus. A tergo Egregio Viro Prætori noſtro Mediolani dilecto.

Tenor declarationis.

IOannes Galeaz &c. Etſi ſatis ſuperque clara ſint Decreti noſtri verba, quod die 29. menſis Maij proxime præteriti de ceſsionibus, & donationibus edidimus, ita ut planè mens noſtra ignorari nequit, quemadmodum ex ipſius lectione proſpici poteſt; tamen ad maiorem mentis noſtræ expreſsionem, & vt omnis ambiguitas, quæ ob hoc in poſterum oriri poſſet tollatur: præſentium tenore decernimus, & declaramus non fuiſſe mentem noſtram, quod donationes, & ceſsiones, quæ inter viuos tantùm fient comprehendant eas, quæ de iure verè, & propriè, & donationes, & ceſsiones appellantur: verùm quia etiam, & donationes nonnunquam fiunt, ac iurium ceſsiones ijs, qui abſunt, necnon Pijs locis interdum. Volumus Ciues in eodem Decreto mentionatos donantes, cedenteſque teneri ad idem iuſiurandum in ipſo donationum, ſeu ceſsionum actu, cuiuſmodi abſentes, & Piorum locorum deputatos omnino ad ipſum iuſiurandum obligatos eſſe cum de donationibus, aut ceſsionibus, & edocti fuerint, & eas acceptare voluerint. Reliqua verò omnia in ipſo Decreto contenta, volumus inuiolabiliter ad vnguem obſeruari, omni exceptione remota. In quorum &c.

Decretum certarum additionum, & reformationum Decreti cauſarum ciuilium, & Decreti de compromiſsis.

DVX Mediolani &c. Dilecti noſtri. Diu eſt, quod penſitamus quis modus dari poſſit, vt collitigantium Subditorũ noſtrorum viz. innumerabilia diſcrimina ſubſequuntur quieti, & ſaluti conſuleremus. Cum autem, Deo fauente, ordines aliquos excogitauimus ad tollendum cauſarum, & litigiorum anfractus, ſedandaſque longas ipſius, latiores, & innumerabiles, immo intollerabiles expenſas, quos per Senatores noſtros vtriuſque Senatus Secreti viz., & Iuſtitiæ videri, & examinari, & lucubrari voluimus, & vobis his inuolutos damus, vt in vſum habeantur, & pro Statuto, ac Decreto ſeruentur, & ſeruari decernimus, & iubemus. Mandamus vobis, & volumus, quod ordines ipſos, & litteras ipſas his annexas pro lege, ac Decreto habeatis, in volumine aliorum Decretorum noſtrorum inſeri, & deſcribi faciatis in locis publicis, & conſuetis, vt decet publicari, vt ad omnium notitiam peruenire valeant. Dat. Mediolani die 18. Nouembris MCCCCLXXXVIIII. Signat. Marchus. A tergo Egregijs Doctoribus, Nobilibuſque Viris Poteſtati noſtro, Vicario, & XII. prouiſionũ Inclytæ Vrbis noſtræ Mediolani, & Gubernatoribus Statutorum, & Decretorum dictæ Ciuitatis noſtris dilectis, & ſigillat. ſigillo Ducali.

Tenor

Tenor Decreti hic sequitur.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriaque Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Cum satis intelligerint Illustrissimi DD. Prædecessores nostri quantum dispendij ijs, qui lites aliquas, aut causas agunt ob longam earum expeditionem afferentur, quam sæpenumero euenire concernebant, Decretum quoddam causarum ciuilium appellatum ediderunt, per quod, vt causis celerior finis adhiberetur, terminos conuenientes ad ea peragenda statuerunt, quæ expedientia essent, exceptis causis quibusdam in Decreto ipso expressis, & etiam exceptis causis; in quibus breuiori, quàm Decreti ipsius viâ procedi poterat, nisi partium consensus adesset. Volebant enim, quod in huiusmodi causis, in quibus, vel à iure communi, vel dispositione Statutorum breuiores termini præfixi sunt, quàm sint ij, qui ex Decreto ipso dantur, secundum ius commune, vel Statutorum ipsorum dispositionem procederetur, vt breuior etiam earum expeditio esset. Et quoniam postea in dubium refricari voluit, an Decretum ipsum in causis delegatis locum sibi vendicaret, & ob id huiusmodi causarum delegatarum expeditiones in longius protrahebantur, quod penitùs à Principum ipsorum mente alienum erat, & ad ingens Subditorum suorum dispendium cedebat; Principes ipsi, vt ea ambiguitas è medio tolleretur, & Subditorum indemnitati prouideretur, aliud Decretum anno MCCCCLXXXI. die primo Martij ediderunt, per quod declaratum fuit, quod prædictum Decretum de causis ciuilibus disponens etiam in causis delegatis, locum haberet, & obseruaretur. Verum quoniam nuper etiam accepimus ipsi Decreto posteriori diuersari, penitusq; à præfatorum DD. Prædecessorum nostrorum, & nostra etiam mente interpretationem à plerisque dari, & ita ipsum intelligi, vti de causis delegatis, in quarum delegatione apposita sit clausula procedendi summariè &c. vel eius effectus verba adsint, Decretum ipsum nō disponeret, ac exinde hoc inconueniens sequi, vt causæ illæ, quas à nobis delegari contingit, & quibus nos expeditionem, quo celeriùs fieri possit dari velimus, sic exigente, vel personarum, vel rerum, de quibus agitur qualitate, longiores multò alijs, ob prauam Decretorum prædictorum interpretationem reddantur, & longæ adeò dilationes in causa dantur, quod finem nunquam, vel tardum saltem adeò suscipiunt, vt partes ipsæ ingenti prius sumptu, ac labore, maximoq; detrimento afficiantur: deliberauimus pro Subditorum nostrorum commodo, cui continuè studemus, abusum hunc tollere, & alienam hanc interpretationem amouere. Per præsentes itaque, quas pro lege, & Decreto obseruari volumus, & iubemus. Decernimus, (in reliquis firmis manentibus prædictis duobus Decretis, vt præfertur, editis) quod si de cætero contingat causas aliquas, quæ sui natura summariæ non sint, per litteras nostras, vel Senatorum nostrorum committi, etiamsi in litteris ipsis apponeretur clausula, quod procedatur summariè &c. vel alia eius effectus verba exprimerentur; in causis tamen ipsis, nec etiam in causis appellationum, quæ à sententijs in eisdem causis latis interponentur longiores dilationes, nec termini, quàm sint illi, qui ex prædicto causarum ciuilium Decreto præfixi sunt statui nequeant ad probandum, nec reprobandum, nec alia agendum, quæ in causis ipsis peragenda sint. Volumus tamen, quod ea, quæ ex Decreti ipsius causarum ciuilium forma per appellantes peragenda sint, die sequenti iuridica post appellationes

ipsas, seu post commissiones, quæ de appellationum ipsarum causis factæ sunt agi possint intra spatium dierũ trium vtilium post ipsas commissiones, quia terminus ipsius diei vtilis, aliquando nimium breuis existit, & post ipsos tres dies vtiles sequantur alij termini ex Decreto prædicto ad probandum, & reprobandum, ac producendum limitati, & tempus, quod ex causa ipsius instantiæ supererit Iudici, seu Commissario relinquatur, nec per hoc tamen intendimus instantiam ipsam vltra tempus ex dicto causarum ciuilium Decreto statutum protrahi; & hoc locum habeat in quibuscumque causis, tàm summarijs, quàm ordinarijs, & sufficiat si petitio detur, seu intimetur procuratori ad causas per appellatum constituto, qui pro eo in appellationis ipsius causa comparuerit. Decernentes etiam, quod licet ex eodem causarum ciuilium Decreto disponatur, quod Iusdicens ordinarius, vel delegatus coram quo aliqua appellationis, vel nullitatis causa vertitur eam vni iurisperito committere teneatur; cum aliud postea Decretum de committendis per Potestatem, vel alium Maiorem Magistratum causis ipsis editum fuerit, Iudex, seu Commissarius huiusmodi causæ, factâ sibi de ea commissione de numero confidentium, vel vnius partis in contumaciam alterius, eam non alij committere debeat, sed ipse illã iuxta suæ commissionis tenorem decidere teneatur, prout ex dicto proximo Decreto dispositum est.

Insuper etiam, quia nobis significatum est, quod causæ illæ, in quibus compromissa ex Statutorum Ciuitatum, & Terrarum nostrarum dispositione peti possunt, & quæ cum inter personas agatur, quas æquum est à contentionibus discedere, citiùs etiam expediendæ sunt, in longius sæpè protrahuntur propter compromissorũ ipsorum petitiones, quæ sæpenumero ad id vsq; tempus fieri deferuntur, quo causis iamdudũ incoatis finis merito imponendus esset, necnon cauillationibus, quibus postea aliqua ex partibus inter quas causæ ipsæ aguntur in faciendis compromissis vtuntur; decernimus, quod si de cætero continget quempiam in causa aliqua compromissum petere, tenatur illud infra decem dies continuos à die litis contestatæ, seu habitæ pro contestata petere, & elapso eo termino, illud amplius requirere non possit, teneaturque in ipsa compromissi petitione arbitratorem suum nominare suppositum iurisdictioni seculari Ciuitatis, vel Terræ illius in qua requisitio ipsa fiet, alitèr autem requisitio ipsa nulla sit, nulliusque effectus, & momenti. Et Iusdicens ille coràm quo ipsa compromissi petitio facta fuerit statuere debeat partibus in causa existentibus, quæ ex forma Statutorum, seu etiam Decretorum ibi vigentium ad compromissum faciendum cogi possunt terminum competentem, prout sibi placuerit ad faciendum simùl, & concorditèr compromissum in arbitrum, vel arbitros iuxtà Statutorum, seu Decretorum prædictorum dispositionem de differentijs, de quibus lis, vel causa incoata fuerit, & de ijs, quæ per alteram partium peti voluerit de iure, ac de amicabili compositione per publicum Instrumentum; & si omnes partes in eo termino compromissum fecerint, permittat Iusdicens prædictus eam causam ab ipso arbitro, seu ab ipsis arbitratoribus expediri. Si aliqua partium in faciendo compromisso ipso negligens fuerit, aut renitens, & seu partes compromissum ipsum concorditèr non fecerint; eo casu possit, & teneatur Iusdicens ipse ad omnem alicuius partium, vel Procuratoris sui requisitionem de differentijs ipsis commissionem facere per actum, vel Instrumentum arbitratori, vel arbitratoribus per partem, seu partes, quæ compromissum ipsum petierint nominato

minato, seu nominatis, & si in commissione ipsa decisa non veniant, & in ea etiam commissione possit ipse Iusdicens ipsas partes, & quacumque earumo bona vicissim obligare pro arbitramentorum ipsorum, seu declarationis, quæ fiet obseruatione, & executione; quam quidem declarationem vim arbitramentorum obtinere volumus; possitque etiam Iusdicens ipse pœnam pecuniariam pro obseruatione ad illam vsque summam apponere, quæ sibi inspecta personarum, & rerum qualitate conueniens videbitur, & in huiusmodi commissionibus, etiam sine alia expressione, pro apposita habeantur clausulæ importantes solennem hinc inde stippulationē, & renunciationē, ac pacta executiua, & reliqua omnia, quæ in præmissis apponi solent, quodque siue pœna prædicta soluatur, siue non, earum declaratio executioni mandetur, ac arbitramenta ipsa, & declaratio, tàm in die feriato in honorem Dei non introducto, quàm non feriato, fieri possint, & in causis ipsis omnia acta, quæ fierent, & declarationes ipsæ, seu arbitramentales sententiæ tradi possint per quemcumque Notarium, perinde ac si compromissa in eis iuxta solitum facta fuissent. Decernentes etiam, pro minuendis eorum, qui causas ipsas agunt sumptibus, & incommodis, quòd si contingeret in ipsis compromissorum, seu commissionum vtsupra fiendarum causis, seu etiam in causis aliorum compromissorum, quæ spontè facta sunt à partibus, quæ ad ea facienda compelli non potuissent assumptionem de tertio, aut alio arbitratore fieri, eo casu priores arbitri, & arbitratores, seu Commissarij, qui à Iusdicen. vtsupra, seu à partibus electi fuerint se amplius de causa non intromittant, sed ille tantummodo, qui vtsupra assumptus fuerit arbitrator solus remaneat, & cuius solius auctoritati pareatur, alio Decreto de tertiorum arbitratorum assumptionibus disponente non attento, cui quidem, quo ad hoc, per præsens Decretum derogamus; & arbitramenta, quæ per ipsum assumptum facta fuerint, ita valeant, & operentur ac si compromissum, vel remissio in eum solum facta fuisset; & si contigerit ipsos arbitros, aut assumptione tertij, vel alterius arbitratoris salarium causæ ipsius in toto, vel in parte habuisse, eo casu id restituere teneantur, quod pro salario ipso receperint. Volentes etiam, quod si in causa principali compromissum in termino vtsupra præfixo, petitum non fuerit, non possit amplius in aliqua appellationis, quæ exinde interponatur causa peti, ac etiam, quod facto compromisso, seu commissione modo, & forma suprascriptis, scilicet inter partes, quæ, ex forma Statutorum, vel Decretorum nostrorum, ad compromissum compelli possint, partes ipsæ habeant, & habere intelligantur tantummodo tempora ad probandum, reprobandum, ac producendum ex forma decreti nostri causarum ciuilium indulta, & non vltra, quod tamen locum habere nolumus nisi in causis, quæ summariæ, sint, siue ex forma iuris communis, vel Statutorum, aut Decretorum nostrorum vlz., quo ad tempora probandi, reprobandi, & producendi in causa principali tantùm; hoc etiam addicientes, quod si quispiam in causis præcepti xv. dierum vtilium compromissum petere voluerit, illud infra dies quatuor immediatè sequuturos post præcepti ipsius emanationem petere teneatur, & ijs elapsis, non ampliùs ad compromissi ipsius petitionem admittatur, ac etiam, quod, facto dicto compromisso partes ipsæ, nec altera earum aliud tempus habeat ad probandum, & producendum in ipsius compromissi causa, quam illud, quod tempore petitionis compromissi ipsius supererat, nisi altera pars ad faciendum

compromissum

compromissum ipsum negligens, aut renitens fuerit, quo in casu, tempus dictorum quindecim dierum vtilium alteri parti non currat, nisi à tempore facti per ipsam partem aduersam compromissi. Præterea etiam, quia per vtrumque Senatum nostrum nonnulli ordines aliàs editi fuerunt circa reuisiones arbitramentorum, quorum reuisio ex Statutorum dispositione peti non poterat, decernimus, vt quisquam firmam aliquando de rebus suis certitudinem habere possit, quod quispiam ad petendam talium arbitramentorum reuisionem admittatur, nec audiatur, nisi illam à nobis, vel Senatoribus nostris infra triginta dies vtiles à die eorum arbitramentorum scientia petat, nisi præfatis Senatoribus ex aliqua iusta causa alitèr videatur dispensandum; & tamen, ipsa petitione facta, sit in facultate nostra, aut Senatorum nostrorum reuisionem ipsam concedere, aut denegare, iuxta prædictorum ordinum dispositionem. Et si contingat ipsam reuisionem concedi, eo casu volumus, quod in causa talis reuisionis partes sint in illis statu, & gradu, in quibus sunt aliæ partes, quæ causas agunt reuisionis arbitramentorum, quæ ex Statutorum dispositione reuideri possunt, sed terminus probatorius non incipiat, nisi post commissionem de ipsa reuisionis causa factam, & similitèr sententia, quæ in talis reuisionis causa proferéretur proinde effectum habeat, & operetur ac lata fuisset in causa remissionis arbitramentorum, quæ ex Statutorum forma reuideri possunt. Signat. Marcus.

Decretum quindecim dierum vtilium, & certarum aliarum rerum.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Sic saluti nostræ studemus, quieti Ciuium, & Subditorum nostrorum inuigilamus, nec aliud nobis cordi est, quàm litigia, & litigiorum anfractus præcidere, vnde expensas, incommoda, & dispendia patiuntur populi. Cùm autem condiderimus ad remedium suprascriptorum Decretu, quod vobis his inuolutum, mittimus vt ad omnem notitiam pertransire valeat: committimus vobis, & volumus, quod Decretum ipsum illicò ad scalas palatij, alijsque in locis publicis, & consuetis proclamari, & cridari, ac in volumine aliorum Ordinum, & Decretorum nostrorum inseri, & describi faciatis. Dat. Vigleuani die xxvij. Augusti MCCCCLXXXX. Signat. Aloysius P. cum sigillo Ducali in cera alba. A tergo Egregijs, & prudentibus Viris Potestati, Vicario, & duodecim prouisionum Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani, & gubernatori Statutorum, & Ordinum nostrorum, nostris dilectis.

Tenor Decreti.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes, Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Inter cætera, quæ nobis in dominio nostro curæ sunt, præsertim cordi ressidet, vt omnes Subditi nostri rectam viuendi normam discant, eamque sequantur, litesque ac dispendia, & cauillationes, quomagis fieri possit pro maiori dictorum Subditorum nostrorum commodo, & beneficio minuantur, & abbreuientur. Et eo maxime, quoniam intelleximus, plerumque causas, & controuersias, quæ inter præfatos Subditos oriri contingunt, ita in longum protrahi, vt non parum detrimenti Subditis nostris inferatur, & oc-

currere, opportunumq; superinde remedium adhibere deliberantes, duximus infrascriptas prouisiones faciendas esse, quo cauillationum, & tergiuersantium malitiæ, anfractusque litigiorum euitari, & reprimi queant; & eos, qui interdum debitores per publica documenta, aut verificata chyrographa apparent, quo debitas debitorum protrahant solutiones impetratis, aut factis in eos, eorumue bona executionibus contradicere, vt inde sententia, siue potius dilatio dierum saltim quadraginta vtilium termino expectetur; non vultus ruborem, non animæ detrimentum pertimescentes, non ipsam denique nominis denigrationem; cui volentes morbo prouidere: decernimus, volumusque, si, per apparentem prima facie debitorem, vel eius hæredes, aut legitimum eius nomine procuratorem contra impetratas, factasq; in eos, eorumve bona executiones, contradictiones fieri contigerit, producto per creditorem instrumento, seu chyrographo, præfixum ipso iure debitori terminum dierum quindecim vtilium esse probandi, & probatum habendi quocumque probationum genere quicquid contra instrumenta, & chyrographa ipsa velit; ipsoque termino præterito, nec solutione probata, aut quare ad ipsam non teneatur solutionem, iuris omnibus remedijs, debitorem cogi, omni prorsus exceptione postposita, etiam Statuto de Sapientibus dandis, alia absque monitione, vel censura ad ipsi satisfaciendum creditori. Quod si de parte solutionis, aut non debendæ partis eiusdem per legitimam causam sit probatum, ad reliquam debitor partem crediti persoluendam compellatur. Et vt omninò calumniantium dolis toto conatu occurramus: si satisfacto creditore infra triginta dies vtiles a die solutionis connumerandos indebitè exactam esse pecuniam debitor, seu indebitum soluisse probauerit, quæ tamen probatio breui termino nequaquam obstante admissa, ipso iure censeatur ad duplum debitori eius, quod indebitè exactum constiterit restituendum volumus creditorem ipsum etiam irremissibiliter compelli, si in eius personam creditum, aut alium pro eo causatum sit, aliter ad exactum indebitè dumtaxat restituendum, nisi appareat ipsum sciuisse tale debitũ fuisse solutum, quo casu ad duplum restituendum teneatur vt supra. Decernentes contenta in præsenti decreto comprehendere etiam eos, qui intemptant beneficium Statuti Mediolani: Si quis prima facie apparuerit debitor, vbi per debitorem, fideiussoremve, vel eorum, & cuiuslibet eorum hæredem in termino quindecim dierum vtilium nulla facta sit probatio. Declarantes etiam per huiusmodi præsentis decreti prouisionem non excludi, vel aliquanter minui alia remedia, quibus ex aliqua lege municipali, vel aliter celerius creditoribus, vel quibusuis spectat consultum sit. Declarantes insuper etiam, forenses non suppositos iurisdictioni eius, coram quo attemptari velit huius Decreti beneficium, nõ gaudere beneficio præsentis Decreti, nisi, ante omnia, parte contra quam velit obtineri executio legitimè citata per talem non suppositum, & ipse talis se subijciat iurisdictioni illius, coram quo agi contingeret, & renunciet priuilegio fori, ac idoneum det fideiussorem eidem Iudici subiectum, qui constituat se principalem debitorem de restituenda omni quantitate, de qua supra, vna cum omnibus expensis, casu quo appareat eum indebitè exegisse vt supra. Et quia Inclytæ Vrbis nostræ Mediolani Statuto cautum est, captiones pro aliquo debito, etiam publico, non teneri de mensibus Ianuarij, nec Februarij durante matrimoniorum contrahendorum tempore, nec per tres dies vltra, indubiumque versari, intelleximus àn Statutum ipsum intelligi debeat, captionem

nem ad tertiam vſque diem Martij nõ teneri,ſiuè potiùs poſt triduum poſt vltimam matrimoniorum diem, quæ quarta eſt dies Sabbati carnispriuij annuatim procedens. Declaramus Statutum ipſum intelligi debere, captiones ipſas teneri tribus diebus elapſis poſt vltimam matrimoniorum diem prædictam, & ita de cætero volumus obſeruari, ſingulos etiam Quadrageſimales profeſtos dies in futuris litibus pro ſemivtili die. Ad tollendũ autem omne dubium decreuimus in Decreto inſuper edito anno 1474. decimo Decembris ſuper citationibus, & præceptis hæc verba: Et terminus comparendi in præceptis ipſis apponatur, & exprimatur ſi ex præceptorum ipſorum natura in eis terminus aliquis ſtatuendus ſit; nec deſunt tamen, qui in præceptis ipſis, vt incerti reddantur ij, quibus præcepta tranſmittuntur, terminum comparendi aſſignent ſecunda, aut tertia die iuridica tantum poſt præceptorum ipſorum intimationem, aut factã executionem, quod noſtræ menti penitùs alienum eſt, ſi quidem volumus ipſum ita Decretum intelligi, ſeruariq;, quod ſlz., vbi comparendi dies ſecunda ſit, ex prædicti Decreti forma, certa dies ſtatuatur vlz. Martis, aut Mercurij decimo, ſiue nono talis menſis in tertijs, aut veſperis, prout Iudex duxerit ſtatuendum aliter præceptũ nullius ſit valoris, pariter & momenti. Sunt item & fictabiles, partiarij, vel coloni vltimo conductorũ, prædiorum anno milio, panicoque, ac ſimilibus tota ferè prædia occupantes, quo fit, vt & lites, & diſcordia inter Subditos noſtros ſæpiùs emergant. Quandoquidem condigna ſeminandi tritici, ac ſicalis portio minime relinquatur. Opportunè nos prouidendum exiſtimantes: declaramus ſi quidem pecunia prædium cõductum fuerit dimidiam milio, panicoque, & ſimilibus vltimo conductionis anno, aliter dumtaxat tertiam partem occupari poſſe. Præterea Statuto prædictæ Ciuitatis noſtræ Mediol. de rei locatæ reſtitutione ſancitum eſt, quod conductor, elapſo termino, teneatur, nulla obſtante exceptione, conductam rem locatori dimittere ſi congruo tempore requiſitum fuerit per locatorem, vel Ius ab eo habentem, prout in ipſo latius Statuto relegitur; ambigiq; accepimus quomodo verbum ipſum congruo tempore intelligendum ſit. Nos Conductorem in prædijs ruſticorum ante Diui Laurentij Feſtum; in vrbanis verò ante Kalendas Septembris decernimus fore requirendum; & ſi rem locatam intra locationis tempus vendi, vel alienari contigerit, emptor, vel acceptor locationi ſtare neceſſe non habeat in Statuto Mediolani diſponitur, hoc addito: ſi congruo tempore vtſupra conductor fuerit requiſitus. Nempè enim, ipſa requiſitione congruo tempore, vt præmittitur, facta, ad proximum Diui Feſtum Sancti Michaelis vrbanorum, Diuique Martini ruſticorum prædictorum conductorum expelli queat, conductore tamen regreſſum habente, vt in ipſo de re locata, quæ alienetur Statuto ſancitum eſt. Decernentes etiam prædicta in conductore ſicut in locatore locum habere, vt & ipſe conductioni ſtare teneatur, niſi denuntiauerit vtſupra, de quibus omnibus, quæ de locatore, & cõductore dicta ſunt ius reddatur, aliquibus ferijs nõ attentis. Decernentes quoque, quod relinquenda per colonos, & fictabiles ex forma Statutorum præfatæ Vrbis noſtræ Mediolani, quo tempore colonia relinquitur, pariter relinquatur per eos, qui prædia tenent intra Corpora Sanctorum Vrbis eiuſdem, & etiam contra eos tenentes ruralia prædia, ſeu terras intra prędicta Corpora Sanctorũ locũ habeant omnia Statuta prædictæ Vrbis Mediolani, & Decreta noſtra loquentia de executione contra colonos, fictabiles, vel inquilinos. Inſuper decernimus, & declaramus, quod emptor, vel acquiſitor locationi temporali datoris ſui ſtare teneatur, niſi

in Instrumento inuestituræ, vel alterius acquisitionis vtraque pars iuret ad Sancta Dei Euangelia, manibus corporaliter tactis scripturis, ipsam inuestituram libellariam, aut acquisitionem esse bonam, & veram, & non fictam, nec simulatam, nec in fraudem coloni, nec fictabilis temporalis factam, & absque pactione, & spe renunciandi ipsi inuestituræ libellariæ, vel acquisitioni, vel alienationi debitè referendo respectu contractuum de cætero faciendorum, & inter viuos tantùm. Signat. Aloysius.

Reuocatio litterarum expectatiuarum beneficiorum.

DVX Mediolani &c. Dilecti nostri. Per occorrere alli litigij, trauagli & dispendij, che seguiriano intra li nostri Subditi, siamo stati constretti reuocare tutte le letteré per noi concesse fin quì, & che ne accadesse concedere in futurum de licentie de posser conseguire beneficij vacaturi nel dominio nostro, per virtù de expectatiue elettioni, & riserue, & qualunque promesse fatte per nostre lettere de alcuni beneficij per publico Decreto, del quale ve mandiamo la introclusa copia. Volendo, & imponendoue, che lo facciate publicare, & proclamare in li luochi consueti de questa nostra Città, acciò peruenga à notitia di ogn'vno. Commandando per le presenti nostre à qualunque nostri Trombetti, & de nostri Officiali che lo debbiano proclamare, & esequire quanto voi li commetterete in questa materia, & ne rescriuerete quanto poi hauerete fatto. Somæ vj. Octobris MCCCCLXXXX. Signat. Iac. Antiquarius, cum sigillo Ducali in cera alba, vt moris est. A tergo dilectis nostris Oeconomis Mediolani.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Creuit in aliquibus hominibus, qui hoc tempore se ordini Ecclesiastico adhæserunt, tanta cupiditas, & ambitio, vt non ampliùs, iuxta moderatum veteris Ecclesiæ ordinem, præcedentibus meritis, spem habere velint, sed magno studio vacationes beneficiorum præoccupantes in periculum viuentium se eligi in Canonicos ad præbendas procurent, & reseruationes, ac litteras expectatiuas impetrent, vnde frequentèr eueniunt litigia, intricationes, & detrimenta, quam rem proximis annis parùm pendentes contra instituta, & Decreta Illustrissimorum Principum progenitorum nostrorum per alienam, & multam importunitatem litteras licentiæ concessimus nonnullis, quorum numerus iam penè ad pudorem grauis est; ex quibus litteris licentiarum subortæ sunt altercationes, litigia, & scandala multa, itaut pro seruanda Ecclesiarum dignitate, & retinenda inter Subditos nostros quiete cogimur opportunè prouidere; quare, inhærentes vestigijs eorundem Illustrissimorum Progenitorum nostrorum, quod Catholici Principes fuerunt semper, neque aliud quicquam procurarunt, quam quod cum Deo sanctum, & bonum esse videretur. Tenore præsentium, vim, & robur Decreti obtinentium, irritamus, & reuocamus omnes, & singulas eiusmodi litteras licentiarum hactenùs per nos concessas, & quas concedi in futurum forsàn contingeret. Simulq; annullamus omnes promissiones per litteras missiuas quibusuis factas, itaut perinde habeantur, ac si factæ, & concessæ nunquam forent. Si quis autem præsumpserit ampliùs vti eiusmodi licentijs nostris, siue promissionibus, incurrere censebitur in pœnas in dictis Decretis, & institutionibus

nibus contentas. Mandantes Oeconomis nostris, vbique in nostris Ciuitatibus existentibus, vt hanc nostram reuocationem, & hoc nostrum irritationis, & licentiarum, ac promissionum reuocationis Decretum per praecones in locis publicis, & consuetis notificari faciant, vt sit nemo, qui meritò ignorantiam praetendere posit. Quia quicunq; amplius contrafecerit vendo dictis licentijs, & promissionibus inexcusabilis apud nos erit; & punietur. Dat. Somae vj. Octobris MCCCCLXXXX.

Quod concessiones feudales, seu donationes per nos factae non se extendant ad foeminas &c.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiae, Angleriaeque Comes, ac Ianuae, & Cremonae Dominus. Meminimus alias dignis moti respectibus Decretum nostrum condidisse datum sub die 27. mensis Martij prox. elapsi tenoris infrascripti vlz.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Solebant maiores nostri quorum sincerae fidei js, & industria in agendis rebus vsi essent firmae aliquid, & certae rei elargiri; quod, & voluntatis optimae, gratique animi monumentum, & praestitae fidelis operae pignus extaret. Nunc deinde nos, morem secuti, & quae nostri maiores fecerunt, confirmauimus, & noua insuper concedere contingit, id quod libenter quidem fecimus, & facturos etiam in posterum non negamus. Verùm vnum est, quod nonnulla interdum nos afficit molestia, quod persaepè non tàm magnae necessitatis, quàm modici alicuius commodi causa in alios, atq; alios transferri ex ea videmus, subindeque permutari, ad aliosque Dominos transire, ex quo saepe intercidit, peritq; memoria talium beneficiorum à nobis, Illustrissimaque gente nostra collatorum; quod cum dignitati nostrae plurimum obsit, nec minora detrimenta capiat Fiscus noster. Et aequum censeri debeat ea durare, aeternaque esse; quae beniuolentem Principum animum testificentur. Nostrae operae esse duximus id omnino mali auertere, & quantum possumus rei nostrae fidem, aeternitatemq; praestare. Igitur, cum, consensu, & voluntate Illustrissimi Patrui Curatoris, Locumtenentis, & Capitanei nostri generalis D. Ludouici Mariae Sfortiae Ducis Barri, facimus, ex certa scientia, & de nostrae potestatis plenitudine, etiam absolutè, decernimus, statuimus, ac perpetuo edicto sancimus, vt bonorum quorumlibet immobilium, donationes, concessionesue gratuitae quibusuis verbis, clausulis, conditionibus, titulis, derogationibus amplificatae, & munitae, tam quas nos ad hanc diem fecimus, quàm quae posthac à nobis, successoribusque nostris fient, quae ius transeundi ad posteros habent, intelligantur pertinere, & spectare, ac omnino pertineant ad eos, in quos collata, dataque primitùs fuerint, atque item ad eorum filios, & descendentes, ac descendentium descendentes masculos, & legitimos, ac de legitimo matrimonio natos, & nascituros tantùm, itaut neque in extraneos alienari, neque in foeminas vllo modo transferri, vel in alia bona permutari queant. Sed in filios, vt diximus, masculos, reliquosque omnes legitimae, masculinaeque prolis posteros perueniant. Caeterùm ne scrupulus, peruersaq; interpretandi occasio ingenijs hominum relinquatur, exprimendum visum est, quod mente ipsi concepimus. Neque enim consilij nostri est velle per hoc Decretū derogari, derogatumque esse cuiquam contractui venditionis, permutationis, aut quolibet alio titulo alienationis, seu translationis dicto-

 rum

rum bonorum, quatenus iuxta concessiones, & dispensationes nostrarum litterarum, aut maiorum nostrorum facta iam, & transacta, atque effectum habuisse reperiantur, neque etiam hanc mentem nostram extendi debere intendimus ad aliquas concessiones, siue dispensationes, quas hactenùs fecissemus, seu in futurum faceremus nos, & successores nostri, vt super bonis per nos donatis, seu donandis vtsupra possint mulieres cautæ reddi dotium suarum ratione, & bonorum parafernalium; sed si fortè aliquæ dispensationes alienandorum bonorum à nobis, aut maioribus nostris iàm emanassent, nec tamen adhuc transactæ alienationes ipsæ, confectique contractus forent, ad eas tollendas, extinguendasque præsentis Decreti vim pertinere volumus, atque ita sicuti iam peractas minimè interrumpimus, sed in vigore, virtuteque sua relinquimus; ita infectas, ne in posterum amplius fieri possint, interdicimus. Quodquidem ita firmum, sanctumq; esse declaramus, vt quicquid contra actum, factum, concessum, impetratumve fuerit irritum prorsùs, & nullius effectus, roborisve, & momenti sit, nullaque ratione teneat quicquid in aduersum fiat, nisi huic Decreto signantèr, & expressè derogetur. Cuius nostræ voluntatis, constitutionisque, vt perpetuum monumentum extet, palamquè omnibus intelligatur, mandamus Regulatori, & Magistris Intratarum vtriusque Cameræ, ac Referendarijs, & Officialibus nostris ad quos spectat, vt has nostras publicari, vbi de more est, atque obseruari curent, moxque ipsi diligentèr custodiant, & obseruent, inque ordine, & libris aliorum nostrorum Decretorum referri, registrariq; faciant. Dat. Mediolani die 27. Martij 1490. Signat. B. Calchus.

Modo autem pro ampliori mentis, & intentionis nostræ declaratione, & expressione, vltra ea omnia, quæ superinde in Decreto nostro prædicto recitantur, & expressa sunt, accedente etiam consilio, deliberatione, & consensu præfati Illustrissimi Patrui Curatoris, Locumtenentis, & Capitanei nostr. generalis amantissimi, facimus, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, etiam absolutè, decernimus, statuimus, & proprio edicto firmamus, & sancimus, vt bonorum quorumlibet immobilium donationes, concessiones gratuitæ, & infeudationes quibuscumq; clausulis, conditionibus, titulis, derogationibus amplificatæ, & munitæ, tàm quas Illustrissimi Prædecessores nostri, & nos ad hanc vsque diem fecimus, quàm quæ post hac à nobis, successoribusque nostris fient, quæ ius transeundi ad fœminas, vel posteros, vel ad alios aliter disponendi habent, intelligantur pertinere, & spectare ad eos, in quos collatæ, datæq; primitùs fuerint, eorumque beneficio hi soli gaudere possint, necnon eorum filij, & descendentes, & descendentium descendentes masculi, & legitimi, & de legitimo matrimonio nati, & procreati tantùm, itaut neq; facto hominis, nec legis ministerio in extraneos alienari, & deuenire, neque in descendentes fœminas aliquo modo transferri, vel in alia bona permutari queant; sed in filios, vt prædiximus, masculos, reliquosque omnes legitimos masculinæ prolis descendentes tantùm perueniant. Non intendimus tamen per præsentes derogari, derogatumque esse iuribus earum fœminarum, & personarum, quæ in possessione reperirentur bonorum, & iurium per nos, seu prædecessores nostros donatorum, seu alitèr concessorum ante diem vigesimam septimam Martij prox. præteriti respectu comprehensorum in Decreto supradicto, & à Kalendis Septembris retro ratione præsentis Decreti nostri, modo iuxta concessiones per nos, seu

prædecessores nostros factas in fæminas, vel extraneas personas deuenire potuerint. Quoniam si tales concessiones iàm effectum reperiantur habuisse per adeptionem possessionis vtsupra, eas firmas, & illibatas esse volumus. Quod si fortè dispensationes, vel concessiones alienandorum bonorum à nobis, aut prædecessoribus nostris habuissent, & adhuc res integra extaret, quod nundum adita foret possessio iurium, & bonorum donatorum, seu alitèr concessorum per fæminas, vel extraneas personas, in quas vigore donationum, & concessionum factarum, vel concedendarum vtsupra deuenire possent; ad id tollendum, extirpandumque, præsentis Decreti dispositionem vim obtinere volumus, atque ita sicut iàm effectum habuit per adeptionem possessionis ante ea tempora de quibus supra singula singulis cõgruè referendo, quæ minime interrumpimus, sed in vigore, virtuteq; sua relinquimus. Ita quod si integrum adhuc extiterit, vel effectum non habuerit vtsupra, interdicimus prorsus, & abscindimus. Quod quidem ita validum, & firmum esse declaramus, & quicquid contra actũ, impetratumve fuerit irritum prorsùs, nulliusque efficaciæ, ac momenti sit, nec quouis modo teneat quicquid contra fiet, nisi huic Decreto signantèr, & expresè derogetur. Cuius nostræ voluntaris, constitutionisque, vt publicum, perpetuumque monumentum extet, palamquè omnibus intelligatur, mandamus Regulatori, & Magistris Intratarum vtriusque Cameræ nostræ, ac Referendarijs, & Officialibus ad quos spectat, vt has nostras publicari vbi de more est, atque obseruari curent; moxque ipsi diligenter custodiant. & obseruent, inque ordine, & libris aliorum nostrorum Decretorum referri, registrariq; faciant. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari, nostrique sigilli impressione muniri iussimus. Dat. Vigleuani die xiij. Nouembris MCCCCLXXXX. Io. Galeaz Maria Dux Mediolani subscripsit. Ludouicus Maria subscripsit. Signat. B. Calchus, cum sigillo Ducali in cera alba, vt moris est.

Decretum, seu reformatio super oneribus.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani. &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Genuæ, & Cremonæ Dominus. Nihil magis decere Principem existimamus, quàm omni studio, solertiaque curare, & eniti, vt subditi totius eius dominij quietè, & pacificè viuere possint. Verùm cum ex multiplicibus, & diuersis Subditorum nostrorum querel s acceperimus, ipsos in dies vexari, & cogi soluere onera, & grauamina imposita, seu quæ imponuntur tempore extimi per nos, seu per Agentes nomine Cameræ nostræ pro bonis, quæ sunt iàm per eos diuersis titulis in alios translata, & alienata, itaut alienantes ipsi de ijs nullum amplius commodũ habeant, ijs, ad quorum manus bona ipsa peruenerunt onera prædicta sustinere recusantibus prætextu ciuilitatis, seu exemptionis, seu alterius cuiusuis quæsiti coloris, quod ab omni humanitate, & iustitia alienum esse arbitramur, cum iniquum valdè censeamus, vt de bonis alienatis, de quibus quis commodum non sentit, onus sustinere debeat, & nec etiam per alienationes huiusmodi in Ciues, vel aliter non sustinentes onera factas præiudicari, vel redditibus Cameræ nostrum detrimentum afferri conueniens sit; ideò opportunam prouisionem adhibere decreuimus, & licet aliàs de anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo per Illustrissimum, & Excellentissimum Dominum Ducem

Franciscum Dominum, & Auum nostrum præcolendissimum circa prædicta Decretum editum extiterit, quod æquissimum quidem, & maxima cum ratione conditum fuit disponens, quod bona prædicta alienata cum onere suo transirent, tamen ob temporum conditiones, & varietates ipsum Decretum, vt accepimus, obseruatum non extitit, quod nobis molestissimum est. Volentes igitur cum nobis non minor cura sit Subditorum nostrorum, quàm fuerit Illustrissimis, & Excellentissimis Prædecessoribus nostris, vt quantum fieri possit ipsorum commodis, & quieti consulatur, vtque onera illa, quæ subire necesse est, tollique non possunt, saltem adhibita omni possibile qualitate, faciliùs tollerentur. Quapropter edicimus, ac sancimus, vt omnes Ciues, ac Subditi nostri, vel quælibet alia persona cuiusuis status, conditionis, & præeminentiæ existat, quæ acquisiuerit in aliqua parte dominij nostri aliqua bona titulo venditionis, donationis, transactionis, permutationis, vel legati in solutum, aut in dotē dationis, vel quolibet alio quouis titulo, quæ extimata essent, vel de cætero extimanda venirent per Cameram nostram, seu Agentes nomine nostro, vel aliter essent huiusmodi oneribus Cameræ nostræ spectantibus obnoxia, & contribuere solita teneatur, & obligata sit à die primo vltimæ reformationis factæ citrà sustinere, ac soluere pro bonis ipsis acquisitis omnia grauamina, & onera, quæ alienantes ipsi solubant, seu soluere, & sustinere tenebantur, nec à die dictæ vltimæ reformationis citrà vlla persona cuiusuis status, & conditionis existat vt supra à dictis oneribus, & grauaminibus impositis, seu de cætero imponendis per nos, seu Cameram nostram se aliquo quouis modo eximere possit, neque valeat, verùm cum accepimus etiā in fraudem huiusmodi Decreti, alienantiumq; prædictorum maximum damnum, quorum aliqui ob id aliquando ferè consumpti remansisse dicuntur quasdam inter alienantes ipsos, & ementes Ciues, vel alios vt supra fieri conuentiones, pactionesque secretò, vel palàm initi, vt scilicet alienantes ipsi, non obstante, quod bona prædicta alienauerint, & ea ampliùs non possideant, vel vtique sua non sunt, nihilominus teneantur, ac debeant continuare solutionem onerum, & sustinere adhuc pro bonis alienatis quæcumque grauamina incumbentia, & tàm imposita, quàm imponenda nomine Ducalis Cameræ, & hoc vel vsque ad nostrum compartitum, seu informationem, vel simpliciter sine vlla temporis præfinitione, ipsosque ementes, vel aliter acquirentes à prædictis oneribus indemnes præstare, perinde ac si ea bona non alienassent. Ideircò ad obuiandum talibus fraudibus, subueniendumque intollerabilibus hoc modo alienantium incommodis, decernimus, ac iubemus tales pactiones, seu conuentiones de cætero non valere, nec tenere ipsos inter alienantes, & acquirentes, cum satis constet eas non valuisse, nec valere à dicto primo die vltimæ reformationis citrà in præiudiciū Cameræ nostræ, obstan. Decreto hoc nostro, ac præfati Aui nostri Colendissimi, & ita pro nullis, & irritis censeri volumus inter ipsos contrahentes quascunq; conuentiones huiusmodi, quæ de cætero in contrarium fierent a die publicationis huius nostri Decreti in antea. Cuius nostræ voluntatis, constitutionisque, vt publicum perpetuum monumentum extet, palamque omnibus intelligatur, mandamus Regulatori, & Magistris Intratarum nostrarum vtriusque Cameræ, & Referendarijs, & Officialibus, ad quos spectat, vt has nostras publicari, vbi de more est, atque obseruari curent, moxq; ipsi diligentèr custodiant, & obseruent, inq; ordine, & libris aliorum

nostrorum

nostrorum Decretorum referri, registrarique faciant. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostrique sigilli impressione muniri. Dat. Papiæ die primo Iunij Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo. Io. Galeaz Maria Dux Mediolani. Ludouicus Maria subscripsit. Signat. Albertus cum sigillo Ducali in cera alba, vt moris est.

Decretum de prorogationibus non fiendis.

IOannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comes, ac Ianuæ, & Cremonæ Dominus. Fecit nuper Senatus noster secretus Senatusconsultum in sententiam subsequentem viz. Cum Illustrissimus D. Ludouicus ad Senatum scripsisset se admonitum fuisse de nimia, & indebita procrastinatione, ac dilatione causarum, quæ dicebantur de industria à Doctoribus Collegiorum Ducalis ditionis protrahi, in maximum detrimentum, & iacturam litigantium: iussissetque propterea per Senatum decerni aliquid ad tollendas eiusmodi procrastinationes. Senatus secretus, vocatis Abbatibus, & aliquibus ex primoribus Collegij Mediolani, adhibitoque Senatus Iustitiæ re sæpius consultata, & diligentèr examinata censuit nullum aliud remedium salubrius excogitari posse, quàm recidere facilitatem prorogationum, à quibus dilationum fundamenta iaciuntur, & propterea deuenit in hanc sententiam, vt in prorogationibus concedendis semper maturè, & consultè procedatur, nec deueniatur ad concessionem alicuius prorogationis præterquam in causis compromissi voluntariè facti, vbi non sit deuentum ad electionem tertij ex necessitate, nisi prius detur iuramentum, tàm Commissario causæ, quàm litigantibus à quibus postulabitur ân per calumniam, & vt res protraharur, vel ex necessitate prorogari causam postularet, & quod ea necessaria sit pro cognitione, & decisione causæ, & iurantibus Commissario, similitèrque altera partium de necessitate vt supra, eo casu possint concedi duæ prorogationes, & hoc iuramentum præstari debeat, vel in manu Notarij ad id rogati, vel in manu alicuius ex Cancellarijs illius Senatus vbi prorogatio ipsa petetur: sufficietque si iuramentum prædictum infra duos dies immediatè sequentes postquam prorogatio ipsa fuerit petita præstitũ fuerit, & possit procurator causæ tale iuramentũ præstare loco principalis sui, & solùm duæ in vna causa concedi possint, interueniente tamen semper eiusmodi iuramento, & nulla earum prorogationum excedere possit mensem vnum continuum. Quod si vltra secundam prorogationem aliæ etiam postulabuntur, nõ concedantur, nisi si, vltra eiusmodi iuramentum re principi significata, & probata ab eo rescriptum fuerit, vt concedatur, cuius mens est ne hæ, quæ tertio loco prorogationes concedendæ videbuntur mensem vnum continuum, vt aliæ superiùs dictæ excedant; hoc tamen declarato, quod prædictæ prorogationes concedendæ modo quo supra, initium sumant in causis ordinarijs, completis priùs termino à Decreto in causarum instantijs limitatis, & in causis summarijs, vel cridarum, & alijs quibuscumque causis extraordinarijs finitis dilationibus à lege, vel à Iudice datis, & concessis. Verùm si vtraque pars conuenerit de prorogatione qualiscumque postulabitur, & spontè, ac liberè assentiantur, & petant, ac subscribant ipsi principales, modo non sint absentes, aut valitudinarij, aut mulieres, vel pupilli, aut ex aliquo genere eorum, qui ipsi petere, aut subscribere non possint, vt cautius omni dilationis generi

occurratur,

occurratur, & in casu quod in aliquo generum supradictorum principales sint pro eis liceat procuratoribus petere, ac subscribere, tunc pro eorum arbitrio censuit Senatus ipsam esse concedendam, quandoquidem ex libera voluntate partium in contractum transire dici potest; hoc idem etiam obseruetur in causis pendentibus, quæ longo tempore durauerunt, & vltra concessas prorogationes in illa causa duæ etiam dumtaxat ex ordine concedi possint modo quo supra, & si aliæ prorogationes vlterius postularentur non concedantur, nisi seruato ordine de quo supra, firmis tamen, & suo robore manentibus alijs prorogationibus antea concessis. Item ordinatum est, quod si hactenus aliquæ prorogationes, vel suspensiones concessæ fuissent absq; temporis præfinitione, quod ad querelam illius partis, quæ tali prorogationi non consensit, præfigatur terminus illi prorogationi, vel suspensioni, qui tamen mensem continuum vtsupra non excedat, vt ipsi liti finis celeritèr imponi possit; hoc tamen addito, quod à modò tales prorogationes, vel suspensiones sine temporis præfinitione non concedantur, nisi procedant ex libera, & spontanea partium ambarum voluntate petitæ à principalibus vtsupra. Insuper cum vltra prorogationes contingat etiam peti suspensiones causarum, ordinatum est, vt nulla suspensio, quæ à parte postularetur concedatur, quæ excedat quatriduum continuũ in Ciuitate Mediolani, vel in Ducatu; & extra Ducatum à quatriduo vsq; ad dies duodecim continuos iuxta qualitatem locorum, & temporum, nisi præstito iuramẽto, & habita cognitione de necessitate suspensionis; his modo, & forma, quibus supra sancitũ est fieri debere de prorogationibus concedendis. Et quoniam in litibus, quæ aguntur extra iurisdictionem Vrbis Mediolani non possunt, nisi maxima cum incommoditate, Commissarij causarum, nec partes accedere ad Senatum pro iureiurando, & suprascriptis executioni mandandis, ordinatum est, vt pro prorogationibus, & suspensionibus concedendis in causis, quæ aguntur extra iurisdictionem Ciuitatis Mediolani, hoc Senatus Consultum mittat ad omnes Commissarios, ac Prætores Ciuitatum Ducalium, quo per eos publicetur in Ciuitatibus, & Oppidis, Terrisque maioribus sibi commissis, & perpetuo eis huiusiurandum præstandum, & cognitionem habendam de necessitate huiusmodi prorogationis, quæ postulabitur per ipsos Commissarios, vel Prætores executioni mandetur in omnibus proutsupra disponitur, postmodum, delato priùs iuramento per ipsos, partibus vtsupra, Commissarij, ac Prætores per eorum litteras Senatum statim moneant, & de iuramenti delatione, & de prorogationum necessitate, vt postmodum per Senatum ipsum prorogationes ipsæ confirmari possint.

Quæ omnibus tùm à nobis, tùm ab Illustrissimo Domino Ludouico patruo nostro optimo examinatis, cum & prudenter considerata, & diligentèr prouisa, ac instituta iudicemus. Tenore præsentium ipsum Senatus Consultum approbantes, & summoperè laudantes illud vim, & robur perpetui, & inuiolabilis Decreti habere volumus, & iubemus, rursusque omnia in eo contenta seruari decernimus, & sancimus. Mandantes Senatoribus vtriusque Senatus nostri, reliquisq; Magistratibus, & Iusdicentibus nostris omnibus præsentibus, & futuris, cæterisq; ad quos quomodolibet spectabit, vt prædicta omnia diligentèr custodiant, & obseruent, obseruarique inuiolabilitèr faciant pro eo quanti gratiam nostram faciunt. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari iussimus, nostrique sigilli impressione muniri. Dat. Viglevani decimo Martij MCCCCLXXXXIIII.

Signat. Philippus Comitis.

Suspensio

1507. Die decimo Maij.

Reuerendissimus, & Magnificus Regius Senatus Mediolani, attento futuro proximo aduentu Christianissimæ Regiæ Maiestatis ad Vrbem Mediolani, & ne propter occupationes, quas in Ciuitate ipsa causa ipsius felicis aduentus esse continget aliquod præiudicium habentibus causas coram Iusdicentibus ipsius Ciuitatis inferatur, & vt quietiori animo per homines eiusdem Ciuitatis aduentus prædictæ Christianissimæ Regiæ Maiestatis decorari possit, indixit q; ferias repentinas à die hodie exclusiuè, vsque ad aduentum ipsius Christianissimi Regis nostri, & per tres dies post, itaut interim instantiæ quarumcumque causarum ciuilium existentium coram quibuscumque Iusdicentibus Vrbis Mediolani, & quicunque termini pro ipso tempore non currant, sed suspensi sint, & esse intelligantur. Signat. Io. Franciscus.

Decretum funeralium in fauorem Presbyterorum.

Reuer. in Christo Pater nobis dilectissime. Nuper hoc Decretum cuius exemplum inclusum mittimus condere ratio rerum nos compulit, formatũ ad dispositionem Clementinæ in Concilio Viennensi editæ super funeralibus, & legatis mortuorum. Quare hortamur, & oneramus V. R. Paternitatem facere velit, vt ad notitiam publicam transeat, neque sit, qui de ignorantia se possit excusare, quia obseruandum esse huiusmodi Decretum pro honestate, & vtilitate publica censuimus. Papiæ die vigesimo octauo Iunij millesimo quadringentesimo primo. Io. Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani. Signat. Ioannes Antiquarius, cum sigillo Ducali in cera alba, vt moris est. A tergo Reuerendissimo in Christo Patri D. Guido Antonio Arcimboldo Archiepiscopo nostro dilectissimo Mediolani.

Tenor Decreti sequitur.

Ioannes Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Genuæ, & Cremonæ Dominus. Multum studium, multamque operam, sicut par erat, impendimus nuper in controuersia, quæ tàm de legatis, tùm etiam de funeralibus mortuorum inter Parochiarum Rectores dominij nostri, ac Fratres Ordinum Mendicantium excitata est, atque vt ea cura nobis cordi esse appareret, duos ex nostris Senatoribus adhibuimus, qui specialiter curarent, concedentes ipsos ad concordiam reducere, quorum diligentia, & labor, quoniam in vanum recidit, cum Mendicantes à priuilegio suo, quod maremagnum vocant, pedem mouere recusauerint, Parochiani verò iniquum putent, vt ipsi, qui diei, & æstus pondus sustinent portionibus suis antiquo iure, & vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ consensu, ac approbatione taxatis extra culpam suam priuentur. Sequitur, vt contentio in medio remanens non solùm diuidentium bona, quæ relicta sunt ex funere, & legatis corda disgreget, sed etiam scandalum gignat inter Christifideles, & in nostris populis diuersa studia parturire posse cernantur. Cum ergo hac via, quod cupiebamus,

bamus, non successerit, merito cogimur aliam ingredi communis boni respectu, & consideratione, atque ad remedium descendere, quod aequum pluribus, nullis verò iniustum videri debeat. De Civitatum enim nostrarum quiete solicitos nos esse ratio poscit, & Deus iubet. Quare hoc perpetuo Decreto nostro sancimus, & ordinamus, vt tota eiusmodi, tàm de funeralibus, quàm etiam de legatis controversia, ad eius Clementinae tenorem, & dispositionem, quae in Viennensi Concilio approbatione Patrum vniversalis Ecclesiae fuit edita prorsus reducatur; quam Clementinam circa ipsa legata, & funeralia in omnibus, & singulis oppidis, & locis nobis subiectis tanquam sanctam, & inviolabilem observari, & adimpleri volumus. Mandantes quibuscunque mortuorum, tàm haeredibus, quàm vestrorum executoribus, vt iuxtà, & secundum ipsius Clementinae tenorem, & formam quartam partem funeralium, & legatorum Parochianis ipsis, quorum interest cum pace, & charitate fideliter consignare debeant, sub poena mille ducatorum, in quam incidisse censeantur quoties contrafecerint, convertendam arbitrio nostro in vsus pios, non enim aliud ad hanc sanctionem, & Decretum nos impellit, quàm zelus populorum, & domus Dei, in qua nihil tumultuosum, & contentiosum, nihil non decorum conspici, & audiri debet. Nec est qui dolere possit, modo conscientiam suam ritè perscrutetur, si ad observantiam praedictae Clementinae ab vniversa Synodo tunc quoque partium concordia constitutae, cogitationem, & animum nostrum convertimus; praesertim, quia privilegia potius ex studio flagitantium, quàm spontanea voluntate concedentium proficisci consueverunt, etiamsi alienis verbis fuerint adumbrata. Papiae die decimo octavo Iunij Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

Ordo circa Officiales Monetarum.

DVX Mediolani &c. Dilecte noster. Quamquam dum generale Decretum ad communem omnium populorum nostrorum vtilitatem proximis diebus conderemus, in mentem etiam venisset reformatio ordinum rei Moneta[r]iæ, illi quoque rei, quo diligentiùs à nobis fieri potuit consulimus, verùm nedùm in populos nostros mansuetudinem, & charitatem ostendere cupimus, fortasse depravatorum impuritatem, & malum ingenium ad monetas adulterand. minùs, quàm publica vtilitas postularet decere videamur. Non ob re iudicavimus ab eorum ordinum publicatione abstinendum fore, sed eorum tamen observationi providere. Mittimus igitur ordines ipsos in scriptis ad vos his nostris inclusos, non vt promulgari debeant, sed vt eos in reliquorum ordinum, & Decretorum nostrorum volumine referri iubeatis, & eorum tenorem inviolabilitèr observari faciatis, sicut etiam spectabili D. Francisco Fontanæ Consiliario nostro, & Præfecto monetarum generali, vt eos observet mandavimus. Mediolani vigesimo Februarij Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto. Signat. B. Chalcus. A tergo Egregio I. C. Vicario Provisionum Mediolani nostro dilecto.

Tenor moderationis sequitur.

COnvocato Senatu Secreto, simulque Praefectis rei pecuniariae coram Principe, cum multa tractata essent, quae expedire videbantur ad re-

frenandam

frenandam cupiditatem, & rapinas Officialium Monetarum, in hanc sententiam deuentum est. In primis firmis manentibus Decretis, Ordinibus, & proclamationibus aliàs propterea factis infrascripta adhibeatur moderatio.

Quod si posthac acciderit, vt D. Franciscus Fontana habeat indicia contra aliquem contrafacientem Ordinibus Monetarum, & propterea sibi videatur congruum mittere Officiales ad inquirendum contrafactionem in domo eius contra quem habebuntur indicia, mittant vna cum Officialibus Vicarium suum, vel Cancellarium, vel Notarium, nec aliter permittat Officiales ingredi domum alicuius ob eam causam, nisi si reperiatur quisquam infragranti crimine, tàm in fabricando, quàm in expendendo monetas falsas, vel tonsas, aut aliter reprobas contra quos repertos infra granti crimine vtsupra per præsentes ordines nulla norma adhibeatur. Non intelligentes tamen inhibere, quin Officiales prædicti etiam sine Vicario, Cancellario, vel Notario vtsupra possint inquirere in apothecis marijs, & alijs locis apertis, vbi pecuniæ numerantur.

Item si acciderit ipsum D. Franciscum habere indicia contra aliquem de huiusmodi contrafactionibus commorantem extrà Ciuitatem Mediolani, si velit mittere Officiales ad inquirendum maleficium in domo vtsupra, cum eis mittat Notarium, vel Cancellarium vtsupra, quod si nolit mittere, si Officiales extra Mediolanum proficiscerentur per alias Ciuitates, Terras, & loca, iubeat eis quotiescumque habuerint indicia contrà aliquem, vt adeant Commissarium, vel Pretorem, vel Referendarium, qui in ea Ciuitate, vel loco fuerit. Quod si Magistratus in ea Terra, vel loco non fuerit, adeant Consulem loci, vel Presbyterum, postulentque, vt mittant nuncium secum, vel ipsi veniat pro qualitate Magistratus, vel Consulum, & Sacerdotis, nec aliter ingrediantur domum alicuius ad inquirenda maleficia, nisi adhibito comite vtsupra; ita tamen quod ipsi Officiales non debeant nominare personam in domo cuius inquirere voluerint, sed solùm ducant secum Magistratum, vel Consules, & vtsupra, qui ductus ad domum inquirendam videat omnia, quæ geruntur per ipsos Officiales, & teneatur ire sine vlla solutione, & fiant litteræ opportunæ patentes, quibus dicti Officiales vadant, quando requisiti fuerint vtsupra.

Item si in itinere quemcumque inuenerint, quem perquirere velint vadant secum ad locum proximum vbi sit aliquis Pretor, vel Officialis, vel saltem Consules, vel Presbiter Terræ, eisque adhibitis perquirant, quod ad Officium suum pertinebit, & ad euitanda incommoda eorum, quos excutere voluerint, sequantur iter per quod illi tales excutiendi profecturi erunt, donec inueniatur Officialis, Consul, & Presbyter vtsupra, vel aliqua domus propinqua, vbi sit aliquis testis, & si aliquis vetauerit credatur Officialibus, simul cum Magistratu, vel Consule, aut Sacerdote, vel teste fidedigno, & vtsupra, cum iuramento. Mediolani die sexto decimo Februarij Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto. Signat. B. Calchus.